LAMPAS
SIVE FAX ARTIUM LIBERALIUM
HOC EST
THESAURUS CRITICUS
QUEM

Ex otiosa Bibliothecarum custodia eruit, & foras prodire jussit

JANUS GRUTERUS

In eo infinitis locis Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Grammaticorum scripta supplentur, corriguntur, illustrantur, notantur.

TOMUS QUARTUS.
CONTINENS

Josephi Castalionis Variarum Lectionum Capita Nonnulla
Ludovici Carrionis Antiquar. Lection. Comment. Tres
Emendationum & Observationum Libros Duos.
Jacobi Durantii Casellii Variarum Librum Primum.

ACCESSERUNT HIS

Petri Gravinae Epistolarum Libri Duo

Et Horum Omnium Additamentum

C. FRANCISCI TAMBURINI CLERICI REGULARIS
AD ILLUSTRISS. ATQUE EXCELLENTISS. VIRUM

FERDINANDUM
MARIAM THOMASIUM

PRINCIPEM LAMPADUSAE, DUCEM PALMAE,
Arcis Montis Clari, & Granorum Baronem, Dominum Torrettae, & Secretiarum Urbium Agrigentinae, & Leocatensis, Baronem Falconerii, Colobrini, S. Nicolai, & Zarcati, Hispaniarum Optimatem, Redemptioni Captivorum apud Siculos Praefectum, ex Devotione Nobilem Hierosolymitanum Militem, ex XII.-Viris Regni Curatoribus, Tertium Panhormi Ex-Praetorem &c. &c. &c.

NEAPOLI CIϽ. IϽ. CCLI.
EXCUDEBANT BENEDICTUS, ET IGNATIUS FRATRES GESSARII
SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

ILLUSTRISSIMO. ET. EXCELLENTISSIMO. VIRO. PRINCIPI
FERDINANDO. M. THOMASIO
PRINCIPI. LAMPADUSAE
PATRITIO. PANHORMITANO
EX. OPTIMATIBUS. HISPANIARUM
AVORUM. NOBILISSIMORUM
AMATORI. IMITATORI. SOSPITATORI
PRAESTANTISSIMO. ET. INTEGERRIMO
QUOD. IS. URBANAM. PRAETURAM
PLENISS. MUNIFICENTIAE. STUDIO
PRIMUM. SECUNDUM. AC. TERTIUM. GESSERIT
QUOD. IN. HONORE. XII-VIRATUS. INDUSTRIE
ADMINISTRATO. OMNIBUS. SICULAE
GENTIS. DESIDERIIS. SATISFECERIT
QUOD. IN. MAX. VICARIO. PRO-REGIS
OFFICIO. APUD. SICULOS
AUCTORITATE. PRUDENTIA. ATQUE. JUSTITIA
PRO DIGNITATE. PANHORMITANI. ORDINIS
MAGNITUDINEM. LOCI. EJUS. IMPLEVERIT
VENERABILIUM. AC. RELIGIOSISSIM.
TEATINOR. HOMINUM
KAROLI. THOMASII. JOSEPHI. EMINENTISS.
CARDINALIS. THOMASII
SANCTISS. BENEDICTINAE. VIRGINIS
M. CRUCIFIXAE. THOMASIAE
ET. INNOCENTISS. JULII. THOMASII
DUCIS. PALMAE
CONSANGUINEO. INCOMPARABILI
MUSARUM. SICULARUM. INCENUAR. DISCIPLINAR.
ET. ARTIUM. BONAR.
DELICIO. AC. TUTELAE. NATO
OBSEQUII. SUI. ERGA. EUM. TESTIFICANDI
GRATIA. ET. NOMINIS. EJUS. IN
PERPETUUM. CELEBRANDI
CURATORES. EDITIONIS. CLERICI. REGULARES
GRUTERIANAE. ΛΑΜΠΑΔΟΣ. TOM. QUARTUM
PATRONO. STUDIOSISS. AC. B. M.
MUNUS. SINGULARI. ADFECTIONI. DEBITUM
DEDICARUNT.

LECTORI
BENEVOLO.

F*Aveto linguis; te paucis volumus: Mens tibi nostra, nostrumque consilium in Editione Facis Gruterianae, quoad nostrae tenuitatis est, adornanda, non latent; De recudendo Thesauro Gruteri propositum nobis esse quum apud Siculos moraremur illud praesertim fuit in caussa quod Vir, neque sine honore, neque ingenti sine tristitia nobis nominandus, cujus immaturae morti bonae adhuc litterae illacrimantur, nostri maxime amicus, & Necessarius, Clarissimus, & praestantissimus Joh. Felix Palesius, in Collectionem Gruterianam Operam, ingeniumque contulerit, mediocri non sine fructu, nec absque vulgari eruditione, dum Panhormi apud Nostrates in Regio Collegio Berbonico Siculos Nobiles Adolescentes politiore litteratura imbuendos, excolendosque suscepisset; Consultum hac ratione Juventuti ingeniosae, quae Grutero facem praeferente penitissimas, lectissimasque habuit prae manibus Latinorum Auctorum Opes, Generi quoque Siculorum acuto ingeniosoque consultum, quod una cum Opere Gruteriano ex Siculis hominibus ii sint consociati, quorum exploratis in Rempublicam litterariam merito, ac nomine magna apud omnes existimatio, pretium est summum. In prioribus ut actum est, modo in Quarto Tomo Critici hujusce Thesauri sic agitur: Profertur videlicet Petrus Gravina Siculus, uno & altero Epistolarum Libro, sua conspicuus elegantia, nec non venustate; Te longius haud moramur, Scriptor vel ipse tuos ob oculos versatur, ac de se vel ea prolixius loquitur, quibus ultro nos abstinemus, ne inutilem sermonem molestius patiare vel iniquius. Animo itaque non invito Epistolarum Codicem volens evolve, in quo, inominato sane, imprudenterque, inscitia Typographi complura sunt vitiosa; Absentes quo tempore Volumen evulgabatur citra*

ſcelus inſcii peccavimus, culpam nunc emendamus, nimirum ſuo loco reponimus argumentum X. & XI. Epiſtolae Libri Primi; X. Epiſtolae argumentum XI., & XI. argumentum Epiſtolae X. praefigito; errore ſublato recta Epiſtolae utriuſque eſt lectio; Tua pro ſententia, ſapientiaque, caetera, quae minoris ſunt momenti, abſentiae, quod mox monuimus, noſtrae tribuenda, nitori ſuo apte reſtitue, tuaque labores noſtros, & curas humanitate, benevolentia, voluntate complectere. Vale.

IN.

INDEX
EPISTOLARUM
PETRI GRAVINAE
LIBER PRIMUS.

Nun-

stis

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO VIRO

FERDINANDO
MARIA TOMASIO
LAMPADUSAE PRINCIPI

EDITIONIS CURATORES CL. REG.

T E A T I N I

FOELICITATEM.

GRuterianam Λαμπάδα, Artium Ingenuarum, Scientiarumque penitiorum Bono, Incremento, Amplitudini, conſpicuam intuliſſe, plurimamque lucem, nemo adeo eſt imperitus, in re litteraria tam hoſpes eſt nemo, cui vel hoc igno-

rare per ſocordiam, ſive per invidiam ſit fas diffiteri. Congeſtae hinc, atque inde, & undequaque Collectae, labore, ingenio, ſollertia ſingulari, ac propemodum incredibii, Mentis, Virtutis, Diligentiae Opes exquiſitae, quibus Ingenioſi Theſauri ſeries digeſta ac explicata longum panderetur in Ordinem, eoſque foret juvatura prae aliis, qui ſacra quodammodo ac reconditiora politioris, ſeverioriſque litteraturae adyta ſubire tentarent. Exuta propterea; dimiſſaque Barbarie, Rhetorum Officinae, DiſquiſitionesHiſtoricorum, Oracula Juriſconſultorum, Medicorum Excercitationes, omniaque uno Verbo ut concludamus, ſingulis Facultatibus affulſit lux novus ſummumque decus eſt importatum; Ominato, atque dilucide ſuo nitori ſunt redditi Grammatici, Oratores, Poetae, Auctoreſque paſſim ſinguli, quibus vitia, ſordes, tenebras, hebes offuderat, ac tarda aetatis oblivio, Virorumque doctorum lucubrationes torpeſcente ex otio foeliciter emerſerunt; Hac ferme ratione luculentiſſimum Theſaurum Janus Gruterus pridem inſtruxit, ornavit, edidit, nec alieno, vel diſpare plane conſilio, in egregio, in Opere immortali viribus, alacritate, induſtria, ultro, volenteſque ipſi nunc ſumus; Quidpiam nimirum hominum ſtudioſorum utilitati,

bono-

bonoque Opera noſtra paratum commodi haud injuria exiſtimamus, quod non inglorie manum ad *Facem* admoverimus; quae liberales Artes univerſas elegantiores quoad ſunt, uberioreſque, latius pervestigat, expenditque copioſius. Ac praeclaro quidem in more quanta cum laude verſemur, honoris inde quantum aſſequamur, & famae, cujuſque tu ponis ob oculos, VIR PRINCEPS ILLUSTRISSIME, ATQUE EXCELLENTISSIME. Quicumque te norunt, iique novere praeſertim, quos vera tenet, oblectatque Sapientia, quos rectior ac ſanior diſciplina informat, & fovet, quos Inſtitutio, Doctrina, Nobilitas ornant, commendantque quamplurimum, magna cum animorum exultatione, ſpectato, probatiſſimoque tuo Nomini certatim plaudunt, eaque ingenti cum voluptate in te uno ſuſpiciunt, demiranturque Thomaſiae Gentis inſignia, quae per ullum nunquam tempus oblitterabuntur, aut conſeneſcent; Facilis obviuſque ad priſca vetuſtatis Monumenta patet acceſſus, inexpertuſque nemo eſt adeo, ſic ignarus eſt nemo, quem lateat, Heraclio Imperatore vita functo, quum humana, Divinaque omnia Conſtantinopolis miſcerentur, ac Viae, Fora, Templa, caede, ac ſanguine aerumnoſe redundarent, pacis ardore, ſtudioque ſe-

curi-

curitatis Italorum ad Oras auſpicato appuliſſe Thomaſios, ac ſplendorem, quo inter Conſtantinopolitanos prius enitebant, in ea, in qua primum conſederunt, Italiae Regione, ſuae haud injuria redditum dignitati, ſibi lubenter, fauſteque ſunt gratulati; Mutavere ſane aunc temporis Familiae cognomentum, nam eo uſque quae vocata eſt Leoparda, Thomaſia poſtmodum coepit nominari Progenies, una vero quae Generis fuit antiqaitas, eadem ſemper fuit ubique locorum exiſtimatio; Itali obſtupuere eam fere per aetatem, quo Artemius, Juſtinuſque, Leopardi antea, dictique poſtea Thomaſii, jure Fraterni Sanguinis mutuo inter ſe quoque celebritatis arctiſſimo invicem vinculo copularentur, ut de amplificando excelſo Domus nomine ſingulari cura cogitaverint; ambo itaque Anconae dum morarentur, collatis inter ſe votis, penes Anconitanos, quam Artemius manſiſſet, Juſtinus in Hetruriam ſeceſſit, & cum Hetruſcorum caeteris Populis, ſui, neque ſane vulgari, expectatione commotis, tum Senenſium praecipue Civium apud quos eſt diverſatus judicio, & poteſtate is habitus eſt, qui ad ſuprema obeunda munera deligeretur, ea cum Auctoritatis praeſtantia, cum ea dignitatis utilitate, qua non finitimae ſolum Ur-

bes

bes ad laudationem facile pertraherentur, verum fortissimi quoque Duces, Regesque Potentissimi, Alphonsus nimirum illam forte per aetatem Rex Arugonensium, ac Dux Mediolanensium Philippus de Vicecomitibus, ipso vel incitante, ac urgente Justino de Thomasiis, cum Senensi Civitate libentibus, aequisque animis icerent foedus. Thomasiorum antiquitatem, splendorem, authoritatem amplissima haec vetustatis exempla mandant monimentis, & literis; ad Familiae veruntamen ornamenta comprobanda, confirmandaque, & illa statuuntur aeterna Posteris insignia, quae in hominum memoria condunt, & collocant, Thomasios aliis compluribus Regionibus, neque vita, neque mentione inhonorata, at vera cum gloria peragratis, tota plaudente Sicilia in illud accessisse Solum, quod Virtute, Majestate, Opulentia foecundissimum, Thomasios & in sedem recepit perhumaniter, Stemmatumque magnificentia auxit continuo, & honestavit; Conjunctissimi propterea inter se mutua voluntate, & Consanguinitate arctissima Thomasii, & Cari ea se ratione gesserunt, ut ad Immortalitatis memoriam, excellentiam, mercedem una simul mirabiliter conspirarent: Per Caros id gloriosissime praestitum, quorum equidem in Posterita-

tem propagati ſunt prae aliis (ſingulos autem recenſere nobis hoc non eſt loco propoſitum) Palmerius Pater, Johanneſque Filius, ambo ex Carorum Domo, quorum prior Siculis quum imperaret Rex Aragonenſis Martinus, qui rebellaverant improbe, Gelois per impigram ſtrenuitatem, ac vigilantiam Regiae Fidei conſtantiſſime redditis cum Regiis Diplomatibus Montis Clari Ditionem in ſe, ac ſuos primus invexit; alter vero, nimirum Johannes impendit ſumptum in Triremi ad Regiam Claſſem adjuncta, qua ſe, vires, impenſaſque ſuas, largiores quoad fas eſſet, firmioreſque, hoſtium adverſus inſidias, & impetum, Regi, Regnoque utiles praeberet, ac ſtipendiarias. Iſtiuſmodi ſcilicet Carorum eſt Stirps, quae in Reges, & in Regnum Siculorum, publico emolumento jamdiu vota inviċtiſſime contulit, Regum exinde munificentia, & liberalitate Inſulae Lampaduſae dono, ac dominatu locupletata, cujus teſtimonio pariter, indicioque deprehendi liceat, & quales fuerint, & quanto in pretio ſuam per aetatem Nobiliſſimi omnium Cari; Quod profecto dum recenſemus, id putamus eſſe perſpectum, quod noſtrum eſt declarare, nulla videlicet habita ſive morum, ſive diverſitate ſtudiorum, laudem, honorem, digni-

tatem,

tatem, unde Cari per omne tempus enituerunt, pari consensione ad Thomasios confluxisse, nisi, quod neque falso dicitur, neque inconsulto, certo, fidenterque pronunciemus, & per Thomasios emicasse fulgidissime Caros; Aetetis enim neque patitur nimis remota longinquitas, neque dura satis temporis edacitas vel ab oculis, vel a mente penitus ablegavit ex Thomasiis Marium celeberrimum, qui ad Siculos cum Marco Antonio Pro-Rege Columna sui spectatissimi Generis & Nomen primus, & Ordinem detulit, nemini obscurum porro, & incertum, nimirum eo vel maxime, quod longe clarissima se Gens Siculis immisceret, quae multo antea praeeunte Inclyto Ductore Goffrido Buglione Hierosolymitanam ad Urbem honorariam militiam in acie hominum Catholicorum fuerat alacriter sequuta, ornatiusque semper ac splendidius inclaruit, quo potissimum tempore vetusto satis, ac longaevo sive Julius, sive Ferdinandus de Thomasiis cum Sancti Jacobi de Alcantara, tum Calatravae nobiles lecti, & creati sunt Milites, laudabilia, & singularia munera, vel ut invito silentio praetereamus, per quae ad memorabilia gerenda facinora domi, forisque Thomasii sunt Viri propemodum a natura, gloria, usu-

que

que comparati. Obſervantiſſimi vero Thomaſiorum illud nos juſte, fideliterque dum exponimus, quod pro ſua unaquaeque parte, neque ſinit aequitas obſoleſcere, neque incurioſe praetermitti dat veritas, ne tu interea, Vir Princeps Illuſtriſſime, Atque Excellentiſſime, nos faſtidioſe dimiſeris, perinde ac ſi, quod turpe eſt, ac indecorum, effuſius, quam par eſt, tuam velimus benevolentiam inſidioſis aſſentationibus colligere; data illud Opera, & ex induſtria accuratius in mentem induximus noſtram, ut in alienis Perſonis egregios tuos effictos mores, expreſſamque quotidianae tuae Vitae intueremur Imaginem; Nae tu vero iſtiuſmodi haud es cenſendus, qui ad laudem & gloriam obrepſeris, vel errore hominum, vel commendatione fumoſarum Imaginum. Hoc in te animis attentis admirantes excipimus, quod recti cuſtos, & honeſti imitator, ne latum quidem unguem diſceſſeris a Majoribus; Sequeris, aemularis, exprimis Thomaſiorum, Carorumque avitam conſuetudinem, neque de te quidpiam eſt, quod loquamur honorificentius, quod exactius admiremur, quod jucundius excogitemus praeter illud, quod ad gloriam mirum efformatus in modum, eorum veſtigiis preſſius inſiſtis, qui ſolidae tuae laudi, Genere ſicut,

& no-

& nobilitate, ita fama, & celebritate praeiverunt. Natus, susceptus, & institutus ad publicum decus, laude praebuisti te dignum, remque Siculam non semel amplificatam tua virtute vehementi non sine delectatione, laetitia, plausu ii sensere communiter, & in exultatione maxima, atque exoptatissima gratulatione ad cumulandum gaudium te Regni solatio datum omine dulcissimo intellexerunt, qui te Juris Regii Vicarium, & Opinione, & Judicio, & Consilio, & Sententia hominum sapientissimorum secundis Siciliae auspiciis juvandis, confirmandisque affirmatissime prodiderunt; Gessisti nimirum tunc temporis magnifica & gloriosa cum ostentatione Vicariam apud Siculos Pro-Regis Operam, tuaeque Authoritati gravissimae Sicilia Universa est concredita, cujus utilitati, honori, praesidio te consuluisse non semel comperimus, cum numeratus in Duodecim-Viris Regni Curatoribus alacer, promptusque coepisti Magistratum, cujus ea est vis, ut in illam curam, operam, cogitationemque intendat omnem, quae cum Siculorum legibus, Siciliaeque Majestate firmissime sunt conjuncta. Tua ista laudi omnia debentur; at prae aliis est in te commendandus amor in Patriam, hoc est: Panhormitanus creatus es Praetor, even-

tu illo, atque successu, ut aequi bonique Cives id optimi facerent, & Opulentissimae, Foelicissimae, Fidelissimaeque Civitati te Praeturam administrante singula bene verterent, certeque illam ob caussam secundum, ac tertium te obtigit Praetorem salutari; Homines aerumnosi subsidium praesentissimum, honorificum ornamentum lectissimi Populi, supremumque in te deprehenderat pridem Civium Ordo Universus splendorem, ac decus, quo miserorum levamen, Patriae praesidium, Gentis oblectamentum recte, imo justissime haberi posses ac dici. Tua morum comitate quid suavius; oris facilitate quid lenius, consiliorum gravitate quid valeat excogitari, praestantius? Habent in te, cum tui Panhormitani, Siculique, tum exterae quoque dissitaeque Nationes, quod suspiciant, demirentur, ac praedicent, Virtutum singularum indicium, & argumentum insigne; Justitiam, Religionem, Fortitudinem, Pietatem, Sanctimoniam, caeterasque hujusmodi animi, & ingenii dotes eo usque impensius coluisti, quo proximior ad Proavos Integerrimos adjungereris, Venerabiles Viros, Carolum, Josephumque de Thomasiis, quorum unum, & alterum Nostris in Clericis Regularibus cum honore & dignitate

nu-

numerari nos laeti, exultabundique commemoramus ea mente, eaque ſententia, qua compertum arbitramur exploratumque, probatiſſimos utriuſque mores cum laude eſſe in ore omnium, qui norunt Conſiderationes in Servatoris Noſtri Chriſti Domini acerbiſſimas pro nobis poenas, Sanctiſſimis, ingenioſiſſimiſque libris Caroli de Thomaſiis exaratas, Virumque Eminentiſſimum Joſephum de Thomaſiis e Noſtratibus in Ampliſſimum Cardinalium Collegium aſſumptum Catholicae Rei Sacrae, quam *Liturgicam* vocant, BENEDICTI XIV. Max. Rom. PONTIFICIS, quem Divinae Fidei Incremento, Literatorumque Bono Immortalis Deus ſoſpitet diu, judicio ſimul, teſtimonioque ſcientiſsimo lucem ac firmitatem plurimam intuliſſe teſtantur; Quin etiam tuis obverſantur oculis Julius Thomaſius Dux Palmae, ac Sanctimonialis Benedictina Virgo intemeratae Caritatis in Deum Exemplum Venerabilis Maria Crucifixa Thomaſia. Quid plura? Tuam in literas, literatoſque benevolentiam ſunt multa quae celebrant, quorum non eſt forte poſtremum te Praetore Siculas Muſas in Praetoriano Domicilio conſediſſe, conquieviſſe, eſſe lepidiſsime otiatas. Haec omnia Gruteriani Theſauri Critici Tomum Quartum, per nos modo

edi-

editum nova produnt insuetaque luce, novis peregrinisque Opibus auctum; Tua Vir Princeps Illustrissime, atque Excellentissime, maximi facimus Authoritatis Auspicia, ac ingentius quiddam portendere nobis videmur honoris, ac famae, qui te nobis longe omnium nobilissimum Patronum adoptamus; Unum pro nostri ingenuitate officii enixe obtestamur, ut labores nostros, studia, diligentiam, pro tua singulari in nos benignitate, perhumaniter, ac honorifice excipias, juves, confirmes. Vale.

Dabamus Neapoli ex Aedibus Sancti Pauli Majoris ad Kal. Sext. 1751.

EDI-

EDITIONIS CURATORES
CANDIDO LECTORI

P*Rodimus in publicum, tantaque prodimus mentis alacritate, quanta sit excogitabilis; evenit nimirum ex sententia foeliciter,*

———— (1) Apagesis,

Ego formidolosus? nemo est hominum, qui vivat, minus.

ait Chremes ille Terentianus: neque ipsi nobis quidpiam timemus qui eam libentibus animis complexi sumus caussam, quae virtute, atque auspicio hominum literatorum, verae Sapientiae amatoribus gratissima, ad se cogitationes omnium, voluntatesque ultro citroque convertat. Novimus equidem, ac fatemur, & affirmamus morbo plerosque intabescere, & misero, & diuturno, quo vel unquam, vel raro nimis curari consuevere, hoc est.

———— (2) tenet insanabile multos

Scribendi Cacoethes, & aegro in corde senescit.

Secus porro ac ferat aetatis nostrae usus, qui laudi, gloriae, utilitati servit aptissime, & pro virili parte, totoque pectore ad praeclara studia Scientiarum incumbit: Ut monuit olim Poeta, unusquisque

. . . . . (3) Quum primum animum ad scribendum appulit,

Id sibi negotii credidit solum dari

Populo ut placerent, quas fecissent Fabulas

Verum aliter evenire multo intelligit.

Illorum sunt castigationes perpendendae, qui districtius exaciusque Scriptores culpant, & reprehendunt, qui Operam, laboremque immanem sine doctrinae fructu, pretio, emolumento susceperit; Longe sua falltur opinione, si eos quispiam imperite, immeritoque acres, vehementes, ac molestos duxerit Accusatores; Veritas etiamsi jucunda non est,

(1) Enunch. IV. IV. 18.

(2) D. Jun. Juvenal. Sat. VII. 51.

(3) Terent. in Prolog. Andr. 1.

mihi tamen grata est, inquit Cicero (1); *per nullum videlicet mendacium, per assentationem nullam Veritatem contaminant boni, ac aequi rerum aestimatores, simplicesque, & aperti, severitatis cultores, & fraudis inimici, ad veritatis judicium, cum rationem, tum fidem revocant omnem;*

——— *Venite in ignem* (2)
Pleni Ruris, & Inficetiarum
Annales Volusi cacata charta

jocorum elegantiarumque Veronensis Pater ineptum, rusticum, indoctumque Volusium durius, asperiusque est insectatus, poenamque homini vilissimo proposuit, qua vel gravissime afficiendi sunt, compescendique Auctores quicumque in Ridiculis Scriptis *Operam abutuntur, indecorum, inhonoratumque Volusiorum* (3) *Genus, in quos tametsi dira, & immiti, proba tamen sanaque vindicta justissime animadverterit, eorum qui perdendis Officiis flammas liberiores immiserit. Loquimur haec palam, neque timidi profecto, neque suspensi, neque soliciti. loquimur, nullius animi, nullius consilii se fuisse vel inviti confiteantur, qui ambitiose, magis quam par est, cupideque ad honorem rapiuntur, & laudem, ac dum ingenii famam stulte ambiunt, ceu discordibus, rapidisque ventis acti, ac immoderata insanarum cupiditatum tempestate tristius exagitati, huc atque illuc circumferuntur, & a vera laudis semita per errorem deflectunt, aberrantque, honore, gloria, Virtute penitus vacui expertesque, O dolendam, ridendamque simul ejus conditionis hominum inopiam, qui plane non sentiunt id sibi mali esse commune cum Plautina illa Staphila, quod per contumeliam, ac dolum avaro Seni Anus versuta improperavit* (4)

——— Quippini.
Ego intus servem, anne quis aedeis auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti Furibus
Ita inaniis sunt oppletae, atque araneis.

apta vero, ac idonea servetur discriminis ratio, ut eam Plautinam foeminam de rei domesticae summa egestate sermonem habuis-

(1) Ad Attic. Libr. 33. *66.*
(2) Catull. Carm. XIIX. 33.
(3) Vid. ad cit. Catull. loc. Jos. Scaliger. Castigationes.
(4) Plaut. in Aulul. L. II. 3.

habuisse deprehendamus, casuque (eheu nimis infesto, noxioque) mentis propemodum inanitas in iis sit diligenter attendenda, qui

——— Austerum studio fallente laborem (1)

in officio, cujus Magistri esse volunt, deterrime, ac turpissime labuntur, miserrimique secum nihil ferunt praeter inanias. Sermonis amari homines fortasse videbimur, ii tamen sumus, qui Veritatis dignitati suffragemur, ac quoad nostrae tenuitatis est, curam, cogitationemque dignam Virtute suscipiamus. De cursu parumper digressi, propius ad viam nostram revertimur, ac magnifica, & gloriosa ostentatione rem quae apertissima est, porrectiore fronte conspiciendam proponimus; Literatorum hominum tueri Majestatem perhonorificum, eorumque vigilias juvare gloriosum est; Praeclarum, egregiumque munus, quo ingenii, viriumque imbecillitas nos met defungi non patitur, obit eximie, praestantissimeque Thesaurus Gruterianus. *Ex illo nos laeti, exilientesque nobis plaudimus; Opus insigne, non attingitur, non premitur, non pulsatur invidia, a se removet offensionem, injuriamque non subit, neque animis, voluntatibusque sibi conciliandis*

Proijcit ampullas & sesquipedalia verba. (2)

instructa illi satis forma, ornatus amplus, fere innumerae sunt divitiae, quae vel primo ex conspectu patent, in promptuque sunt omnibus

Nec Plausoris egent Aulaea manentis, & usque (3)
Sessuri, donec Cantor, vos Plaudite, dicat.

Hoc instituto, serie ista Tres iterato protulimus Gruterianae Facis Tomos, modo Quartus evulgatur, Opibus auctus locupletissimis Ludovici Carrionis Tribus Antiquarum Lectionum *Commentariis: unoque, & altero* Emendationum, & Observationum *Libro: additus est* Jacobi Durantii Caselii Variarum *Liber Primus, in posterum (si per incolumitatem, vitamque liceat)* Variarum *Secundum librum edituri; His praeivere, quae Tertius antea Tomus complexus haud fuerat, Josephi Castalionis Variarum Lectionum Capita nonnulla, quae Transalpinorum*

(1) Horat. Serm. II. II. 12.
(2) Horat. in Art. 97.
(3) Horat. in Art. 154.

rum hominum; primum ubi missae sunt in lucem, vicerunt obtrectationes, (1) *Italique nominis honorem, famamque propagarunt; iis certe non obscuram, qui Obloquutores non egerint; in oculis enim Gentium sunt Navagerii, Politiani, Manutii, Pontani, Panvinii, Sigonii, hominesque caeteri exceptione majores, quos ferax semper ingeniorum, eruditionisque, tulit, aluit, fovitque (verbo absit invidia) Magna, Potensque Italia* (2). *Successivis operis adnotianculas quasdam adposuimus:*

Spectatum admissi risum teneatis Amici? (3)

visa est quandoque ratio postulare: Rei Siculae (4). *Antiquae Amplificator Nostras Josephus Pancratius increpuit addendas Petri Gravinae Siculi Epistolas: Ex condicto adjungendus erat Gruterianae Faci Siculus Scriptor, illum adjunximus, qui Epistolarum jucunditate severiores Criticos temperaret. Haec praestitimus; praestiteris vel tu rem bonam, si Gruterum libens exceperis: Quod superest Operis, neque adversa valetudine, neque itineribus impediti, quod nos ab incoepto aliquandiu retardavit, dabimus, Immortali Deo sospitante, quamprimum. Culpae Typographi tuis sunt in oculis: I.* Johannis, *pro L.* Ludovici *Carrionis nomen irrepsit; corrigito, sicut & pro tua benignitate singulari, quae sunt minoris momenti caetera. Finitus est per haec Collectionis Gruterianae Tomus IV. non sine maxima bonarum Artium utilitate: Nostri haec gaudii series, & caussa; Tuus illud augeat studiosus amor.*

Bonitasque *magna* adjutans, atque aequanimitas. (5)

JO.

(1) Vid. Polyhistor. Liter. Libr. V. Cap. 1. num. XI.

(2) Consule Apes Urbanas Leon. Allatii, Pinacothecam Nicii Erythrei, ac multos inter alios Brixiam Literatam, Veronam Illustratam, alteram Auct. Angelo Eminentiss., doctissimoq; Card. Querino, alteram Auct. nobiliss., Clarissimoq; Scipioo. March. Maffejo.

(3) Horat. in Art. 5.

(4) Propediem proditurum; est Auct. Josepho Pancratio C. R. Italice exaratum Opus de Siculorum Veteribus Monumentis.

(5) Terent. in Prol. Phorm. 35.

JOSEPHI CASTALIONIS

J. C. VARIÆ LECTIONES

Pecunia in nominibus occupata, id est, mutuo data, vel ad nomina facienda destinata, nostra non est. Ciceronis, & Jurisconsultorum loci comparata.

CAPUT XVIII.

Subtilis Kalendarii ratio quibusdam, & ob id obscurior videtur: Kalendarii autem nomen hoc loco interpretor, tabulas, seu librum fœneratorum, quo in libro eorum nomina scribebantur, quibus pecunia ferebantur expensa, & mutuo data. At, quoniam plerumque Kalendis collocabantur nummi, Kalendarium ejusmodi librum appellarunt. Horatius de laudibus vitæ rusticæ, exigendorum, faciendorumque nominum tempora eleganter tetigit:

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam.
Quærit Kalendis ponere (a).

Quod autem dixeram Kalendarii rationem obscuriorem, eo spectat, quod Cicero in Topicis de Loco differentiæ sic scriptum reliquit: *Non, si uxori vir legavit omne argentum, quod suum esset, iccirco, quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt, in arca ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur.* Ad eum locum Severinus Boetius optime disputat: *legato genere, videlicet excepta differentia, legatas esse species tantum, argenti autem species esse signatum, non signatum, differentias vero seu qualitates pecuniæ in possessione positæ vel non positæ, exceptas, legato non contineri propter illud pronomen adjectum, quod suum esset, nummi enim in nominibus sive mutui dati, in possessione ejus, qui dedit, non videntur, si quidem ea mutui vis est, ut quod mutuum datur accipientis fiat.* Huc accedit, quod non solum nomina, & crediti nummi excepti videntur, sed vero etiam quidquid argentum ad Kalendarium & nomina facienda duntaxat destinatum in arca sit, vel a debitoribus exactum, vel aliunde redactum. Qua de re copiose eleganterque a nostris Jurisconsultis differitur. Scævola l. uxorem, §. legaverat, de leg. & fideicomm. *Lega-*

(a) *Kalendis ponere*, in hunc Horatii locum ait Cruquius: „Ellipsis hujus Orationis in fœnore; ponere autem in fœnore dicimus pro fœnærari, ut 1. Sermon. Satyr. 2.

Dives agris, dives positis in fœnore nummis.

Bene autem dicitur Priscos Idibus nomina exegisse, hic ait Lamb. „ut ex hoc loco intelligere licet, & Satyr. 6. lib. 1.

. . . . magni
Quæ pueri magnis e Centurionibus orti
Ibant octonis referentes Idibus æra.

Kalendis autem, & exigebant, & collocabant, ut Satyr. 3. lib. 1.

Qui, nisi cum tristes misero venere Kalendæ,
Mercedem, aut nummo.... unde extricat amaras
Porrecto jugulo historias captivus, ut audit.

verat, inquit, *per fideicommissum Mævius, ita: Quidquid in patria Gadibus possideo, &c. Item quæsitum est, Kalendariis quod in patria sua, vel intra fines ejus defunctus exercuit, instrumenta in domo, quam in patria sua habebat, reliquit, an id quoque Kalendarium propter verba suprascripta Mæviis, ex caussa fideicommissi deberetur. Respondi, non deberi. Item quæsitum est, an pecunia, quæ in arca domi Gadibus inventa esset, vel ex diversis nominibus exacta, & ibi deposita, ex fideicommisso debeatur. Respondi, supra responsum esse.* Et Africanus l.qui filium, eodem: *Qui filium, & nepotem hæredem instituerat, certa prædia quæque in his mortis tempore sua essent, nepoti per fideicommissum dederat, excepto Kalendario. Mortis tempore in ea arca, in qua instrumenta, & cautiones debitorum erant, pecunia numerata inventa est, plerisque videbatur vix vero simile esse, ut testator de pecunia numerata sensisset. Ego autem illud dignum animadversione existimabam: cum quis Kalendarium præstari alicui voluerit, utrum nomina duntaxat debitorum præstari voluisse intelligendus sit, an vero etiam pecuniam, si qua ab his exacta, eidem tamen Kalendario destinata fuerit. Et magis puto, quemadmodum si exactæ pecuniæ, & rursus collocatæ essent, permutatio nominum non perimeret, vel minueret fideicommissum; ita ipsas quoque pecunias, si adhuc Kalendario, id est, nominibus faciendis destinatæ essent, eidem fideicommisso cedere debere. Quin etiam illud quoque putem defendi posse; ut non modo a debitoribus exactæ pecuniæ, sed quacumque de causa redactæ, eidem tamen rationi destinatæ, fideicommisso cedant.* Celsus præterea ex ipsa antiquitate petitam aliam ejus rei rationem affert, l. si chorus eodem. *Quæ, ibi*, inquit, *mobilia mea erunt, do, lego, nummos ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos, Proculus, ait. At eos, quos præsidii causa repositos habet, (ut quibusdam bellis civilibus factitassent) eos legato contineri, & sæpe audisse se rusticos senes ita dicentes, Pecuniam sine peculio fragilem esse. Peculium appellantes, quod præsidii causa reponeretur.* Ex iis igitur gravissimorum auctorum locis facile intelligimus, hoc nos jure uti, ut ea tantum nostra sint, quæ possidemus; Pecuniam autem mutuam collocatam, sive etiam in eum usum comparatam, nostram non esse. Proinde, cum quis, quod suum est legat, non videtur instrumenta, & cautiones debitorum legare, aut etiam pecuniam ad fœnus destinatam, ut olim fiebat.

Lustrum quinque annorum spatium. Horatii locus illustratus.

C A P. XIX.

Video a nonnullis Lustri nomen, cum annorum spatium significat, pro quatuor duntaxat annis accipi, quamvis quincto quoque anno Urbem lustrari, Civitatem censeri, ac Lustrum condi fateantur, eorum autem opinio inde fluxit, quod, peracto quadriennio, ineunte quincto anno, censum peragi putarent. Quare faciendum mihi esse duxi, ut, quæ inter legendum auctorum loca notarim, in medium proferam. Statius lib. Silvarum 2. de Surrentino Polli:

Huc me post patrii latum quinquennia lustri.

Et lib. 3. ad Claudiam uxorem, quam vel ipsa Penelope castiorem dicit, quæ viginti annos Ulysse marito caruit:

...... & si ego met patrio de litore raptus
Quatuor emeritis per bella, per æquora, lustris
Errarem, tu mille procos intacta fugares,
Non intertextas commenta retexere telas,
Sed sine fraude palam, thalamosque armata negasses.

Martialis libro primo de Demetrio puero amanuensi, ægrotante, ac moriente, manumisso: quod Epigramma, propter summam elegantiam, & antiquitatis notitiam, totum adscribere libuit:

Illa manus quondam studiorum fida meorum,

Et

Et felix dominis, notaque Cæsaribus.
Destituit primos virides Demetrius annos,
Quarta tribus lustris addita messis erat.
Ne tamen ad Stygias famulus descenderet umbras,
Ureret implicitum cum scelerata lues,
Cavimus, & domini jus omne remisimus ægro,
Munere dignus erat convaluisse meo.
Sensit deficiens sua præmia, meque patronum
Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

Quid hoc apertius? cum quarta messis, id est quartus annus tribus lustris addi dicatur, continuo sequitur, Lustrum non ex quatuor annis, ut isti volunt, constare. Præterea, si quadriennio Lustrum absolveretur, non tria lustra, sed quatuor dici debuissent ætatis Demetrii, qui decessit tertio exacto lustro, & quarti lustri quarto anno, id est, undevigesimo, sive decimonono ætatis anno. Est autem hoc dicendi genus perelegans, ac Poetis in describendis annis perfamiliare. Horatius libro Carminum secundo, Ode quarta:

Cujus octavum trepidavit ætas,
Claudere lustrum (a).

Quadragesimum ætatis annum Horatius exegisse se significat. Et lib. 4. Ode 1.

Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum Imperiis.

Annum agebat quinquagesimum. Quod Ovidius in Ibin dixit:

Tempus ad hoc lustris bis jam mihi quinque peractis.

Idem libro Fastor. secundo, de puero quinctumdecimum annum agente:

Jam tria lustra puer furto conceptus agebat.

Ad quem locum interpres inepte hac de re disputat. Sed & Horatii locus est in Carmine sæculari:

Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget ævum.

Ad quem locum Interpretes Lustrum improprie pro sæculo sumi scripserunt. Ego vero Horatium proprie loquutum censeo, & de quinquennio proxime futuro, non autem de centesimo anno sollicitum fuisse.

Nam singulis lustris, id est, quinquenniis vota pro Reipublicæ incolumitate concipiebantur. Qua de re sic Svetonius in Augusto: *Mors quoque ejus, de quo dehinc dicam, divinitasque post mortem, evidentissimis ostentis præcognita est. Cum lustrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, Aquila eum sæpius circumvolavit; transgressaque in vicinam ædem super nomen Agrippæ, ad primam literam sedit, quo animadverso, vota, quæ in proximum lustrum, suscipi mos est, Collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se, quanquam conscriptis, paratisque jam tabulis, negavit suscepturum, quæ non esset soluturus.* Hæc Svetonius. Huc accedit, quod, ut tradit Dio, eo ipso anno sæculari, qui erat urbis conditæ DCCXXXVI. finito

(a) Hæc Horatii verba sic exponit Ludovicus Desprez. „Ex Varrone, Festo, & aliis dictum a luendo, id est „solvendo; pendebantur enim vectigalia quincto quoque anno. Est igitur „annorum quinque spatium; adeoque „lustrum octavum annos quadraginta „claudit, impletque. Cic. Epist. 2. lib. „6. ad Attic. Populi autem, nullo gemitu, publicanis, quibus hoc ipso „lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt, sic orditur: Martial. præterea lib. 4. Epigram. 45.

Ut qui prima novo signat quinquennia lustro.

to decennio, in quinquennium Reipublicæ constituendæ potestatem accepit Augustus: cui eadem mox in alterum quinquennium decreta est: ac rursus in decennium. Quo more usi sunt in Republica administranda, qui sequuti sunt, Imperatores. Quare in veteribus monumentis Vota Quinquennalia, Decennalia, & Vicennalia, & Tricennalia leguntur, quæ primo, secundo & tertio decennio imperii solvebantur. Est in hortis Farnesianis Palatinis marmor, cum victimis, & inscriptione:

CAESARVM
DECENNALIA
FELICITER
Et in Arcu Imper. Constantini.
VOTIS . X VOTIS . XX

Versus obelisci Constantiniani aliquot locis illustrati, Metallum pro marmoris fodinis.

CAPUT XX.

IN basi Obelisci, quem e Circo Maximo effossum ante Basilicam Lateranam Sixtus V. Pontifex Maximus statuit, complures erant insculpti versus, quibus Imperatoris Constantii donum significabatur. Eos versus nobis descriptos, cum erueretur basis, nostris libris inserendos, ac posteris transmittendos curavimus, quando ea basis confracta in alios usus concessit.

Patris . opus . munusque . suum . tibi . Roma . dicavit
Augustus . toto . Constantius . Orbe . recepto
Et . quod . nulla . tulit . tellus . nec . viderat . ætas
Condidit . ut . claris . exæquet . dona . triumphis
Hoc . decus . ornatum . genitor . cognominis . urbis
Esse . volens . cæsa . Thebis . de . rupe . revellit .
Sed . gravior . Divum . tangebat . cura . vehendi
Quod . nullo . ingenio . nisuque . manuque . moveri
Caucaseam . molem . discurrens . fama . moneret
At . dominus . mundi . Constantius . omnia . fretus
Cedere . virtuti . terris . incedere . jussit
Haut . partem . exiguam . montis . pontoque . tumenti .
Credidit . & . placido . vexerunt . æquora . fluctu
Litus . ad . Hesperium . populo . mirante . carinam
Interea . Romam . tetro . vastante . tyranno
Augusti . jacuit . donum . studiumque . locandi
Non . fastu . spreti . sed . quod . non . crederet . ullus
Tantæ . molis . opus . superas . consurgere . in . auras .
Nunc . veluti . rursus . rufis . avulsa . metallis
Emicuit . pulsatque . polos . hæc . gloria . dudum
Auctori . servata . suo . cum . cæde . tyranni
Redditur . atque . aditu . Romæ . virtute . reperto
Victor . ovans . Urbisque . locat . sublime . tropæum
Principis . & . munus . condignis . atque . triumphis .

Cognominis urbis. Constantinopolim significat. Cognominis autem ὁμώνυμος, id est, ejusdem nominis. Ut apud Plautum:

Quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines.

vocabantur enim Bacchides: Ejusdem vero nominis Constantinopolim accipio, non quod Constantini nomen, sed quod Urbis Romæ nomen referret. Nam Constantinopolis Nova Roma dicta est. Duæ igitur Urbes erant cognomines, id

est,

est, ejusdem nominis. Ad vitandam vero ambiguitatem, addebatur alteri, Nova Roma; alteri, Vetus, Senior, Antiqua Roma: Senioris, & Novæ mentio est in secunda cognitione Sancti Chalcedonensis Concilii, his verbis: *Convenientes vero, & sancto Concilio & universali Concilio secundum sacram Sanctionem in Chalcedonensi Civitate congregato, idest Paschasio, & Lucentio Reverendissimis Episcopis, & Bonifacio Reverendissimo Presbytero, agentibus vices sanctissimi, & Deo amantissimi Archiepiscopi Senioris Romæ Sancti Leonis, & Anatolio sanctissimo Archiepiscopo magni nominis Constantinopolitanæ Civitatis Novæ Romæ*. Et libro XI, C. de privilegiis Urbis Constantinop. *Urbs*, inquit, *Constantinopolitana non solum juris Italici, sed etiam ipsius Romæ veteris prærogativa lætetur*, & l. intra, C. de operib. pub. *Intra urbem Romam Veterem & Novam nullus judicum novum opus informet*.

In versu autem, *interea Romam TARO*, cum duæ litteræ fracto marmore desiderarentur, fuerunt inductæ PO, a Viro non indocto, vulgatumque impressis versibus TAPORO, ut Tyranni cognomen esset. Quod Fulvio Ursino viro litterarum cognitione præstantissimo, non satisfecit. Itaque loco illarum repositæ sunt ab eo hæ duæ E, T, factumque TETRO, quo nihil aptius fieri potuit. Tantum enim abest, ut publicis privatisque monumentis perduellium, damnatorumque nomina mandarentur, ut inde abraderentur. Quod si victoria de hostibus a Senatu judicatis esset incidenda, sine nomine hostis oppressi conscribebatur. Exprimebatur tamen verbis communibus Tyranni, & Tyrannidis factio oppressa, & extincta, adjecto etiam nomine ad Tyrannidem, Tyrannumque detestandum idoneo, ut hoc loco factum est: *TETRO Tyranno*. est & in hortis Farnesianis Palatinis ejusdem temporis basis, quæ huc pertinet:

RESTITVTORI . VRBIS ROMAE . ADQVE . ORBIS
ET . EXTINCTORI . PESTIFERAE . TYRANNIDIS
D. N. FL. CONSTANTIO . VICTORI . AC . TRIVMFATORI
SEMPER . AVGVSTO
NERATIVS . CEREALIS . V. C. PRAEFECTVS . VRBI
VICE . SACRA . IVDICANS . D. N. M. QVE . EIVS

Et in Arcu Imperatoris Constantini:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO . MAXIMO
P. F. AVGVSTO . S. P. Q. R
QVOD . INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV . SVO
TAM . DE . TYRANNO . QVAM . DE . OMNI . EIVS
FACTIONE . VNO . TEMPORE . IVSTIS
REMPVBLICAM . VLTVS . EST . ARMIS
ARCVM . TRIVMPHIS . INSIGNEM . DICAVIT
LIBERATORI . VRBIS . FVNDATORI . QVIETIS
VOTIS . X. VOTIS . XX.

Illud quoque notandum est quod sic inibi legitur:

—— rufis avulsa metallis,

Metalla esse hoc loco marmoris fodinas apparet, quo sensu apud Lucanum accipiuntur libro quarto:

Extrahitur, duris silicum lassata metallis.

Idem libro sexto:

Ingentes cautes, avulsaque saxa metallis.

Papinius item Statius libro Silvarum primo, de balneo Etrusci:

Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis.

Idem libro quarto, ad Marcellum:

An ne metallifera repetit jam mœnia Lunæ.

Titulus etiam est libro XI. C. de metallariis, & metallis: ubi in prioribus legibus de metallico canone cautum est, in l. autem, Cuncti, *Metallum, saxorum venam* interpretantur Imperatores Gratianus, Valens, & Theodosius, his verbis: *Cuncti qui per privatorum loca saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repræsentent, cetero modo propriis suis desideriis vindicando.*

Prætor tutelaris.

CAPUT XXI.

Justinianus, dandi tutores jus penes Prætorem fuisse, ex Constitutionibus, id est, ex Imperatorum placitis, scriptum reliquit, Instit. de Atiliano Tutore, §. Sed ex his. Hunc autem Prætorem Tutelarum vocatum, & a M.Aurelio factum, scribit Julius Capitolinus: *Prætorem*, inquit, *tutelarem primus fecit, cum antea Tutores a Consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur* (a). Hæc Capitolinus. Quod autem ad Consules id spectasse dicit, sic Svetonius in Claudio: *Sanxit, ut pupillis extra ordinem Tutores a Consulibus darentur.* Ceterum ad Prætorem Tutelæ cognitio, & Tutorum, datio pertinebat, id quod ex L. I. C. de Tutorib. vel curat. illustr. cognoscitur, & ex l. 2. C. Quando mulier tutelæ officio fungatur his verbis: *Accito Pratore, qui impertiendis Tutoribus præsidet.* De Prætore Tutelari in antiquis inscriptionibus mentio est:

Romæ ad Columnam Antonini

POPVLONII
L. ARADIO. VAL. PROCVLO
AVGVRI
PONTIFICI . MAIORI
QVINDECIMVIRO . SACRIS . FACIVNDIS
PONTIFICI . FLAVIALI
PRAETORI . TVTELARI
LEGATO . PROPRAETORI . PROVINCIAE . NVMIDIAE
PEREQVATORI . CENSVS . PROVINCIAE . GALLECIAE
PRAESIDI . PROVINCIAE . EVROPAE . ET . THRACIAE
CONSVLARI . PROVINCIAE . SICILIAE
COMITI . ORDINIS . SECVNDI
COMITI . ORDINIS . PRIMI
PROCONSVLI . PROVINCIAE . AFRICAE . VICE
SACRA . IVDICANTI . EIDEMQ. IVDICIO . SACRO
PER . PROVINCIAS . CONSVLAREM . ET
NVMIDIAM. BYZANCIVM . AC. TRIPOLIM
ITEMQ. MAVRRETANIAM . SITIFENSEM . ET . CAESARIENSEM
PERFVNCTO . OFFICIO . PRAEFECTVRAE . PRAETORIO
COMITI . ITERVM . ORDINIS . PRIMI . INTRA . PALATIVM
PRAEFECTO . VRBI . VICE . SACRA . ITERVM . IVDICANTI
CONSVLI . ORDINARIO

HVIC.

(a) Tutelaris videlicet ex eo *Prætor*, quod Urbis tutelam haberet, ducta similitudine ex tutelaribus Diis, hoc nomine appellatis, quod Oppida, Urbesque tueantur.

HVIC . CORPVS . SVARIORVM . ET . CONFECTVARIORVM
AVCTORIBVS. PATRONIS. EX. AFFECTV. EIDEM. IVRE. DEBITO.
STATVAM . PATRONO . DIGNO . PONENDAM. CENSVIT.

Ad Forum Trajani.

AVCHENII
ANICIO . AVCHENIO . BASSO . V. C. QVAESTORI CANDIDATO
VNO. EODEMQVE. TEMPORE. PRAETORI. TVTELARI. PROCONSVLI
CAMPANIAE . PRAEFECTO . VRBI. TRINI . MAGISTRATVS
INSIGNIA . FACVNDIAE . ET NATALIVM. SPECIOSA . LVCE
VIRTVTIS . ORNANTI . &

Aurelii Prudentii locus emendatus.

CAPUT XXII.

Latinus Viterbiensis, qui summo bonorum dolore proxime decessit, vir venerandæ formæ & doctrinæ prope singularis semper est habitus. Is cum esset fere octogenarius, & per ætatem, neque domo, neque lectulo commovere se posset, frequentes ad illum Viri bene docti confluebant: erat enim prope Civitatis Oraculum. Admiratione dignum videbatur, quod in summa senectute oculis caligantibus, effæto corpore, vigebat tamen in illo animus, mens, memoria, multa acute disputabat, aliena scripta indicabat, veterum libros corrigebat, & apposite restituebat. Nihil mihi admirabilius visum est, quam quod omnes fugisset, ac fefellisset in Prudentio, id ipsum post omnium librorum editiones, vidisse atque egregie emendasse. Sic enim legitur in Præfatione libri primi adversus Symmachum:

Spes insueta subit serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquii caput:
Sed dextra impatiens vulneris, irritos
Oris rhetorici depulit halitus,
Effusum ingenii virus inaniter
Summa Christicolis in cute substitit.

Nemo locum demendo suspectum habuit. Latinus hoc subodoratus est, & unius literæ secundæ vocalis transpositione in verbo SPES, nullo ibi plane sensu, locum illustravit, hoc modo, SEPS. loquitur enim Prudentius de Serpente metaphorico; Serpentis autem genus Seps, non Spes. Spei certe neque flexus corporis, neque capitis vibratio est. Seps autem mire in hunc locum serpit; Lucanus libro nono de hoc serpente sic:

Ossaque dissolvens cum corpore tabificus Seps.

Et Ausonius:

An Libyæ ferale malum sit Romula vox Seps.

Hujusmodi mendum in libros typis excusos, e manuscriptis emanavit, est enim in Bibliotheca Vaticana Prudentii miræ antiquitatis liber, quem Fedaricus Rainaldus, harum rerum, quamdiu vixit diligens indagator, emtum in bibliotheca collocavit. Spes, tamen in eo legitur, mendose omnino.

Enni

Enni versus apud A. Gellium explicati frustrari, & frustra esse, quid.

Marcus Antonius Muretus laudatus.

CAPUT XXIII.

MAgna mihi familiaritas, & consuetudo cum Marco Antonio Mureto fuit, multumque hominis doctissimi utebar eruditione. Nam, præterquam, quod publice profitentem summa cum ingenii, doctrinæ, & eloquentiæ gloria in Romana Academia quotidie fere audiebam, antelucanis quoque horis domi jus Civile privatim docenti operam dabam. Quare multa quæ præclare dicta essent, raptim excipiebam. Ejus generis est, Q. Enni versuum, qui apud A. Gellium sunt, explicatio. is enim libro XVIII. capite 2. sic scriptum reliquit. Enarratio horum versuum, qui sunt in Satyris Q. Enni uno multifariam verbo concinniter implicati; quorum exemplum, hoc est:

Nam, qui lepide postulat alterum frustrari,
Quem frustratur, frustra eum dicit frustra esse:
Nam, qui sese frustrari, quam frustra sentit,
Qui frustratur, is frustra: si non ille est frustra.

Sic explicabat Muretus: Qui vult alium lepide fallere, dicere non debet errare, ac falli, eum, quem ipse fallere cogitat. Nam, ubi quis sentit frustra alium operam dare, ut se fallat, tum, nisi is, cui dolus tenditur, fallitur, is ipse frustra est, qui eum frustrari volebat, frustrari, est fallere. Frustra esse, falli, ac decipi.

Mortales invocari. a Poetis non esse insolens, aut novum.

CAPUT XXIV.

CArmen, quod nuper quatuor Cardinalibus a Clemente VIII. Pontifice Optimo Maximo cooptatis gratulabundus conscripsi, viro doctissimo legendum dederam, ut si qua imprudenti mihi excidissent, libere admoneret. Quare candidi judicia officio functus nonnulla adnotavit, quæ de ejus sententia libenter correxi. Unum mihi persuadere non potuit, Invocationem esse commutandam, quod Dii, non homines invocari solerent. Respondi enim, habere me locupletes auctores, quorum exemplo id fecissem. Novum hoc ille plane sibi videri dicebat, qui memoria non teneret mortalium invocationes. Facturus igitur operæ pretium mihi videor, si scribentibus æque, ac judicantibus rem gratam faciam; omnemque ambiguitatem, ac scrupulum eximam; prolatisque in medium testimoniis, non esse hoc novum, atque insolens, sed a bonis Poetis frequenter usurpatum, doceam. Papinianus Statius Gallicum, de quo libro Silvarum primo scribit, his versibus invocat:

At ego nec Phœbum (quanquam mihi surda sine illo
Plectra) nec Aonias decima cum Pallade divas,
Aut mitem Tegeæ, Dircesve hortabor alumnum.
Ipse veni, viresque novas, animumque ministra,
Qui caneris.

Sed Statius Ovidium imitatus est, quod facile cognosces, qui utriusque locos conferet. Ovidius sane Germanicum Fastorum initio invocat, his versibus:

Excipe pacato, Cæsar Germanice, vultu
Hoc opus, & timidæ dirige navis iter.
Officioque, levem non aversatus honorem,

Huic

Huic tibi devoto, numine dexter ades.

Et infra:

Annue conanti per laudes ire tuorum,
Deque meo pavidos excute corde metus:
Da mibi te placidum: dederis in carmina vires:
Ingenium vultu statque caditque tuo.

Uterque vero Virgilium auctorem habuit, unde mortales invocandi rationem hanc didicerunt. is enim, Eclog. IIX.

Tu mibi, seu magni superas jam saxa Timavi,

Mortalem sine controversia invocat.

Et libro Georgicor. secundo ad Mæcenatem orationem convertit, his versibus:

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famæ merito pars maxima nostra
Mæcenas, pelagoque volans da vela patenti.

Augustum quoque idem invocavit, virum nondum immortalitate donatum, nondum Divum, Georg. primo:

Tuque adeo, quem mox, quæ sint habitura deorum
Concilia incertum est, Urbisne invisere Cæsar,
Terrarumque Velis curam, & te maximus orbis
Auctorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto:
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant; tibi serviat ultima Thule;
Teque sibi generum Thetis emat omnibus undis;
Anne novum tardis sidus te mensibus addas;
Qua locus Erigonen inter, Chelasque sequentes
Panditur; ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli justa plus parte relinquit.
Quidquid eris (nam te nec sperent Tartara regem,
Nec tibi regnandi veniat jam dira cupido,
Quamvis Elysios miretur Græcia campos;
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacib. annue cœptis,
Ignarosque viæ, mecum miseratus agrestes
Ingredere, & votis jam nunc assuesce vocari.

Quem locum omnes fere qui secuti sunt Poetæ imitandum sibi proposuerunt. Lucanus Neronem invocat:

—— te, cum statione peracta
Astra petes serus, prælati regia cæli
Excipiat gaudente polo; seu sceptra tenere,
Seu te flammiferos Phœbi transcedere currus.
Telluremque nihil mutato sole timentem
Ignivago lustrare juvat: tibi numine ab omni
Cedetur: jurique tuo natura relinquet,
Quis Deus esse velis; ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe:
Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri,
Unde tuam videas obliquo sidere Romam.
Aetheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. librati pondera cœli
Orbe tene medio: pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullaque obstent a Cæsare nubes.

Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani:
Sed mihi jam numen: nec, si te pectore vates
Accipiam, Cyrrhea vel me secreta moventem
Solicitare Deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad vires Romana in Carmina dandas.

Manilius Augustum:

Nunc mihi tu, Cæsar, patriæ princepsque, paterque,
Qui regis Augustis parentem legibus Orbem,
Concessumque patri muudum Deus ipse mereris,
Das animum, viresq; facis ad tanta canendum.

Valerius Flaccus Vespasianum:

—— Tuque o, pelagi cui major aperti
Fama, Chaledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, phrygios prius indiguatus Julos,
Eripe me populis, & habeuti uubila terræ
Sancte Pater, veterumque fave veneranda canenti
Facta virum, versam proles tua pandit Idumen.
Namque potest, Solymo uigrantem pulvere fratrem,
Spargentemque faces, & iu omni turre furentem.
Illa tibi cultusque deum, delubraque genti
Instituet, cum iam geuitor lucebis ab omni
Parte poli neque eum in Tyrias Cynosura carinas
Certior, aut Graiis Elice servanda magistris.
Seu tu signa dabis, seu te duce Græcia, mittet
Et sidon, Nilusque rates, nunc nostra serenus
Orsa juves, hæc ut Latias vox impleat urbes.

Papinius Statius Domitianum, in Thebaide:

——tuque o Latiæ decus addite famæ,
Quem nova maturi subeuntem exora parentis
Æternum sibi Roma cupit. Licet arctior omnes
Limes agat stellas, & te plaga lucida cœli
Plejadum, Boreæque & hiulci fulminis expers
Solicitet, licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis alter radiantem crinibus arcum
Imprimat, aut magni cedat tibi Juppiter æqua
Parte poli, maneas hominum contentus habenis,
Uudarum, terræque potens, & sidera dones.
Tempus erit, cum laurigero tua fortior œstro
Facta canam.

Et in Achilleide:

At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Grajaque, cui geminæ florent vatumque ducumque
Certatim laurus, (olim dolet altera vinci)
Da veniam, ac trepidum patere hoc sudare parumper
Pulvere, te longo, nec dum fideute paratu
Molimur, magnusque tibi præludat Achilles (a).

Horatii

(a) Mortales quoque ab Italis Vatibus non sine laude in Poeticis lucubrationibus sunt invocati: singulos ne lectoribus molesti recenseamus, unum non obscuri sane nominis proponimus Ludovicum Dolce Poema Italicum *Primaleone*

Horatii & Valerii Flacci loci collati.

CAPUT XXV.

BArbaras gentes Corallos non lituo, tubave, aut tympano, in conflictu usos esse ad animos militum incitandos, sed fortium virorum laudibus, lib. VI. commemorat Valerius Flaccus. his versibus:

Prælia nec rauco curant incendere cornu,
Indigenas sed rite duces, & prisca suorum
Facta canunt, veterumque viris hortamina laudes.

Quod & multo ante, Horatius ad Pisones de Arte Poetica scripsit a Tyrtæo tale quid factum:

Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

Ovidii Loci ex Epistola Penelopes vindicati.

Julius Cæsar Scaliger reprehensus.

CAPUT XXVI.

JUlius Cæsar Scaliger in Hypercritico illud apud Ovidium ex epistola Penelopes reprehendit:

Illi victa suis Troica fata canunt.

Non erunt inquit *victa fata. imo Trojanum fatum vicit, vicit enim Trojanorum vota, quia in fatis erat Trojam capi.* Nullo negotio Scaligeri argumentum dissolvi, & Ovidium defendi posse, existimamus. Ovidius siquidem particularia, ut

---

maleone Johanni Francisco Affaetato sic inscribentem.

Giovane Illustre, e d'ogni laude degno
Che di senno maturo adorno, e chiaro,
Di magnanimo core, e d'alto ingegno
Al gran padre d'Augusto ite di paro;
In cui l'alme Virtuti han largo regno,
Che poco apprezza il secol nostro avaro;
Valoroso Francesco Affaetato
Sol per giovare a buoni al mondo nato.
Duolmi, che tal, com' io vorrei, non sia,
E converrebbe a si lodata impresa;
Il rozzo stil, la bassa musa mia,
Che avendo in dir di voi la mente accesa,
S'alzasse là, dove 'l mio cor desia,
Ma l'incarco terren troppo mi pesa;
E 'l vostro alto valor tant' alto sale,
Che arrivar non vi può lingua mortale.
Pur se fortuna ai bei desir nimica
Avvien, che cangi un di la faccia oscura,
E mi si mostri si benigna, e amica,
Quanto addietro mi è stata acerba, e dura,
Io spero ancora in lieta piaggia aprica
Con la Diva, che i nomi a morte fura
Cantar i vostri onor in guisa, ch' io
Senta eterno per fama il Signor mio.

ut ita dicam, Trojanorum fata, seu oracula, ut Servio placet ad illud Verg.

—— fracti bello, fatuque repulsi

Ductores Danaum.

intellexit Palladium, Troilum & Laomedontis sepulcrum, Scaliger vero ad generale, videlicet Trojanorum fatum respexit. Fuisse autem plura fata, eademque superata a Græcis, ut recte ab Ovidio dictum est, Plautus in Bacchidibus auctor est:

Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi exitio forent:
Signum ex arce si perisset, alterum etiam est Troili mors,
Tertium cum portæ Scææ limen superum scinderetur.

Ibidem Scaliger ex eadem epistola *Namque* tolleodum pronuntiat ex eo versu:

Omnia namque tuo senior te quærere misso.
Retulerat nato Nestor, at ille mihi.

Neque, inquit, Scaliger *hic ulla caussa reddenda est. igitur illud Namque dispungendum est. non enim relatio Telemachi efficiebat, ut Græcia prælia pingerent uxoribus.* Imo, inquam, ex Telemacho Penelope cognovit, quæ a Grecis in patriam reversis de bello Trojano conjugibus suis narrarentur, quod Telemachus, apud Nestorem dum esset, perceperat. Neminem Ithacam rediisse, verisimile est, cum Ithacenses Ducem suum sequi oporteret. Durum quoque ibidem esse scribit, quod legitur:

. . . . . Murus, quod fuit ante solum.

Murus enim, inquit, *nunquam fuit solum*. Ego non fuisse adeo ineptum Ovidium arbitror, ut hoc excogitarit, illud sane affirmo aliter ordinandas esse voces atque Scaliger accepit.

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios? & murus quod fuit ante solum?

Quid mihi prodest Ilios disjecta, & solum, quod ante fuit murus? Estque repetitio Poetis persamiliaris. Hæc autem sententia est: Urbem Trojam disjectam, & dirutam, ac solo æquatam, nihilo magis utilem, quam cum staret Penelope, videri, cui post Urbis Trojanæ excidium marito carendum esset.

Vergilii & Livii loci collati. De Etruscorum imperio.

CAPUT XXVII.

Etruscos in duodecim partes distributos late a supero ad inferum mare imperio Italiam tenuisse, Livius libro quinto scriptum reliquit. Ejus hæc sunt verba: *Tuscorum ante Romanum Imperium late terra marique opes patuere. mari supero inferoque quibus Italia insula modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadria, Tuscorum colonia, vocavere Italicæ gentes, Græci eadem Tyrrhenum, atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes, incoluere urbibus duodenis terras, prius cis Apenninum, ad inferum mare; postea trans Apenninum, totidem quot capita originis erant, coloniis missis. quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere.* Hæc Livius. (a) Nemo igitur

(a) Hunc Livj locum dilucidius exponit Johannes Dujatius ita de Tuscis sermonem habens „ Noo mari modò „ celebratæ Tuscorum vires, sed terra „ quoque, & sedes ultra lirim fl. pro- „ tulerant. Eorumque fuit Vulturnus, „ quæ post Capua est dicta; ut vidimus „ l. 4. c. 37. Porro Etruscos, sive Tyr- „ rhenos, non ex lydia advenas, ut vul- „ go creditum, sed Italiæ indigenas fuis- „ se probat Halicarn. lib. 1.

tur miretur, cum apud Virgilium de Maonuæ opibus legat, quæ Tuscorum caput esset, Æo. x.

Mantua dives avis, sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni.
Ipsa caput populis e Tusco de sanguine vires.

Fulvii Ursini. & Josephi Scaligeri Opera, in Festo explendo.

CAPUT XXVIII.

Festi Pompeii semiustos libros egregie Fulvius Ursinus explevit. Eandem provinciam Josephus Scaliger nactus, multa feliciter assecutus est. In dictione Mutini felicior Ursinus. Nam quæ in libro exeso desiderantur, literarum, spatia & intervalla adamussim dimensus, apposite restituit: &, cum Scaliger *extra Urbem*, *ædiculam* fecisset, Ursinus *via juxta diverticulum via* reposuit. Ejus conjecturam postea confirmavit vetus Inscriptio, quæ nunc apud illum est:

VIA. QUAE. DUCIT
PER. AGRUM
NONIANUM
A. M. XX. DEVERTIC
SINISTROSUM
PER. COMPITUM
SECUS. PISCINAM
IN. FUNDO
DECIMIANO
THALAMIANO
JUNCTIS. DEBETUR
IT. A. UTI. HODIE
IN. USO. EST

Penultimi versus principes Syllabæ punctis distinctæ apte exponi possunt; *Iter actus*, ut est in l. inter actum, & iter, de ser. rust. præd. *Inter actum & iter*, inquit Modestinus *nonnulla est differentia. Iter est enim, quo quis pedes, vel eques commeare potest; Actus vero, ubi & armenta trajicere, & vehiculum ducere liceat.*

Posset etiam commode quis interpretari primam illam vocalem, A, *Aditus*, *Ambitus*, si de quopiam ædificio ageretur, ut in subjecta inscriptione diserte expressum est apud Delphinios:

HUIC
MONIMENTO. ITER
ADITUS. AMBITUS DEFERTUR
EX. SENTENTIA. EROTIS. AUG. L.
JUDICIS. A. VIA. CAMPANA
PUBLICA. DEXTRORSUM. INTER
MACERIEM. CALAMINIAM
ET. INSULAM. EUCARPIANAM
.. ER. LATITUDINEM PENES. DUOS.
.. SEMIS. USQUE. AD. HOC
MONUMENTUM. ET. HINC
PER. CIRCUITUM. TOTIUS
MONUMENTI. USQUE. IN. VIA

QUAE. DUCIT. IN. AGRO. ITEM
IDEM. MONUMENTI. ITER
ADITUS. DEBETUR. HINC
SECUNDUM. MONUMEN-
TUM. AFINIAE. TYCHES. ET
INDE. SECUNDUM. MACERIEM
EUCARPIANAM. IN. QUA. OLLAR
SUNT. ET. INDE. RECTO USQUE. AD
.. AMPUBLICAM. CAMPANAM

Unde quis sit nominandus.

CAPUT XXIX.

EX parentibus liberos, non autem ex liberis parentes ostendendos esse, errareque eos, qui pueri, aut etiam infantis Patrem, Avum, aut Proavum scribunt, ignorat nemo, qui in bonis auctoribus versatus sit. Clarius enim, illustriusque parentum nomen, quam liberorum esse consuevit, nisi filius ad eam propria virtute gloriam pervenerit, ut majoribus suis facem prætulisse videatur. id quod M. Catoni, qui se Uticæ interemit, usuvenit. qua de re diserte a M. Tullio Cicerone libro de officiis tertio scriptum est. *M.* inquit, *Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis pater, ut enim ceteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus.* Hæc ille. Præterea naturæ ordo postulat, ut unde quis ortus sit, non ignoretur, & prior sit Pater, quam filius. Quam scribendi consuetudinem Romani vel in primis secuti sunt, ut est videre in veteribus monumentis, in Tabulis Capitolinis.

M. VALERIUS. M. F. VOLUSIN. CINCINNAT
P. SESTIUS. Q. F. VIBI. N. CAPITO
AP. CLAUDIUS. AP. F. M. N. CRASSIN

Et apud Fulvium Ursinum lapis est perantiquus valde antiquis literis notatus, qui nuper inventus, & effossus est extra portam Capenam:

MARTEI
M. CLAUDIUS. M. F
CONSUL. DEDIT

Lucani aliquot loci defensi. Adversus Julium Cæsarem Scaligerum.

CAPUT XXX.

NImius mihi videtur in Poetis exagitandis Julius Cæsar Scaliger, in Hypercritico. Lucanum in primis notat, quod Poema de bello Civili Pharsaliam appellarit. plura enim bella, & pluribus in locis a Cæsare cum Pompejo, Pompejanisque gesta ante, & post Magni necem prosequitur, Corsiniense, Brundisinum, Marsiliense, Dyrrachinum, Hispanicum, Africum, Alexandrinum. Ego indignum esse Lucanum censeo, ut contra veterum sententiam a quoquam accusetur: Pharsalicamque optima ratione inscriptam puto, quod eo Bello de Pompejanis partibus, deque universa Optimatum caussa actum sit, quod & Cic. testatur, qui, victo apud Æmathiam Pompejo, neque reliquias belli, neque spem sequi voluit inanem. Cetera siquidem bella ad hoc unum prælium, tanquam ad caput, referenda sunt. Quare sic ipse Lucanus exorsus est:

Bella per Æmathios plusquam civilia campos,

Jusque

Jusque datum sceleri canimus.....

Ac sane Papinj Statj judicium, doctissimi Poetæ, ceteris prætulerim. is de ingenio, carminibusque Lucani libro Sylvarum secundo multa honorificentissime scripsit, quæ ad hanc rem pertinent:

Mox cepta generosior inventa
Albos ossibus Italis Philippos,
Et Pharsalica bella detonabis,
Et fulmen ducis inter arma divi,
Libertate gravem pia Catonem,
Et gratum popularitate Magnum
Tu Pelusiaci scelus Canopi
Deflebis pius, & Pharo cruenta
Pompejo dabis altius sepulcrum.

In Lucano item damnat Scaliger dicendi genus, quo usus est libro IX.

Quid prodest miseri Basiliscus cuspide Murri
Transactus?

Latine, inquit, Scaliger *dicemus*, *Quid prodest Basiliscum transactum cuspide fuisse?* Ego, num Latine sit dictum, non quæro. Utinam tam Latine sciremus, quam Lucani servus. Illud certe dico, eadem orationis forma Ovidium usum esse in Penelopes epistola:

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios?

Reliqua per otium persequemur.

Recondita Nominum & verborum per numeros Figuræ.

CAPUT XXXI.

Figuram per numeros fieri, nemo est paullo in literis exercitatus, qui non sciat, cum dictioni, quæ numeri unitatis sit, verbum numeri multitudinis adjungitur, ut, *Turba ruunt; Pars in frustra secant*. Vir. Æn. lib. 6.

Pars calidos latices, & abena undantia flammis
Expediunt.

Illud autem non cuivis obvium est, ut ad idem nomen collectivum numeri singularis, duo referantur verba, alterum singulare, alterum plurale. Exempla ex Vergilio petenda. lib. Æneid. I.

Ac, veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces, & saxa volant; furor arma ministrat,
Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.

Vides primum, dici, *Ignobile vulgus sævit*, deinde, *Conspexere, silent, Adstant*. Eadem quoque figura usus est in secundo Æneidos:

Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur Equi.....

Et paullo infra, sunt, qui eandem figuram retinendam esse contendant:

Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit: certantque illudere capto.

Lunæ Silentium. Vergilius & Statius collati.

CAPUT XXXII.

QUæ fint Lunæ filentia, facilius ex Papinio Statio, Poeta Vergili ſtudioſiſſimo, diſces, quam ex Grammaticis. is enim lib. Thebaidos ſecundo, de Mercurio, Latium Regem ab inferis reducente, ſic inquit:

Hac & tunc fuſca volucer Deus obſitus umbra
Exſilit ad ſuperos, infernaque nubila vultu,
Diſcutit, & vivis afflatibus ora ſerenat.
Inde per Arcturum, mediæque ſilentia Lunæ
Arva ſuper, populoſque meat: ſopor obvius illi
Noctis agebat equos.

Vergilius lib. Æneidos ſecundo:

Et jam Argiva phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia Lunæ (a).

Vergilii & Valerii Flacci, loci collati.

CAPUT XXXIII.

INgenioſe a Vergilio dictum Quinctilianus affirmat, *Demiſſum lapſi per funem*, Æn. lib. 2. cum Equi lignei altitudinem exponere voluiſſet.

Valerius autem Flaccus, ad oſtendendam arboris proceritatem, alia ratione uſus, admirabile ingenium ſuum declaravit libro ſexto:

Denſior haud uſquam, nec celſior extulit ullas
Silva trabes, feſſæque prius redire ſagittæ,
Arboris ad ſummum quam pervenere cacumen.

Sed & Vergilium imitatus videtur, qui Georgicor. ſecundo ſic inquit:

. —— ubi aera vincere ſummum
Arboris haud ulla jactu potuere ſagittæ,
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.

Viduare

(a) Lunam filentem eſſe comperimus Plinii, nonnullorumque aliorum auctoritate per id ferme tempus, quo eſt in coitu, hic autem, in hunc ait locum Frid. Taubman. Politianus exiſtimat Miſcell. c. 100. *lunam ſilentem* pro minime tum lucente ſumi, tametſi illud plane non oeget lunæ coitum omnino ablegandum, conſpicuumque propterea inde vult fieri quo potiſſimum tempore captum ſit Ilium, id nempe, quod Leſches vetuſtiſſimus apud Græcos Poeta deſignat; quo Auctore pleno luna Orbe Troja capta canitur, illudque Martiali, Valerio Flacco, & Statio probatur, & per *ſilentia lunæ* nox intempeſta perhibetur; hæc tamen ingenioſe tametſi producantur non ita ſunt certa, ut omnem tollant difficultatem, videndi Interpretes plerique apud eundem Taubman., qui Virgilium explicant de Plenilunio, quod ſine veris paullo ante ſolſtitium anno Mundi 2767. capto Ilio addicunt, Politianum nulla ratione ſecuti, jure an immerito ipſi oon dicimus, erudito lectori libenter auſcultaturi.

Viduare ad mares quoque referendum, Servius reprehensus. Vergilius, & Silius collati.

CAPUT XXXIV.

SErvius ad illud Vergilii lib. Æneidos 8.

—— tam multis viduasset civibus urbes.

proprie Viduare ad Urbes relatum, quæ generis sunt fœminini, scripsit; Horatium vero abusive, & satis incongrue, genere masculino posuisse, libro primo Carminum:

—— viduus pharetra
Risit Apollo.

Servium, Silii Italici, viri gravissimi, & in arte dicendi exercitatissimi; auctoritas refellit. is lib. 2. ad genus masculinum Viduandi verbum retulit:

At viduus teli, frustra te proditus illa.

Viduus, translate; *pro Exsuto accipitur.*

Caput Mundi Roma, loci Poetarum collati.

CAPUT XXXV.

ROmam Orbis caput dictam, in Claudii Rutilj Numantiani adnotationibus nostris multis auctoribus probavimus:

Qui dominas arces, & caput orbis habet.

Eo etiam spectat, quod apud Ovid. lib. 5. Fastorum inter legendum, ut, sit, notavimus:

Hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor, & herba,
Et paucæ pecudes, & casa rara fuit.

Et Metam. 15.

Jamque caput rerum Romanam intraverat urbem.

Horatii & Ovidii locus collatus.

CAPUT XXXVI.

QUæ de Mercurii laudibus Horatius scripsit Ode 10. lib. 1. eadem fere Ovidius usurpavit. lib. Fastorum 5. Eodem quoque dicendi genere uterque usus est. Sic Horatius:

—— superis Deorum
Gratus, & imis.

Ovidius autem:

Pacis, & armorum superis, imisque Deorum.
Arbiter, alato qui pede carpis iter.
Læte lyra pulsu; nitida quoque læte palæstra,
Quo didicit culte lingua docente loqui.

Horatii & Claudiani loci collati.

CAPUT XXXVII.

CLaudianus in VI. Honorii Consulatu ostendit, se non ingenii solum viribus excitatum, sed optimorum quoque Poetarum lectione assidua, ad Poeticum

decus, & gloriam perveniffe. Nam ita Horatj ornamenta universa, quæ de nave quassa, & naufraga congesta sunt Ode 14. lib. 1. in suam transtulit, ut nihil aptius, elegantiusve fieri posse videatur.

—— qualis piratica puppis,
Quæ cunctis infensa fretis, scelerumque referta
Divitiis, multasque diu populata carinas,
Incidit in magnam, bellatricemque triremem;
Dum prædam de more putat, viduataque cæsis
Remigibus, scissis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis saucia fractis,
Ludibrium pelagi vento jactatur, & unda,
Vastato tandem pœnas luitura profundo.

Horatius sic:

O Navis, referent in mare te novi
Fluctus: o quid agis? fortiter occupa
Portum. non ne vides, ut
Nudum remigio latus?
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea.

Et paullo infra.

—— tu nisi ventis
Debes ludibrium, cave.

Quid sit apud Vergilium. mare stare. Seneca emendatus.

CAPUT XXXVIII.

Mare semper agitari, fluere, nunquam stare, suapte natura, & re ipsa constat, & a Philosophis proditum est. Quamobrem sunt, qui Vergilianum illud, Eclog. 1. non satis probent:

Cum placidum ventis staret mare.....

Seneca lib. Naturalium V. Vergilii locum interpretatur, ita tamen, ut a rei natura non discedat: *Sic tranquillum*, inquit, *mare dicitur, cum leviter commovetur, nec in unam partem inclinatur. itaque si legeris,*

Cum placidum ventis staret mare....

scito illud non stare, sed succuti leviter, & duci. tranquillum est, quia nec huc, nec impetum capit. Sic est in vetustissimæ impressionis libro: ac mihi magis placet, quam quod in aliis legitur, *Et dici tranquillum, quia nec huc, nec illo impetum capiat.*

Virgilii & Tibulli, loci collati.

CAPUT XXXIX.

Vergilium lib. Æn. VII. eadem comparatione usum in Amatæ Reginæ furentis, & per urbem; sine ullo aut Regiæ Majestatis decoro, aut Matronalis personæ pudore, discurrentis, expositione, quam Tibullus de se extulit lib. 1. Eleg. 5. notavimus. Illud certe discrimen esse animadvertimus, quod apud Carisium lib. Institutionum Grammaticarum primo, est legere. Nam Turbonem

bonem a Vergilio, quem Turbinem a Tibullo, dictum doctissimus Grammaticus testatur: Tibulli versus:

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer assueta versat ab arte puer.

Vergilii autem:

Tum vero infelix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem,
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent, ille actus habena
Curvatis fertur spatiis, stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum.
Dant animos plagæ.

Ad quem locum Servius. *Turben, ut Carmen, a Catullo dictum*, scribit: sed a Carisii sententia discedit: & locus omnino mendosus mihi videtur.

Vergilii locus a Claudiano expressus.

CAPUT XL.

Claudianus merito Vergilii mentem habuisse dictus est, qui Vergilianæ Majestatis non sententias solum admiratus, atque imitatus est, sed verba etiam, & dicendi genera eleganter reddidit. Io Rufinum porro Eclogæ primæ illud feliciter expressit Vergilianum:

Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ:

Sic Claudianus:

Ite mei quondam socii.

An ulla vis veneficiis in amore fuisse sit credita.

CAPUT XLI.

Veneficas insectatur Horatius, & irridet; Canidiamque sibi insultantem, sic loquentem facit:

Plorem artis in te nil habentis exitum?

Afranius autem, vetus Poeta, optimo argumento veneficia non eam habere vim, ut misere quampiam deperreas, acutissime, & suavissime probat:

Si possint homines delenimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.

Formam & obsequium Glyceri plurimum potuisse in Pamphilo, Terentius scriptum reliquit:

Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.

Hæc duo conjunxit Ovidius in Hysipile:

Moribus, & forma conciliandus amor:

Quibus sane artibus si uxores in viros suos uterentur, nullæ omnino altercationes inter eos exorirentur. Illudque profecto contingeret, quod ad conjugalem felicitatem Horatius pertinere prædicat:

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis

Divul-

Divulsus querimoniis.
Suprema citius solvet amor die.

Hæc recte Ethnicos sensisse constat. Certius autem nos Christiani credimus, nullam cogendi vim habere veneficia, inanemque esse dæmonum operam ad compellendam animi nostri libertatem, quod illustri sane exemplo S. Martyrum Cypriani & Justinæ redditur indubitatissimum.

Explicatus Vergilii Locus. Servius reprehensus.

CAPUT LXII.

P*Roprium* pro diuturno, & perpetuo, Vergilius usurpavit, lib. VI.

------ nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.

Eadem plane significatione hoc ipsum verbum A. Hirtius de bello Africo extulit: *Quod proprium* inquit *gaudium bellantibus fortuna tribuere non decrevit*.

Servius ad illum sexti libri versum, *propria dona*, *Perpetua* significare cum docuisset, sententiamque suam exemplo confirmaret, ad illum primi libri locum se contulit:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Dejopejam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Sed tamen in explicatione ejus longe aliter sensit. Propriam enim idcirco dictam scribit, ut adulterii suspicionem removeret. Quare aut Servius sibi non constat, aut locus corruptus est, & interpolatus: quod & verius puto. Equidem non adulterii suspicionem, sed divortii summotam, propriæ vocis adjectione, crediderim, estque repetitio, sive expositio ejus, quod dictum est: *Connubio jungam stabili*. Quæ repetitio, & expositio persamiliaris est Vergilio.

Cur picti Geloni a Vergilio dicti. Claudiani locus collatus.

CAPUT XLIII.

E Xpressit luculenter Claudianus illud Vergilii Georg. 2.

Pictosque Gelonos (*a*).

Qui sic libro in Ruffinum primo scripsit:

Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.

Recte igitur Servius ad Vergilium *Pictos* interpretatur *stigmata habentes*.

Vergilj locus a Claudiano expressus.

CAPUT XLIV.

V Erborum, ut diximus, Vergilianorum observator diligentissimus, atque imitator Claudianus fuisse videtur; quibus sua Poemata, quasi luminibus quibusdam,

(*a*) Uberiora de Pictis Gelonis Taubman. hic profert, Virgilium sic exponens „ Notat plagam mundi Septentrio„ nalem. Sunt autem *Geloni* Scythiæ „ Populi; Turneb. l. 29. 26. de quibus „ & 3. G. v. 461. *picti* dicuntur; vel „ quia maculas habent: ut Cic. 2. Off. „ de Barbaro quodam *notis Threiciis compuncto* meminit, vel quia veste ute„ bantur versicolore: uti de iis Solin. „ c. 19. *Geloni de hostium cutibus, & sibi, & equis tegmina faciunt*. Vel, „ quia *fucato in cæruleum corpore pingebantur*, ut vicini ipsorum *Agathyrsi*.

busdam, resperfit. Bis in usum suum convertit illud libri Æneidos primi:

Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?

De bello Gildonico:

Tanta ne devinctos tenuit fiducia Mauros?

Et de bello Getico:

Tanta ne vos, inquit, Getici fiducia belli
Erigit?

Vergili & Stati loci collati.

CAPUT XLV.

NUmeros, vocesque Vergilianas expressit Statius lib. Theb. 1.

Impastæ fugistis aves, rabidamque canum vim.

ad illud lib. Æneidos quarti respiciens:

Massilique ruunt equites, & odora canum vis.

Vergilii locus explicatus. Prudenti collatus, Servius, & Turnebus reprehensi.

CAPUT XLVI.

PRudentius adversus Symmachum videtur Vergilium interpretatus, qui sic scripserit:

Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ
Traditur exstinctas sumtæ moderamine virgæ
In lucem revocasse animas, Cocytia leti
Jura resignasse, sursum revolantibus umbris:
Ast alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse Chao.

Vergilius vero sic, Æn. lib. 4.

Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Turnebus lib. Adversarior. 24. cap. 26. Servium hoc loco reprehendit, qui *Resignat*, exposuerit, *claudit*, *perturbat*; eamque interpretationem ineptam dicit; ac suam ipse affert longe ineptiorem, voluit enim Maronem respexisse ad veterum Romanorum consuetudinem, qui mortuis in rogo collocatis oculos domi a familiaribus clausos aperiebant. Quid, quæso, commune hominibus cum diis esse poterat? Num vero, quod erat cognatorum officium ad Mercurium pertinere opinatus est? Rectius, petendam ejus loci, & verbi expositionem a Prudentio, dixerim, qui, repetitione elegantissime usus, *Resignat*, esse, *ab inferis excitare*, testatur. *Resignat*, enim *lumina*, est repetitio, sive exegesis, & expositio ejus, quod præcesserat, *Adimit somnos*.

Ante ne an post substantivum collocandum sit adjectivum.

CAPUT XLVII.

ADjectiva præcedere semper, nunquam subsequi substantiva nomina oportere, amicus meus putat; aliter si fiat, carmen esse humile, & ineptum, affirmat. Hunc ego scrupulum exemtum ex adolescentium animis volo. Quare faciendum est mihi, ut totam hanc adjectivorum subsequentium rationem optimorum Poetarum confirmem auctoritate, afferam igitur in medium versus aliquot, qui mihi sese primi obtulerunt, lib. Æn. 5.

Et sævire animis Entellum haud passus acerbis
infra:
—— malo suspendit ab alto.
—— primus clamore secundo.
—— & vincula linea ——
vitamque relinquit in astris
Ætheriis ——
—— docuit post exitus ingens,
Muneribus cumulat magnis. ——
Quamvis felus avem cælo dejecit ab alto.
—— pectore summo.
—— creta Labyrinthus in alta.
Ecl. 7.
—— in montibus altis.
Ecl. 7.
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.
Statius lib. Silvarum tertio, de Coma Earini.
—— quos mole nova pater inclytus urbis
Excolit.
Verg. Ecl. 3.
—— quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Ecl. 4.
— silvæ sint consule dignæ.
— cælo demittitur alto.
— cælumque profundum.
Ecl. 1.
— lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua junco.
—— hic inter flumina nota,
Et fontes sacros frigus captabis opacum.
Georg. 4.
— lucosque sonantes.
Ecl. 1.
Florentem cythysum, & salices carpetis amaros.
Et:
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles.
Ecl. 2.
Montibus, & silvis studio jactabat inani.
Allia; serpyllumque, herbas contundit olentes
At mecum raucis tua dum vestigia lustro
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Lac mihi non estate novum, non frigore desit.
Pan primus calamos cera conjungere plures.

Immensi operis esset, quæ apud Latinæ linguæ optimos auctores ea de re exstant exempla huc congerere. Illud tantum adjungo, ex his paucis constare, ordinem in collatione adjectivorum observari non oportere.

Literarum monumentis, Præstantissimorum hominum memoriam conservari. Ejus rei aliquot Poetarum, Ciceronisque, & Senecæ sententiæ congestæ.

CAPUT XLVIII.

Libenter facio, quod a doctissimis viris factitatum scio, ut ejusdem sententiæ locos undique collectos sub uno fere aspectu statuam. sic enim fit, ut multorum sententiis, quod volumus, facile consequamur. Scriptorum beneficio fortium virorum nomina vivere; contra vero, extingui, & aboleri, Poetarum præsidio destituta, Horatius elegantissime disseruit, libro Carminum 4. Ode 8.

---- neque
Si chartæ sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ,
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, & favor, & lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis,
Dignum laude virum Musa vetat mori.

Et Ode nona:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paullum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Sed & Tibullus carminibus æternam comparari famam dixerat, libro primo, Elegia quarta:

Carmine purpurea est Nisi coma: Carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, vivet, dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.

Lucanus libro nono idem sensit:

O sacer, & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus ævum.

Et paullo infra:

Venturi me, teque legent, Pharsalia nostra
Vivet, & a nullo tenebris damnabimur ævo.

In eandem sententiam omnes eunt Poetæ, quibus assentitur Cicero: is enim pro Archia sic inquit: *Plena exemplorum vetustas, quæ jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet*. Et infra: *Nisi Ilias exstitisset illa, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset*. loquitur de Achille, & Homero.

Seneca vero epistola ad Lucilium XXI. Oratorum quoque, & Philosophorum libris eam vim esse testatur. *Quis Idomenea* inquit, *nosset, nisi Epicurus illum suis litteris incidisset? omnes illos Megistanas, & Satrapas, & Regem ipsum, ex quo Idomenes titulus petebatur, oblivio alta suppressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistolæ non sinunt: nihil illi profuisset Gener Agrippa & Tiberius Progener, & Drusus Cæsar Pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum aperuisset. Profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exserent, & in idem quandoque silentium abitura oblivioni resistent, ac se diu vindicabunt. Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili: habet apud posteros gratiam.*

tiam. Possum mecum duratura nomina educere. Virgilius noster duobus memoriam æternam promisit, & præstat:

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit,

Quoscumque in medium fortuna protulit, quicumque membra, ac partes, alienæ potentiæ fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt, post ipsos cito memoria defecit. Ingeniorum crescit dignatio: nec ipsis tantum habetur, sed quidquid istorum memoriæ adhæsit, excipitur, Hæc Seneca, Sapientissimus Orator, & eloquentissimus Philosophus, pro rei magnitudine, gravissime tractavit. Quæ quam vere dicta sint, nihil attinet disputare. Eorum enim tantum nomina ad nos pervenerunt, qui aut ipsi victura scripserunt, aut alienis scriptis irrepserunt.

HOME-

HOMERI, HESIODI ET VERGILII LOCUS COLLATUS.

Numiſma

INICI DAVALI

CAPUT XLIX.

HOmerus in Achillis clypeo Mundum a Vulcano effictum multis verſibus, quorum unum appoſuimus, Illiados Σ proſecutus eſt:

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν.

quem verſum ſic Latine reddidimus:

In clypeo terram, cælumque effinxit, & æquor.

Ejuſdem argumenti eſt Heſiodi *ἀσπίς*, ubi multa de Herculis clypeo narrantur.

Virgilius vero utrumque imitatus in Æneæ clypeo Æneæ Progentem, & Romanorum res geſtas, Auguſtique navalem ad Actium victoriam, & triumphum expreſſum fuiſſe libro octavo extremo teſtatus eſt. Ad Homeri autem Commentum propius accedit ampliſſimum ex ære Numiſma, ſive, ut in Italia vulgari ſermone loquimur, *il Medaglione*, quod proximo ſuperiore anno Aloysius Ofricellarius, Horatii Clariſſimi viri, Filius, nobis dono dedit, quo in Numiſmate ex altera quidem parte Inici Davali effigiem, & nomen, ex altera vero Mundum, Terram ſcilicet, Cœlum, ac Mare Piſanus Pictor cum ſuo nomine, & ſententiola vulgaribus verbis concepta, Per Wiseva, id eſt, Tibi fit, centum, & eo amplius abhinc annis excuderat.

De recta ſcribendi Vergilii nominis ratione. Diſputatio adverſus Pierium Valerianum.

CAPUT L.

INcredibili me nuper voluptate perfudit Vergiliorum nomen in marmore pervetuſto inſcalptum, quod extra Urbem ſuperioribus menſibus effoſſum, nunc apud Lapicidinam, in area ſancti Laurentii in Lucina, proſtat. Vergilia M. L. Helena. Ejus enim teſtimonio doctiſſimorum hominum ſententiam de recta Vergiliani nominis ſcribendi ratione confirmari, eorumque refelli argumenta, qui Fœminas prænominibus uſas eſſe contendunt, animadverti. Angelus quidem Politianus Miſcellaneorum capite LXXVII. *Vergilium* per ſecundam vocalem, non autem per tertiam, efferendum, ac ſcribendum eſſe Latine, perinde ac vulgari in Italia ſermone proferimus, & lapidibus antiquis, & libris manuſcriptis auctoribus, cenſuit. Ei Achilles Statius Luſitanus, vir totius antiquitatis peritiſſimus, qui mihi in his ſtudiis, dum vixit, maximo adjumento fuit, adſtipulatur, quod ex ejus in Verg. notis, & in Horatium luculentis Commentariis, ſi quando alicujus potentis viri beneficio in lucem prodibunt, intelligetur. Ego in tantorum hominum ſententiam, qui ſemel conceſſerim, ab ea numquam divellar. Nec me movet, quod Pierius adverſus eam ſcripſerit. ſi quidem gentem Vergiliam in antiquis monumentis eſt legere. Et apud Cic. & Hirtium M. & C. Vergiliorum fit mentio. In hanc autem ipſam Gentem adſcitum eſſe Maronem noſtrum Mantua ortum, facile mihi perſuadeo; ejuſque prænomen, ac nomen ſumſiſſe èujus vel beneficio Civitatem Romanam conſecutus, vel familiaritate

usus sit, crediderim. Exstant utriusque caussæ apud Ciceronem exempla, qui ad Acilium Proconsulem libro Epistolarum Fam. 13. sic scribit:

C. Avianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & præter hospitium, valde etiam familiaris: quem Cæsar, meo beneficio, in Novocomenses retulit, nomen autem Aviani consecutus est, quod homine nullo plus est usus, quam Flacco Aviano. Et ad eundem: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. et Dolabella, rogatu meo, Civitatem a Cæsare impetravit qua in re ego interfui. itaque nunc P. Cornelius, vocatur.* Hæc Cicero. Itaque statuamus, Poetam Vergiliæ gentis nomen tulisse. Gentis autem & familiæ Romanæ, Vergilius, nomen est antiquum, ac longe supra Poetæ memoriam. Ridiculum sane est, quod nonnulli de *aurea Virga* somniarunt, unde factum Poetæ nomen sunt commenti. Non enim, dicam iterum, ac tertio, Vergilium nomen Poeta primus adinvenit, neque Vergiliani generis auctor fuit. Sed multis ante ipsum natum sæculis Gentem Vergiliam, & Vergilium nomen invenio. Ac scio, novos Cives veterum Civium nomina accepisse, non sua in Civitatem intulisse. Cum vero tria nomina, quibus Cives tantum Romani utebantur, prænomen, nomen, cognomen Poetarum Principi Vergilio Maroni fuisse constet, eidem quoque Civitatem datam, Gentem, & Tribum fateamur necesse est. Gentis autem Vergiliæ nomen, vel ex hoc, quod supra laudavi, marmore quomodo scribendum sit, intelligi potest.

M. VERGILIVS. M. L. ANTIOCHVS. VNGVENT
VERGILIA . M. L. HELENA
M. VERGILIVS. M. L. HILARVS. MAIOR
M. VERGILIVS. M. L. LVCVLLVS

Eandem scribendi rationem retinet aliud marmor, quod est ad S. Onuphrium:

M. VERGILIO
M . F . LEM
PROCVLO

Et aliud in hortis Carpensibus:

D . M . FESTO
V . E . R . G . ILIO
FORTVNATAE. SER
OPTIMO . BENEMER
FECIT . IPSA. QVI. VIXIT
ANN. XIII.

Et in Hortis Corinthianis:

C . VERGILIVS . MARTA
NVS . COLONVS . &c.

Hos ego lapides conspexi, legi, descripsi, quorum consensu Vergilium, non Virgilium, scribendum esse constituo. Huc accedit, quod Vaticanæ Bibliothecæ liber ille vetustissimus hanc ipsam tuetur secundam vocalem in Vergilio. Eandem scripturam retinet Carpensis liber, qui nunc est Florentiæ cum Pandectis.

Ex Albi Orthographia:

C. VERGILIVS. STRABO

Ex Pierio:

M. VERGILIVS. NARCISSVS
VIXIT . ANN . XIIII

Ex Politiano:

TI. VERGILIVS. DONATVS

Et:

PAPIRIVS. CESTVS. VERGILIAE

OPTA-

OPTATAE. VXORI. SVAE. BENE
MERENTI . DE . SE

Vulsonij :

VERGILI

Ceterum Maronis cognomen Valeriæ quoque Genti appositum reperio in pervetusto lapide, qui est apud Moronos:

SOMN. AETER
Q. VALERIO
MARON . IVN.
QVI . VIX
ANN. IIII.
MENSIBVS . VI
DIEB. VII.

Somnum item æternalem Patavina inscriptio tuetur, cum quo Horatianum illud convenit:

Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urget ?

De Tribu, in qua censeretur Poeta, quid dicam non habeo: non enim in libris Vergilianis est addita: & in illa inscriptione, quam supra retulimus.

M. VERGILIO
M. F. LEM

id est, Lemonia, nomen Tribus: ut sit ex Tribu Lemonia, cujus & Servius Sulpicius Rufus fuerat: de quo Cicero Philippica IX, *Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus*. Nomen autem Tribus post Patris prænomen, & ante Familiæ cognomen plerumque interponi solebat: & ex hoc Ciceronis loco apparet, & ex Cœlii ad Cic. Epistola, lib. VIII. Veteres quoque fere ad unum inscriptiones assentiunt, quas multas Didacus Covarruvias Jurisconsultorum sui sæculi Coriphæus, lib. IV. Variarum Resolutionum attulit. Planum itaque cum ex nominis gentilitii vestigiis, tum ex Romanorum more, VERGILIUM Maronem Poetarum prope Deum, Romanam Civitatem iure consecutum, Vergiliæque genti insertum & marmorum auctoritate, atque Policiani sententia per secundam, non tertiam vocalem scribendum. (*a*) Quale & domi meæ marmor ingens, ære emtum, Vergilii inscriptione asservari, familiares citra controversiam testari queant.

E J U S D E M

Castalionis Jurisconsulti. Ad l. Usufructuarius D. de Usufr. Rudes parietes, & Tectorium quid.

Rudes *parietes* qui vocentur, & quid *Tectorium* sit, non recte per Glossam explicatum videtur in l. Usufructuarius, de usufruct. Nam *Rudes* pro novis, *Tectorium* pro tecto perperam accipitur, ibi, *Usufructuarius novum Tectorium parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest*. Glossæ error errandi ansam aliis, opinor præbuit, in §. His igitur, Inst. de just. & jur. in verbo *Rudem animam*. Ego vero *Rudes parietes* interpretor nondum expolitos non tectorio obductos, non loricatos, non convestitos. tales dicuntur hodie vulgati sermone *Riccitati*: quorum plerique veteres cum sint, rudes tamen adhuc conspiciuntur. Quis enim non

(*a*) Luculenter, quidem, ac docte de *Vergilio* Auct. Nost. Plurima tamen de Virgilii nomine vel prolixiore disputatione absolvit Pierius in Virgilium in fin. Georg., quem, omnia si velit ea in re cognoscere, adeat lector ingeniosus.

non intelligit, apud Neratium cautum esse, incrustationem parietibus, quibus nunquam fuisset, usufructuario inducere non licere, cum ei, si quid inde vetustate corruisset, reponere permissum esset. *Rudes* enim J. C. *parietes* dixit, non quod essent novi, & recentes, sed nudi, horridi, hirti, & non exornati. Hinc ducta metaphora, hominum animi, quantumvis provectæ ætatis, qui nulla disciplina exculti, nulla doctrina, & institutione imbuti sunt, *Rudes* appellantur. *Tectorium* autem non esse tectum, sed parietis illinimentum, sive incrustationem, inde facile percipi potest, quod l. Hactenus, de usufr. Celsus ait, *usufructuarium posse non solum necessarias refectiones, sed etiam voluptatis causa, ut tectoria, & pavimenta, facere.* & l. quod si servus, §. 1. de in rem verso. ubi diserte Ulpianus *Tectorium* in his recenset, quæ ad voluptatem magis, quam ad utilitatem, spectant, quod de tecto ad imbres, cœlique injuriam summovendam comparato non est dicendum; Tectum enim nemo est, qui non oumeret in rebus utilibus, & necessariis. Ceterum Tectorii multas fuisse species, ejusque conficiendi rationem, apud Vitruvium libro de Architectura septimo capite tertio est legere. Tanta vero fuit tectorii apud antiquos crassitudo, & duritia, ut idem Vitruvius dicat, e veteribus parietibus crustas excidi in mensularum, & speculorum usum solitas esse (*a*). Hinc est, quod eximi tectorium a creditore posse Ulpianus, dicit. d. l. Quod si servus, his verbis: *Pati debet dominus creditorem hoc auferre sine domus suæ videlicet injuria, ne cogendus sit dominus vendere domum, ut quanto pretiosior facta est, id præstet.* Et Celsus l. in fundo alieno, de rei vend. *Sufficiat tibi permitti tollere ex his rebus, quæ possis, dum ita ne deterior sit fundus, quam si initio non foret ædificatum; Censuimus vero, ut, si paratus sit dominus tantum dare, quantum habiturus esset possessor, his rebus ablatis, fiat ei potestas. Neque enim malitiis indulgendum est si tectorium, puta quod induxerat picturasque corradere velit, nihil laturus, nisi ut officiat.*

Ad legem CXXXI. D. de Verb. signif. De illo, ante diem decimum Kalend. pro Ant. Augustino adversus Pet. Rebaffum disputatam.

QUam esset illud loquendi genus apertum, & tritum, quod apud optimum quemque Latinitatis auctorem legitur, *Ante diem decimum Kalendarum*, pro eo quod efferri concisius solet, Decimo Kalendas, vel ex Paulli interpretatione facile intelligi potest. is enim libro tertio ad legem Juliam, & Papiam, ex sermonis consuetudine, veluti illustriore quodam, & magis noto exemplo verbum paullo obscurius declarat. Quærebatur porro, an, qui extremo anni die mortuus esset, *Anniculus amissus*, id est, an exegisse annum videretur: & erat qui

(*a*) Tectorium ab eo quod est *opus albarium* differre ea præsertim ratione liquet quod Tectorium sit omne opus albarium, non tamen omne tectorium est album, nam album illud est tantum, quod nuda calce constat, hinc, Veteris inscriptionis extant verba *calce harenata lito, politoque*, liniebant enim veteres primo calce, & arena parietes, inductumque subinde tectorium fricabant, subigebantque liaculis, quæ instrumenta fuere levigando jam inducto tectorio; id autem discriminis non semper exacte servaverunt Auctores, qui non raro una simul *Tectorium*, confundunt, & *Albarium*: Sequiorem postea sexum acriter insectatus Juven. Tectorium usurpavit eleganter pro eo, quod est Graece κατάπλασμα, idest panis quo madido faciem linebant, ac veluti *Tectorio* quodam inducebant, & smegmate, cum ad mœchos irent, ex lacte asinino abstergebant. Sat. VI. 467.

Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit:
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellos.

qui rem in dubium revocaret, contenderetque eum omnino Anniculum dici oportere, qui anno circumacto, eo ipso, quo natus esset, die obiisset. Paullus longe aliter controversiam decidendam arbitratus, *Anniculum* interpretatus est, non qui ipso recurrentis anni natali, sed qui novissimo anni die, hoc est (ut idem paullo infra exponit) tricentesimo sexagesimo quincto die decessisset. Quo autem Jurisconsultus sententiam suam recepto, & minime ambiguo dicendi more confirmaret, ita scriptum reliquit, ut esse in Pandectis Florentinis testatus est Antonius Augustinus, vir undecumque doctissimus, libro Emendationum quarto, capite sexto. *Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur, & consuetudo loquendi ita esse, declarat, Ante diem decimum Kalendarum, Post diem decimum Kalendarum. Neutro enim sermone undecim dies significantur*. Hujus legis sententia ea mihi videtur, non esse natalis diei recursum exspectandum, ut quis Anniculus dicatur, quemadmodum nec significari undecimum præcedentis mensis a Kalendis, exempli gratia, Januarii: Cum dicimus, *Ante diem decimum Kalendar. Januar.* sed decimum ipsum a Kalendis Jan. qui est vicesimus tertius dies Decembris.

Item non intelligi undecimum Januarii diem, sed decimum ipsum, quando sic loquimur, *Post diem decimum Kalendarum*. Dies enim Kalendarum, & dies decimus intra numerum accipiuntur: estque plenior loquendi modus, quam si pronuntietur Decimo Kalendas per compendium. Nam integra elocutio esset *Decimo die ante, vel post Kalendas*; id quod multis ac magnis auctoribus possem docere, nisi recitandis exemplis abstinere decrevissem: unico tantum utar testimonio quinctæ epistolæ Cic. ad Tironem. *Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quinctus nos consecutus non erat. is dies fuit Non. Novembris, inde ante lucem proficiscentes ante diem octavum idus Novembris has literas dedimus*. Plane, ut hoc quoque obiter adnotemus, in plerisque Ciceronis, atque adeo veterum omnium scriptis, pro *Ante diem 3. & 4. Ad 3. & 4.* corrupte legi, a doctis indicatum est viris. Hujusmodi autem passim erratum facile deprehendet, qui ex duabus dictionibus, litteris singularibus sic notatis A. D. quæ ante diem significant, *Ad* præpositionem ab ignaro librario temere conflatam cognoverit. Esse autem hunc locum Pandectarum in vulgatis mendosum, in quibus sic legitur, *Utroque sermone undecima dies significatur*, illud indicio est, quod malam hanc litteram appellat Accursius. *Mala* autem *littera* apud Doctores nostros accipitur pro textu corrupto. *bona* vero *littera* pro lectione germana, & non vitiata, ut ex Bartoli verbis colligitur in lege hoc articulo, de hæred. institu. *Et est*, inquit, *advertendum quod quidam habent hic Quisque, & ista est bona littera; Alii habent hic Quisquis, & ista non est bona*. Hæc ille. Quod si Petrus Rebuffus diligentius expendisset, ac rectius intellexisset, nunquam profecto in illo suo ad tit. de verbor. signification. libro Antonii Augustini correctionem, & sententiam repudiasset; equidem Augustino assentior, & Rebuffi opiniones rejiciendas censeo.

EJUSDEM

Ad l. 1. C. quæ res pignori oblig. posset Alumnum in eo qui alitur, non qui alit adhiberi.

ALumnum, *Alumnamque*, esse qui, quæve alitur, non item, qui quæve alit, facile doctis viris probabo. Illud autem difficilius explicatu est, quod in l. 1. C. quæ res pign. oblig. poss. legitur. Nam ibi Accursius, parum constans, modo filios ex concubina, modo eos, qui aluntur, aut qui alunt *Alumnos* interpretatur. Ac Pratejus se non legisse scribit, qui significatum proprium *Alumni* explicet in specie, d. l. 1. §. Semptoniam l. Codicillis. ff. de usu & usu

fructu leg. Ego, quid censeam, ut potero, exponam, si prius eorum sententiam, qui *Alumni* vocabulum activæ significationis esse contendunt, refutaro. (*a*) Equidem mirari satis non possum, quod iis in mentem venerit, quamobrem contra veterum optimorum Latinæ linguæ auctorum usum *Alumnos* interdum eos dici, qui alunt asseverant. Plautus certe Mostellaria notæ significationis nomen ad amatorem festive transtulit, ducta similitudine a puero, qui ad nutricem se confert. Apud illum Callidamantes sic loquitur:

Ecquid tibi videor mammam adire.
O, Ocellus es meus, tuus sum alumnus.

Idem Pœnulo proprie:

Herus meus hic quidem est, mearum alumnarum Pater:

Verba sunt Giddenemes nutricis. Verg. lib. Æn. sexto:

——— nec Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno:

Idem lib. undecimo:

——— sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno.

Horat. epistolarum lib. 1. ad Tibullum:

Quid voveat dulci nutricula majus alumno.

Ceterum

(*a*) Vel passive dubio procul *Alumnus* usurpatur; exinde tamen activa significatio ab Alumni nomine satis accomode non disjungitur: utimur hac in re Taubman: auctoritate in Culicem. v. 307.

Ipsa magis namque Ida potens feritatis, & ipsa
Acta faces altrix cupidis præbebat alumnis.

ubi de *Alumni* nomine ita eodem auctore erudimur „ *Alumnus auctore Nonio, & passive, & active. Sumitur, id est, tam pro eo, qui alit, quam qui alitur. Cui ob hoc curiosus Valla lib. 6. cap. 1. bos verberat, πιατητικῶς tantum sumi pertendit: quæque ex Cicerone, & Varrone ille exempla affert, alio trahis, Cui, præter alios suffragari videtur, & Scaliger F. ad illud in Ceiri:*

——— Nec & illa quidem, communis alumna.
Omnibus, injecta tellus tumulabit arena?

„ *quando sic annotat: si vera esset hæc lectio non frustra dixisset Nonius alumnam etiam ἀντι τῆς τροφῦ usurpari a veteribus. Quod tamen ex illis testimoniis, quæ ille produxit confirmari non posset. Tamen nihil temere affirmamus; Bene mi Scaliger. Cur enim unanimem tot librorum consensum temere damnemus? Et Nonio quidem recta fronte suffragatur vetustissimus Grammaticus Caper in fragmento de Orthographia: verecunde etiam Isidorus lib. 10. Originum cujus verba sunt: Alumnus ab alendo vocatus, licet, & qui alit, & qui alitur, alumnus dici potest. Sed melius tamen, qui alitur. Accedit tertius Jacob. Cruquius, Brugis olim Humanitatis Professor eximius, qui Varronis sententiam quam Nonius laudavit, contra Vallam sic explanat: Et ecce de improviso ad nos accedit cana veritas, Attica Philosophiæ alumna: Ex veritate, inquit, Philosophia; non etiam ex Philosophia veritas nata est, Quin, & Plinius lib. 3. c. 5. eodem modo utitur. Terra (Italia) omnium terrarum alumna: eadem & parens numine deum electa. Tacitus sive quis auctor Dialogi de Oratoribus: Magna ista & notabilis eloquentia, alumna licentiæ quam stulti libertatem vocant. Ita Servius vulg. ad 8. Æneid. Vector, qui vehit, & vehitur. Alumnus qui alit, & qui alitur: Idem & ad Æn. 11. v. 33. alumnum capit active, Huc ibat & Rob. Stephanus in Foro Rom. quem vide. Atque ut hoc ita sit velit tamen Alumnum ἀντὶ τῦ τροφῦ cum judicio usurpare: nec temere apud promiscuum vulgus. Principem vocarim, alumnum: quod in loco tamen, & apud doctos libere facerem;* censura Vallæ insuper habita.

Ceterum Alumno, Alumnæque, Nutrix, Altrix, Educatrix, Nutritor, Altor, Educator, Respondent. Instit. quibus ex causis man. §. eadem lege: *Justæ autem manumissionis caussæ hæ sunt: veluti siquis patrem, aut matrem, filium, filiamve, aut fratres, sororesve naturales, aut pedagogum, aut matricem, aut educatorem, aut alumnum, alumnamve, aut collactaneum manumittat.* Laurentius quidem Valla egregie hanc partem tuetur, sed injuste Nonium Marcellum accusat. Non enim exempla ex auctoribus, quos eruditissimus Grammaticus laudavit, eo producta sunt, ut *Alumnum* pro educatore acceptum ostendant, neque id Nonius scripsit. Verum mendoso Valla usus exemplari, (in quibusdam enim libris pro Aluntur, Alunt est legere.) Nonium errasse pronuntiavit. Inepte autem faciunt, qui activam in suis lexicis Alumno significationem attribuunt; neque auctorum locos recte expendunt; sed contra, quam scriptum est, accipiunt, atque comminiscuntur multa somnia. Nam quod apud Plinium, legitur lib. 3. caput 5. *Terra omnium terrarum alumna eadem & parens*, de Italia loquitur, cum Alumna pro altrice interpretantur, næ ipsi nihil intelligere videntur. Italiam Plinius terrarum omnium parentem, quæ omnium gentium, nationum, populorum rem, salutem, honestatem, legibus, ac legionibus tueretur; eandem *Alumnam* terrarum dixit, id est, quam vicissim universus Terrarum orbis aleret, commeatu juvaret. Huc pertinent versus Claudii Rutilii Numatiani, cujus Itinerarium elegis elegantissime conscriptum, a nobis emendatum, & adnotationibus illustratum, superioribus annis edidimus. Romam alloquitur:

Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemque suam fertilis orbis alat.

Siquidem Populus Romanus frumento ex Ægypto, atque Africa importato utebatur. quod ex Claudiano discitur, initio libri de bello Gildonico:

Tot mihi pro meritis Lybiam, Nilumque dedere;
Ut dominam plebem, bellatoremque Senatum
Classibus æstivis alerent gemineque vicissim
Litore diversi complerent horrea venti.

Eodem libro tantæ rei frumentariæ comparandæ causam exponit:

Quid mihi septenos montes, turbamque dedistis,
Quæ parva non posset ali? felicior essem
Angustis opibus, mallem tolerare Sabinos,
Et Vejos brevior duxi securius ævum.
Ipsa nocet moles. utinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.
Sufficerent Etrusca mihi, Campanaque culta.

Idem dicendum esset de altero Plinii loco, qui libro naturalis hist. extremo corrupte ab istis producitur, si ita legeretur, ut adnotarunt: *Italia rectrix, parensque mundi alumna.* Non enim *Alumna*, sed *Altera*, rectius omnino in libris emendatioribus legitur. Jam vero, quod ex Q. Curtii libro octavo affertur, non efficit, quod volunt; *Alumnum*, inquit, *vestrum Regem ne deseratis.* Milites monentur, ne Regem suum, apud quos Rex ipse natus, alusque esset, quemque ipsi prope aluisse videbantur, destituerent, non esse peregrinum Regem, non externum, aut alienum, sed civem, nativum, indigenam, atque adeo alumnum profitetur; illud profecto ridiculum est, quod agmen claudit. Producitur e libro primo Cic. de Divinatione versus:

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ:

atque ita exponitur: *Aquæ alumnæ*, idest, quæ alit. idque sensit Marius Nizolius. Quid hoc pinguius, quid ineptius fieri potest? Aquæ attribuitur, quod ad Ranas referendum est. Alloquitur enim Auctor ranas, aquarum alumnas, id quod manifestum fit versus ipsos attentius legenti:

Vos

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes, & stagna cietis.

Quam isti longe a sententia feruntur quam toto errant cœlo. Sed & Jacobus Cruquius in Horatium ad Od. VIII. lib. III.

——— *abeasque parvis*
——— *Æquus alumnis.*

adversus Vallam Varronis locum apud Nonium active interpretatur Varro Eumenidibus:

Et ecce de improviso ad nos accedit cana veritas,
Atticæ philosophiæ alumna, &c.

Ad quem locum Cruquius inquit, *Ex veritate namque philosophia, non etiam ex philosophia veritas nata est.* Quid absurdius? Immo a philosophia veritas fovetur, alitur, educatur, si non nascitur. Veritatis igitur altrix, nutrixque philosophia est, quod Cruquius non vidit, Neque aliter accipiendus est Corn. Taciti locus de claris Oratoribus: *Est*, inquit, *magna ista, & notabilis eloquentia alumna licentiæ, quam stulti Libertatem vocant*. Hæc Tacitus. Licentia enim eloquentiam notandam, & animadversione dignam foveri, alique significat, non ex eloquentia licentiam ortam esse, ut inepte putat Cruquius. Cicero quoque de claris Oratoribus hoc dicendi genere usus est: *Pacis est*, inquit, *comes, otijque socia, etiam bene constitutæ civitatis quasi alumna quædam eloquentia*. Quis non videt, bene constitutam Civitatem esse eloquentiæ altricem? Nunc ad primam Legem Codicis, titulo, quæ res pignori obbligari possunt, aggrediamur. *Alumnos tuos & ceteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conventione, quæ de nobis tuis facta est, in caussa pignoris non fuisse rationis est*. *Alumnos* Accursius, ut dixi, incertus est quo pacto accipiat, nam modo filios ex cuncubina, modo eos, quos aluisti, aut qui te aluerunt, opinatur. In Accursii sententiam a Doctoribus passim itur. Ego *Alumnos*, de quibus mentio fit in d. l. I. servos esse Vernas, quos sibi quis a teneris, ut ajunt, unguiculis peculiariter educaverit, sine ulla dubitatione edissero. Quis enim posset specialiter obligare liberos homines? Operæ autem pretium facturus mihi videor, si paullo altius disputationem repetam. Alumnum constantissime eum tantum optimus quisque Latinitatis auctor dixit, quemcumque quis aluisset, cui respondet, ut dixi, Altor, Nutritor, Educator. Nec interest, servusne, an liber sit, qui alitur, superiorve, aut inferior. De Pallante, Evandri Regis filio, Acetis armigeri alumno, Vergilius lib. Æneid. XI. cecinit:

Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetæ
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit, sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis caro datus ibat alumno. (*a*)

Sic ipse Æneas Cajetæ nutricis alumnus fuit, potentior hic, illa humilior. Hoc autem alumnorum genus nihil ad eam legem pertinet. Domini servorum quoque fidei liberos suos alendos committebant. Ne hoc quidem genus ad rem. Nascebantur ex ancillis propriis apud dominos servi, iique Vernæ vocabantur. ex

(*a*) Hic item ad Virgilium dilucida expositione sic fatur Taubman. nomen alumni erudite perpendens „ Servius: „ *Alumnus est, qui Græce* τρόφιμος *dicitur. quod nomen quia in latinitate* „ *non est, ut ab eo quod est nutritor, inveniamus eum, qui nutritus est transit* „ *ad nomen aliud*, & Alumnum *dixit* „ Hæc ille. Et sunt in eruditis, qui „ contendunt, sicut τρόφιμος *Nutritorem*, „ & *Nutritum* significat, ita & *Alumnum* „ latinis. Immo & active, & passive „ *alumnum* capi, curiose contra Vallam „ docuit Cruquius ad Horat. 3. Oda „ 18. C. Barthius ad Ceirin.

ex iis, siquos dominus specialiter aleret, neque inter ceteros tolli, educarique in servorum grege, ac multitudine pateretur, Alumnos suos appellabat; quasi dixeris Vernas, & peculiares servos, quanquam non ignoro, peculiarem servum dici, qui in filii quasi peculio sit: De hoc Alumnorum genere lex nostra loquitur. Alumnos item Acron apud Horatium Ode 18. lib. 3. pro Vernis sumi, auctor est. Vernulas enim interpretatur, quos Horatius parvos alumnos dixerat, quibusque dominus timebat. Quare Horatius precatur Faunum, qui infantibus infensus credebatur, ne parvis alumnis, id est, servis infantibus noceat. Ecce tibi Altor dominus, Alumnus servus. Servilis ergo notæ Alumnus censendus. Interdum tamen eveniebat, ut Alumnus manumitteretur, & e servo liber fieret. neque certe ob eam rem Alumni nomen aboleretur, sed retinebatur, statu mutato, ad indicandum, quo is loco apud dominum fuisset. *Est e regione Hospitii Peregrinorum Trinitatis elegantibus incisum literis marmor antiquitatis refertissimum, quod huc spectat.*

M. LIVIVS. AVG. L. SECVNDIO
ACCENSVS. DRVSI. CAESARIS
ET. ALUMNVS
M. LIVIVS. M. F. POL. MACEDONIC. F
IVLIA . TERTVLLA . VXOR
M . LIVIVS. *M.* L. PROSPER

Eundem Libertum, & Alumnum legimus, ex eo videlicet libertorum genere, qui cum in servitute nati essent, gratiores tamen, acceptioresque dominis, vel dominorum filiis essent. Secundionem Servum Drusus Cæsar, Ti. Augusti filius, sibi educaverat. Eundemque postea manumissum a Ti. Aug. Patre, libertumque Augusti dictum, Accensum esse suum voluit. Accensi autem erant liberti, qui magistratibus apparebant, ac præsto erant.

Est & alia inscriptio apud Alberinos.

AVIDIO. SPARTACO
PATRONA
ALVMNO
B. M.
P. Q.

Cum lapidibus faciunt digestorum libri. l. liberto suo, §. largius. de annuis legatis. *Pecuniam*, inquit, apud Scævolam testator, *quam Titio liberto meo, & Alumno legavi, esse volo penes Publium Mævium usque ad vigesimum quinctum annum ætatis ejus, proque ea computari cum eo usuras quadrantes.* Vernas quoque non Servos sed Libertos, in veteribus monumentis reperio. E Vernis, scilicet Servis Libertos factos dixeris.

In Colle Hortulorum, sive Monte Pincio, in hortis, quos magnificentissime extruxit, atque instruxit Regio sumtu, Statuisque, tabulis, & inscriptionibus antiquis exornavit clarissimus antiquitatis vindex, Ferdinandus, Magnus Etruriæ Dux.

SECVRITATI
COGNATIONIS. SVAE
FORTVNATVS. AVG. L.
VERNA. PATERNVS
AB. EPISTVLIS
ACCENSVS. PATRON
DIVO. AVG. VESPASIANO
LICTOR. CVRIAT
VIAT. HONOR. DEC. COS. ET. PR.
ET. SIBI. ET
EPAPHRODITO. AVG. L
AB. EPISTULIS. FRATRI. SVO

Cum hoc consentit lapidis Inscriptio , a nobis in Capitolio decerpta. unde feminam feminæ libertam, eandem & Vernam intelliges.

DIIS. MANIBVS
IVLIAE. D. LIB. HELPIDIS
VIXIT. ANNOS. XVI.
MENS. VIII. DIES. DVOS
IVLIA. IRENA FECIT
VERENTAE. SVAE. CARISSIMAE
BENEMERENTI. ET. SIBI. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
EORVM

Et apud Fusconios:

DIIS . MANIBVS
N . SATIRI
AVGVSTALIS
SATRIA
NYMPHAE
VERNAE . SVO
CARISSIMO
VIXIT. ANN. XXII.
M. I. DIEBVS. IV

Libertum fuiſſe Auguſtalem , non autem ſervum , intelligo , quem Satriæ Gentis nomine, & Numerii prænomine auctum video. N. Numerium ſignificat. *Ad rem quoque facit lapis in hortis olim Carp.*

D. M.
Q. VOLVSIO . AVGVSTALI
VIXIT. AN. XI. D. XXI.
Q. VOLVSIEVS . DEXTER
VERNAE . SVO

Vernam hoc loco non ſervum, ſed libertum, dixeris. Cui enim prænomen, & familiæ Romanæ nomen adjungitur, Liber, & Civis Romanus ſit, neceſſe eſt. Quod vero ſequitur, in dubio eſſe poteſt, num de ſervo, an de liberto dicatur.

EVHEMERO
CAESARIS . N
VERNAE . PEDI
SEQVO . VIXIT
ANNIS. XXIII. MENS
IBVS. VIII. DIEBVS
V. AELIA. SVCCESSA
MATER. FILIO. BENE
MERENTI . FECIT

Libertum potiùs puto , cujus mater ex gentilicio nomine libera cognoſcitur, quique tum matris commendatione, tum ſuis meritis facile libertatem ab indulgentiſſimo Principe impetrare potuit. Neque ſolum Vernarum, Alumnorumque vocabula ad libertos extendi, ſed etiam ſervorum appellationem in ipſa libertate retentam video.

D. IS.

D. IS. MANIBVS. DEXTRI
CAESARIS. SERVO. DI
AETARCHO. DOMVS
AVG. TREBONIA. LAV
DICE. FEC. CONIVG. B. M.
CVM. DVABVS. FILIS. FOR
TVNATA. ET. FELICE

Servus dicitur, quem libertum esse constat. conjux enim servo non erat, sed conturbernalis, neque ex libera servus liberos suscepisse dicebatur. liberam autem ejus uxorem fuisse, ex eo cognoscimus, quod nomini proprio peregrino, familiæ nomen Romanæ proponitur Trebonia Laudice.

DIS. MANIBVS
FLAVIAE. ATHENAIDI
APOLLONIVS
IMP. DOMITIANI. AVG.
GERM. SER. PECVL. ET
FLAVIA. PALLAS. PARENTES
FILIAE. CARISSIMAE. FECER
VIXIT. MENSIBVS. VIII. DIEBVS. XXVI.

Servum peculiarem Imperatoris, non qui servus eo tempore esset, sed qui olim ejus loci fuisset, dictum puto. Papin. Statius Earinum Domitiani Libertum in præfatione libri tertii Silvarum his verbis nominat: *Earinus præterea, Germanici Dei nostri libertus.* Eundem Cæsaris servum in Coma dicit:

Quos tibi Cæsareus donat Puer......

Cæsareum Puerum Cæsaris servum interpretor, non qui servus re ipsa sit, sed qui fuerit antequam manumitteretur. Huc accedit, quod non libertinæ tantum conditionis homines, sed plane ingenui servos se Imp. Domitiani profitebantur, quod ille Dominum se Deumque ab omnibus dici præcepisset: auctor Svetonius.

Apud Cæsios.

FLAVIA. AVG. L. DORIS
FECIT. SIBI. ET
IDEO. CAESARIS. N. SER
CONIVGI. SVO. ET
EPAFRODITO. FIL
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
EORVM

Et apud Fusconios.

QVINTILIA. DONATA
FECIT. SIBI. ET. CONIVGI
SVO. AC. MAZONTI
CAESARIS. NOSTRI. SERVO
ET. DAPHNICO. FILIO. HVIVS
QVI. VIXIT. ANN. XVII. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. POSTERIQVE
EORVM

Et

Et in templo S. Mariæ de Monte Serrato.

FORTVNATVS
CAESARIS . SER
NIGOMAC ⊣IANVS
PATER . ET
SEXTILIA . PRIMA
MATER . FILIAE
PIISSIMAE . FECERVNT
ET . SIBI . ET
MOSCHINI . CONLACT
VIXIT . ANNIS . XV. MENS . IIX.

Illud obiter hoc loco notandum est. in nomine Nicomachianus literam illam inversam, sive dimidiatam, ⊣ adspirationis esse notam, pro integra H, quæ ad MOSCHINI nomen adhibita est. Hujus notæ confirmandæ gratia libet proferre *inscriptionis exemplum ex ædibus Hieronymi Pici a nobis desumtum*.

STATAE . FORTVNAE . AVG
SACR.
SEX . FONTEIVS . Ɔ. L. ƷOP⊣IMVS
CN. POMPEIVS . CN. L NICEP⊣OR
MAG. VICI
SANDALIARI . REG
IIII. ANNI . XVIII
D. D

Ex iis, quæ a nobis allata sunt, constare arbitror, *Alumnos* esse quicumque alerentur, non autem qui alerent, sive liberi, sive servi, sive potentiores, sive tenuiores. Nunc, videndum est, an recte Accursius *Alumnos* filios interpretetur. Dicam Libere. Accursio imposuerunt Grammatici. Unde ille didicit, *Alumnos* esse interdum nutritores, interdum filios. Servius ad illum Vergilii versum lib. Æn. sexto.

Nec non & Tition terræ omnipotentis alumnum,

Terræ alumnum Tition a terra enutritum, & terræ filium, dicit, *secundum varias de Titii matre opiniones: ac Vergilium sermone, quo utrumque significaret, usum esse, scriptum reliquit*. Ego, quanquam Poetis summam in verbis licentiam esse sciam, censeo tamen apud Vergilium proprietatis amatorem proprie *Alumnum* pro alto, atque a terra educato, non autem pro filio, positum. Tition enim, Jovis, & Floræ filium, a Terra nutrice, non Parente, enutritum, fabulantur Poetæ.

Petrus Victorius libro Variarum lectionum vigesimo tertio, apud Nonium pro Filia *Alumnam* a Varrone dictam putat: cum Eumenidibus inquit:

Et Ecce de improviso ad nos accedit cana veritas,
Atticæ philosophiæ alumna, &c.

Ego vero Atticam philisophiam veritatis non parentem, sed nutricem existimo. Nam veritas, undecumque orta, ab Attica Philosophia nutritur. Quis enim dixerit solis Athenis philosophorum præcepta veritatem enixa? Num sine philosophia verum quis non loquitur? num mendaces omnes homines, præter Atticos? Alit quidem philosophia veritatem, non gignit. Sic Cicero *Civitatis bene constitutæ alumnam eloquentiam*: sic Tacitus *licentiæ alumnam notabilem eloquentiam* dixit, quæ aleretur, atque enutriretur. Ceterum, qui fieri potuit, ut Accursius, qui omnes fere leges evolvit, excussit, contulit, hoc scripserit? Ego

in

in Juris civilis, qui exstant, libris non inveni *Alumnos* neque pro nutritoribus, neque pro filiis acceptos. Imo ne loco quidam filiorum *Alumnos* fuisse, disertissime sancitum est l. si quis alumnam. C. de nuptiis, *Si quis* inquit Imperator, *alumnam suam libertate donaverit, & in matrimonio suo collocaverit, dubitabatur apud antiquos, utrum ne hujusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque, vetustam antiquitatem decidentes, non esse vetitum matrimonium censemus*. Quid igitur Accursius somniavit, *Alumnos* esse ex concubina filios? Num Patri cum filia naturali Imperator Christianus matrimonium legitimum esse vetuit? Apage nugas istas nefarias, & *alumnos* interdum servos, interdum liberos fuisse, referrique ad altores, educatoresque concludamus: ut sint hæc distincta, Alumnus, Altor, sive Nutritor.

Apud Delphinos sic legi.

D. M

M. AVRELIO. AVG

LIB. ISIDORO. MEL

LO. PROXIMO. A.RATIO

NIBVS. AVRELII. HER-

MES. ALVMNVS. F. T. GLY

CON. NVRITOR. ET

MAXIMVS BENE

MERENTI. FE-

CERVNT

Et l. XIII. ff. de manumissis vindicta. *Si collactaneus, si educator, si pedagogus ipsius, si nutrix, vel filius, filiave cujus eorum, vel Alumnus*. Jam vero, pro servis, quos Dominus educasset, supra citatis legibus ostendimus, eosdemque manumissos, & liberos factos, *Alumnos* tamen appellatos docuimus, ut l. legem, C. de pact. *Legem*, inquit Imp. Alexander, *quam dixisti, cum dotem pro alumna dares, servari oportet, &c.* Et l. 14. ff. de manum. vind. *Alumnos magis*, inquit Martianus, *mulieribus est conveniens manumittere, sed & in viris receptum est: satisque est permitti eum manumitti, in quo nutriendo propensiorem animum fecerint*. l. Codicillis, §. qui Semproniam, ff. de usu, & usufr. leg. *Qui Semproniam*, inquit Scævola, *ex parte decima, & Mæviam ex parte decima alumnum ex reliquis partibus instituerat hæredes, curatorem alumno dedit, cum jure facere putaret, & curatoris fidei commisit, ne pateretur fundum venire, sed, cum Sempronia, & Mævia nutricibus suis frueretur reditu ejus, & & in ima parte testamenti ita adjecit, omnem voluntatem meam fidei hæredum meorum committo. Quæsitum est, an tertia pars usufructus fundi nutrices ex fideicommisso petere possint, quamvis curator ei receptus sit, quem jure dare non potuit alumno. Respondi, secundum ea, quæ præponerentur, utiliter fideicommisso voluntatem suam confirmasse. Id igitur cuique dedisse, ut & nutrices una cum alumno reditu fundi uterentur*. Apertum, manifestumque esset jam credo, *Alumnos* ser-

vos fuisse, quos dominus penes se natos speciali affectu aleret, eosdemque, cum visum esset, libertate donaret, legatis insuper prosequeretur, ac fidei suorum commendaret, si quis id ætatis esset, ut aliena tuitione egeret. l. a filio, ff. de alimentis, & lib. leg. *Mævio infanti alumno meo quadraginta dari volo, quæ peto a te suscipias Seja, & usuras ei quincunce in annum usque vigesimum ætatis præstes, eumque suscipias, & tuearis*. Jucundum vero, atque in primis elegans Angeli Colotii epigramma, neque omnino ab hac nostra de *Alumna altricisque* vocabulis disputatione alienum videtur, quod pari memoria, pronunciandique suavitate mihi Fulvius Ursinus, vir singulari ingenio, judicio, eruditione, ac virtute, recitavit.

Sunnascentem hederam trabeati in colle Quirini
Nutrierat densis quercus opaca comis:
Nunc, quia, victa tuo, viduata est frondibus arbos,
Pro merito altricem vestit alumna suum.

F I N I S.

LUDOVICI
CARRIONIS
ANTIQUAR. LECTION.
COMMENTARII III.
EJUSDEM
EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM
LIBRI II.

LUDOVICI CARRIONIS
ANTIQUARUM LECTIONUM
COMMENTARIUS PRIMUS.

LUDOVICI CARRIONIS ANTIQUAR. LECTION.

COMMENTARIUS PRIMUS.

Anna Perenna unde dicta. Macrobius, Agellius, Martialis, & Varro emendati.

CAPUT I.

MUlta mihi sunt impedimento, ne meos sacrorum Romanorum fastos, sive de veteri jure Pontificio libros, jamdudum in adversariis per me affectos, amicis meis atque adeo omnibus harum artium vere liberalium studiosis perfectos tradam. Interea tamen constitui, nonnulla ad veterum scriptorum emendationem pertinentia, loco ibi alieniore posita, dum illi perpoliuntur, inde desumere, & his meis Antiquarum lectionum Commentariis inspergere: universi operis vulgo quasi specimen quoddam denique exhibere.

Igitur ut a Martio, id est, eo mense, quem Anni principem sub Romulo fuisse accepimus, initium sumamus: scribit Macrobius (1) id verum esse, ex hoc maxime probari, *quod ab ipso Quinctilis quinctus est: & deinceps pro numero menses numerantur: Hujus etiam die prima ignem novum Vestæ aris accendi solitum: ut incipiente novo anno cura denuo servandi ignis inciperet, eodem quoque ingrediente mense, tam in Regia & Curiis, quam Flaminum domibus Laureas veteres novis Laureis mutari*. De quibus Ovidii (2) hae quidem in parte ad verbum a Macrobio imitati illa sunt:

Neu dubites primæ fuerint quin ante Calendæ
Martis: ad hæc animum signa referre potes.
Laurea Flaminibus quæ toto perstitit anno
Tollitur: & frondes sunt in honore novæ.
Janua tunc Regis posita viret arbore Phœbi,
Ante tuas itidem Curia prisca fores.
Adde quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.
Denique quinctus ab hoc fuerat Quinctilis; & inde
Incipit, a numero nomina quisquis habet.

Addit Macrobius (3). *Eodem mense & publice & privatim ad annum perennem sacrificatum itur, ut annare perennareque commode liceat*. Quæ verba, ut vulgo quidem scribuntur, specie recta sunt; re & veritate vitiosa, itaque scripserim: *ad Annam Perennam*: vel ipsius, quem dixi (4) auctoritate motus.

Nec mihi parva fides annos hinc esse priores:
Anna quod hoc cœpta est mense Perenna coli.

(1) *Lib. 1. Satur. cap. 12.*
(2) *Lib. 3. Fastor.*
(3) *Macrobius cap. eodem Correctus.*
(4) *Ovidius lib. 3. Fast.*

ET:

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ
Non procul a ripis advena Thybri tuis.

De qua M. Varronis locus mihi hoc tempore corrigendus est, a magni aliquot nominis viris temere tentatus antea. Ejus apud Agellium (1) ex satyra Menippæa, quæ *sciamachia* dicam an *Criomachia*, inscribitur versus hi sunt:

Theanna & Peranna, Pranda Celato, Pales
Nerienes, & Minerva, Fortuna ac Ceres.

Quorum priorem qui ita se constituere posse existimant,

Te Anna & Peranna, Pranda, Celato, Pales.

multimodis falluntur, neque enim vident, quod tamen visu facillimum erat, non duas easque diversas Deas, sed unam implorari, eundem deinde, *Perannam*, iidem illi non recte indigitant, nam sive ab amne perenne, ut ipsa apud eundem Poetam vult.

Amne perenne latens Anna Perenna vocor (*a*);

sive a temporis & annorum perennitate, ut Macrobio placuit: sive denique,

Pace domi facta signum posuere perenne,
Quod sibi defectis illa ferebat opem:

ex quacunque, inquam, earum caussarum nomen illi Veteres dederunt; *Perennam*, non, *Perannam*, dici oportuit, cui qui operantur,

Sole bilares vinoque calent, annosque precantur
Quot sumunt cyathes; ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

ET:

Sunt quibus hac Luna est, quia mensibus impleat annum;
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies qui te Nymphen Atblantida dicant;
Teque Jovi primos Anna dedisse cibos.

Hanc autem Deam Ariciæ coli solitam testis est Martialis (2) ut quidem in vetere familiaris mei Petri Divæi, omnis historiæ & antiquitatis studiosissimi & scientissimi libro legi video:

Sive Numæ conjunx Trivia te misit ab Anna.

nam & vulgo & in aliis aliter, sed ad Varronem (3) cujus verba ita scribo:

Ted Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Nerienes & Minerva, Fortuna, ac Ceres.

Scribo, *Ted Anna*; antiquorum in literis hujuscemodi interponendis consuetudinem sequutus: cujus litteræ interjectioni errorem illum, *Theanna*, libenter assignare soleo: nisi quis litteram eam nihil necessariam esse dixerit, & hiatum,

(1) *Agellius lib.* 15. *cap.* 21.
(2) *Martialis* 6. *epigr.* 47. *emendatus.*
(3) *Varro correctus.*

(*a*) Non injucunde fortassis huic addenda sunt carmini quæ Lil. Gyrald. exaravit Hist. Deor. Syntagm. 1. „ sunt „ qui Lunam putarint quæ Anna vo„ caretur quod *annus* ex mensibus fiat; „ Alii unam Atlantidem dixerunt, „ quæ Jovi ubera præbuerit. Alii Io, „ quidam & Themin. Nonnulli hanc „ historiam recitant: cum Plebs in „ Aventinum secessisset, Annam quan„ dam vetulam ferunt quæ Bovillis „ oriunda erat, placentas quasdam ru„ sticas plebi detulisse, cui commeatus „ defecerat, mox Pace sequuta beneficii „ *memores* statuerunt, ut perenne no„ men ejus coleretur; & Anna Peren„ na nuncupata. Utrumque scribit Ma„ crobius primo mense, hoc est Martio „ consuevisse Romanos publice, & pri„ vatim ad Annam Perennam sacrifi„ catum ire, ut annare & Perennare „ commode liceret.

hiatum, de quo alibi dicemus, admittat. Fuit etiam tempus cum posteriorem illum versum paullo aliter legerem:

Te Nerienes, Minerva, Fortuna, ac Ceres.

quomodo mihi quidem oescio quid amplius venustatis habere videtur.

Varronis & duum locorum Pacuvii apud Nonium, item alterius apud Festum correctio.

CAPUT II.

INsabidi sint oportet ac nullius palati homines: qui cum reliquas, ex dubiis illis Attii, Pacuvii, & cæterorum de hoc geoere veterum Poetarum cænis delitias degustant, oon continuo incredibilem earum suavitatem sentiunt: sed illas, veluti nauseabundi, aversantur. Sane si quando Hispanici illius mihi in mentem venit;

Attonitusque legis terrai frugiferai

Attius & quicquid Pecuviusque vomunt:

noo tantum ridere perversum eorum de Poematis pangendis judicium, sed etiam projectam sæculi illius de alieno opere bene facto, male judicandi audaciam deplorare & pæne pelvim poscere, soleo. Igitur ego, ut homines, credo, sani omnes, & antiquorum Poetarum scripta libenter lego, & dum mirificam legendo voluptatem capio, magnum in iis, quæ restant, emendandis studium pono. itaque ex eorum uno, Pacuvio videlicet, jam olim mendum sustulimus: idque iis in scholis indicavimus, quæ annis superioribus in Valerium Flaccum mille locis a nobis emendatum edidimus. cum enim apud Nonium (1) legeretur:

Barbaricam pestem sabinus nostris obtulit

Nova figura factam commissam infabre:

Vestem, non, *pestem*, *navibus*, non, *sabinus*, scribi oportere docuimus: & quicquid verborum erat, in numerorum rationem coegimus. Addantur nunc alii ejusdem Poetæ versus non minus, immo aliquanto amplius, depravati, suisque numeris confusi; &, quantum potest, a nobis corrigantur. Festus: *Vastum*, ait, *ponitur pro inani*. *Pacuvius*. *Quales scabres quod inculta Vastitudine*. ad quæ verba Antonius Augustinus vir summus, &, ut ejus amplitudo & præclara omnium scientiarum cognitio meretur, nonnisi cum honore oominandus, monet Pacuvium (2) apud Nonium (3) scribere:

Quæ desideria alumnum? panitudines.

Quales, scapresque inculta Vastitudine.

Quæ scriptura etsi omnem io partem recta non est; tamen me ad eam, quæ recta est, investigandam quasi manuduxit. rectam ne esse existimem in caussa est, constans librorum Nonii variis locis in aliam consentio: & diversa Nonii ipsius certorum verborum interpretatio. Qui nisi me fallit, ut certe oon fallit, & Festus, & ille ipse, quem dixi, Nooius hunc io modum corrigeodi sunt: *Pacuvius Teucro:*

Quæ desiderio alumnum, pænitudine

Squalles, scapresque inculta vastitudine.

Scapres, pro, *scabres* Pacuvium dixisse ootat Marcellus, quod a viris quibusdam doctis Nonium non ita pridem emendare aggressis, in tanta veterum librorum, quibus usi sunt, copia animadversum non esse, per mehercule miror. Varro certe eadem illa ita coojunxit, ut jam iis noo pro verbis, liceat ita loqui, sed pro do:

(1) *Nonius in vocibus*, Iosabre, & Committere.

(3) *Pacuvius Teucro*.

(3) *Nonius*: *Alumnus*, *Pænitudo*, *Vastitudo*, *Scapres*.

nominibus usus fuerit, verba ejus Manio apud Nonium (1) corrupta, sic emendo: *squale scapreque illuvie & vastitudine*. quod certe facit ut dubitem scripseritne Pacuvius, *Squalle, scapre atque inculta vastitudine*. quod alii viderint; ipsi viderint.

Panda, Pantica, Ceres, Nonius, & Varro de vetere libro correcti.

CAPUT III.

Quod me superiore capite, dum de *Anna Perenna* ageretur, fugit scribere, in Varronianis illis versibus suum deæ Pandæ nomen, quod prioris ætatis incuria mutaverat, esse restitutum: nequis id temere & sine certa ratione a me fieri calumnietur; libet nonnullas restitutionis illius caussas in medium afferre: & earum quantum quæque valeat, cuilibet volenti existimandum relinquere. Deos deasve pro diversa dignitatis, officii, potestatisve ratione, diversis etiam nominibus appellari consuevisse, res est in vulgus nota, & hujusmodi, ut ad eam probandam nihil sit necesse magnam orationem comparare. Itaque quam venatores Dianam dicunt, eandem parturientes in comœdiis Junonem Lucinam invocant;

Tu Lucina dolentibus,
Juno dicta puerperis.

& qui alicui Deo sacra faciunt, cum ignorent quo is nomine potissime delectetur, nullum eorum, quæ ei tribui solent, scientes omittunt ex quo illud in carmine sæculari:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari
Seu genitalis.

Deos videlicet religiosa antiquitas obsequentiores, magisque sibi propitios fore credebat, si, quo quisque nomine gaudebat, eodem compellaretur. Eodem loco istam Varronis invocationem ceoseri, & ad Cererem referri oportere, parum abest, quin asseverem quæ enim vulgo *Ceres*; ea in sacris *Panda* vocabatur, qua in re cui potius quam eidem Varroni testimonium denunciabo; qui illud ipsum libro de vita P. R. primo apud Nonium scriptum reliquit? sed præstat Nonii verba, ut in veteri libro bibliothecæ Elnonensis præscribuntur, & vero ut scribi debent subjicere: sic enim id quod dico melius intelligetur; simul Noni & Varronis loci, immane quantum depravati, emendabuntur. *Pandere*, inquit Nonius, *Varro existimat ea caussa dici, quod qui ope indigerent & ad asylum Cereris confugissent, panis daretur: pandere ergo quasi panem dare: & quod nunquam fanum talibus clauderetur. De vita populi Romani libro I. Hanc deam Ælius putat esse Cererem. sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum a pane dando pandere, quod est aperire*, qui locus Varronis ex sententia Ælii, cui Varro operam dedit, manifeste, ni fallor, de Panda accipiendus est, (3) ab ea tamen aliam nominis illius rationem neque eam incommodam quivis facile reddiderit. Auctor est enim Arnobius, (4) scriptor eruditus & vetustus, quod Tito Tatio, Capitolinum ut caperet Collem, viam pandere atque aperire permissum fuerit, Deam *Pandam* esse appellatam, vel, *Panticam*. sunt alii qui Deam pacis esse volunt, eo quod pacis tempore urbium portæ aperiantur. ex quo glossarium Latinum, *Panda*, inquit Εἰρήνης θεός de pranda, nusquam equidem ullum, quod sciam, verbum.

Noni

(1) *Varro apud Nonium*, *II.* Juvies, & Vastescant *correctus*.
(2) Parro lib. 1. de vita P. Remendatus.
(3) *Nonius Pando, emendatur.*
(4) *Arnobius adversus Gentes lib.* 4.

Nonii errores notati. dedico. depetigo. Nonius & Lucilius duobus locis, item Ausonius emendati.

CAPUT IV.

INfiniti sunt in Marcelli Commentariis errores: & eorum plerique ejus generis, ut scriptori ipsi, non autem, quod in aliis solet, librariis debeant assignari; & tamen Poetis ab eo laudatis magnæ sæpenumero fraudi sint. Nolo jam ingentia boni illius viri facinora commemorare, sat erit uno atque altero exemplis, verum esse id quod dico, vincere, *Dicare*, inquit, *est tradere*. Lucilius

Juratum se Uni, cui sit data adæque dicata.

Quibus in verbis paucissimis, duplici errore erratum est. nam & *dedicare*, non, *dicare* scripserat Lucilius, & Nonius (1) versum Lucilianum referens, *deque* non, *adæque juratam*, non, *juratum* posuerat, igitur de eorum sententia, quos jam dixi.

Juratam se uni sit data deque dicata.

scribendum censeo. tmesis nimirum, figura huic poetæ domestica, ignorata Nonio errorem objecit: Nonii interpretatio alios porro in alium errorem traxit. Occurrit nunc alius, huic par, immo geminus ejusdem Lucilii (2) locus, in quo eandem non Nonii modo, sed etiam librariorum culpam agnoscas licet. qui tamen, quod necessario habeo præfari, non a me, ne quis erret, sed a *L. Fruterio* olim castigari meruit; *Fruterium* cum nomino, incredibili quadam doloris magnitudine animum mihi pertentari sentio, præ qua equidem quomodo de singulari ingenii illius præstantia, absoluta judicii integritate, perfecta omnium disciplinarum cognitione, summo denique vitæ & morum candore aut quod volo eloquar, aut quod dicere debeo, taceam, omnino non invenio; vixisset, neque ad maximam ingenii & doctrinæ laudem efflorescens medio honestissimarum actionum curriculo immatura morte abreptus fuisset: aut, quod huic proximum erat, eos quos potuit, quos debuit, non fures, non plagiarios, falsique convictos, recti specie deceptus, scriptorum suorum extremis tabulis hæredes instituisset: exstarent hodie præclara virtutis illius, cujus jam tum foras semina sese projicere gestiebant, argumenta: esset cuivis de ea eruditionis excellentia, proclive judicium. non mea, non alterius cujuspiam qualicunque defensione, dicam an testimonio? apud exteros egeret Fruterius. ille igitur Fruterius (tandem ad institutum sermonem me referam tamen) cum aliquando eum versum me præsente recitari audiret:

Illuvies, scabies, oculos huic denique petigo
conscendere.

ut erat judicio supra humanum præditus, ita Douzam, inquit amicum habeam; ut nec Lucilius nec vero temporis illius æqualis alius petiginem novit; neque Nonius (3) Lucilianorum verborum mentem satis percepit. depetiginem enim antiquorum more dixit Lucilius, quam impetiginem alios dixisse constat. sic enim scripsit:

Illuvies, scabies, oculos huic deque petigo
conscendere.

& ne quis poetam tmesibus hujuscemodi usum esse inficietur; en vobis testem locupletem, &, ut Jureconsulti loquuntur, omni exceptione majorem Ausonium (4): cujus ea sunt:

(1) *Nonius. Dico.*
(2) *Lucilius correctus.*
(3) *Nonius. Petigo.*
(4) *Ausonius extrema secunda ad Theonem Epist.*

. . . . . Lucani mox potieris aco.
Resciffo disces componere nomine versum.
Lucili Vatis sic imitator ero,

quæ Fruterii opinio, ita certa est, ut jam opinio esse desinat. quod tamen non vidit Nonius, multoque minus Amicus noster, qui si Nonium varia lectione nobis non depravavit, quod dicere audeo, certe æque atque invenerat, aut paullo sane minus pravum reliquit. Ausonii autem versus aliter quam vulgo leguntur, & ut legi debere Fruterius opinabatur, quod pene prætericram, proponendos putavi.

Perdimus Ævum. Certa stant omina lege. Compendia rerum. Sors est sua cuique ferenda.
Roma enata casis. Vires Italæ. Adice, subice, prima brevi.
Manilius, Propertius, Papinius, emendati.

CAPUT V.

Quid tam sollicitis vitam consumimus annis?
Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum,
Aeternisque senes curis dum quærimus ævum.
Perdimus & nullo votorum fine beati? (1)
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam.
Pauperiorque bonis quisque est, qui plura reposcit.
Nec quod habet numerat, tantum quod non habet optat.

Elegantissimi versus sunt doctissimi poetæ Manilii, qua a distinctione, qua a scriptura valde pravi: quos ita a me corrigas licebit.

Quid tam sollicitis vitam consumimus annis,
Torquemurque metu, cæcaque cupidine rerum?
Aeternisque senes curis, dum quærimus ævum,
Perdimus? & nullo votorum fine beati?
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam?
Pauperiorque bonis, quisque est, qui plura requirit;
Nec quod habet numerat, tantum quod non habet, optat?

Ac deinde.

Fata regunt orbem, *certa stant omnia lege.* (2)

scribo; *Certa stant omina lege*

paullo post:

Et vitia & clades, damna & compendia vitæ. (3)

scribo; *—— damna & compendia rerum.*

mox: *Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,*
Fortunamve suis invitam pendere votis. (4)
Aut fugere instantem. sors est sua culpa ferenda.

Eorum versu secundo legendum conjicio: *invitam prendere*: ut ei, quod consequitur, recte opponatur. tertio vero, quidam libri habet: *sors est vacuique ferenda:* e qua lectione conjecturam veram, ut opinor, facio, & de qua nemo dubitare potest, legendum esse:

—— sors est sua cuique ferenda,

Sequitur paucis abhinc versibus:

Non eversa viro, fatis vicisset in ipsis:
Aut Lupa projectos nutrisset Martia fratres,
Romaque sic enata foret,

lego:

(1) *Manilius lib.* IV. *vers.* I.
(2) *Ibid. vers.* XIV.
(3) *Ibid. vers.* XIX.
(4) *Ibid. vers.* XXI.

lego: ...... *Troja sub uno*

Non eversa viro fatis vicisset in ipsis?
Aut Lupa projectos nutrisset Martia fratres?
Roma casis & nata (aut certe, *enata*) *foret?*

Quæ emendatio nisi certa est; reliqua etiam omnia pro arbitrariis haberi volo: Sic Propertius ocellus Poetarum. (1)

Hoc quodcunque vides, hospes, qua maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit. (a)

ET:

Fictilibus crevere deis hæc aurea templa.
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Eleganter etiam Minutius Felix Octavio: *Ob pastorum & casæ regnum de geminis historia notissima est*; & meum mel Tibullus: (2)

Romulus æternæ nondum fundaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Rhemo.
Illic pascebant herbosa palatia vaccæ
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Scripsi superius; *qua maxima Roma est*; quod inscribendum esse mihi persuaderem, immo vero prope certo scirem. nisi forte Illi Maniliano simile est.

Sentirentque Deum gentes quam maximus esset. (3)

Finem hujus capitis dabo; si unum præterea locum adiecero:

Adde etiam Italicas vires, Romamque suismet (4)
Pugnantem membris: adijce civilia bella.

scribo: *Adde etiam vires Italas, Romamque suismet*
Pugnantem membris. adice & civilia bella.

Sic quod infra est; ...... *Cannasque sepulcris*
Obruit, & Lybiam Italicas infudit in urbes.

scribo ex vetere codice:

Et Libyen Italas infundit in urbes.

Quemadmodum autem hic, *adice* prima brevi Poeta extulit: ita aliis versibus, si correctorum audaciam potuissent effugere, idem fecisse existimandus est. Neque enim dubito quin illa:

His

(1) *Propert. lib.* IV. *Eleg.* I.
(2) *Tibul. lib.* 2. *Eleg.* V.
(3) *Manil. libr.* I. *vers.* 37.
(4) *Manil. libr.* 4. *vers.* 43.

(*a*) Neutiquam hic prætereundus Ovid. Fast. I. V. 498.

Vocibus Evander firmata mente Parentis,
Nave secat fluctus, Italiamque tenet.

quibus longe ante Phrygem Æneam Origo Gentis Romanæ fit conspicua per Dionys: Halicarnas. libr. prim. Antiq.: *Regnante Fauno, ante annos circiter LX. quam Æneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii, & Carmentis Nymphæ Filius, cum Matre eodem venit*: tametsi quod ad Evandrum Spectat, Palatium tantum incoluisse est intelligendus, firmumque sic est Æneam Romæ primordia ampliasse, collemque, herbamque ante ipsum Romam fuisse: utimur hac ipsa in re testimonio Ovid. Fast. 5. V. 90.

Exul ab Arcadia latios Evander in agros
Venerat, impositos attuleratque Deos.
Hic ubi nunc Roma est, Orbis Caput, arbor, & herba,
Et paucæ pecudes, & casa rara fuit.
Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo
Evandri profugæ procubuere boves.

His addunt aliquos diversa fila trabentes
Inter se gyros.

ad eundem modum sint scribenda:

His adice obliquos adversaque fila trabentes
Inter se gyros.

Quin & Statius Papinius, quem brevi, dis volentibus, multis millibus meliorem in vulgus dabimus, eandem ratione dixit:

...... *Subicit gavisus Ulysses.* (1)

Claudianus:

...... *Subicit Cybele: Non tanta Tonanti.* (2)

Segnities:

...... & Martialis:

Nil adicit penso Lachesis. .....

Quo illud etiam Asinii Galli in Marcellum epigramma pertinet:

Qui caput ad lævam deicit, glossemata nobis
Præcipit, os nullum vel potius pugilis.

sed hæc parva sunt, nec est quisquam, qui non per se, a nullo monitus, sic emendaturus fuisse videatur, quanquam quod magnorum virorum testimonio de eloquentia dicitur; nihil in ea esse quod spem tantopere fallat, quam quod quilibet cum audiverit consequuturum se nullo negotio imitatione confidat: idem ego in universum de omni hac veteres scriptores emendandi ratione vere dici posse statuo.

Libertatem perdimus. Restio Laberii. Lavenna. Laberius apud Macrobium, item apud Agellium restitutus. Ver sacrum facere, quid sit, verbis L. Sisennæ explicatum ejusdem dispersa apud Nonium duo fragmenta collecta & correcta Nonii inscitia.

CAPUT VI.

MUltæ sunt in scriptis veterum mendæ ab initio tenues, quæ tamen ubi in libris inoleverunt maximos errores pariunt: ita plane, quod in vetere verbo est: raram vibiam sequitur. Itaque errant & vehementer errant, mea quidem sententia; qui litterarum parum referre existimant, ut vitia qualiacunque tandem illa sint, e libris tollantur omnia: nisi forte nihil refert scriptores optimos a nobis intelligi. exempla in manibus sunt superiore capite, quod vulgo erat:

—— *dum quærimus ævum*
Perdidimus. ....

mutavi & scribendum monui;

Perdimus. ....

levis, inquis, macula, & quæ te etiam tacente, cuivis facile se prodat, levis, fateor: sed tamen ejusmodi ut eam versibus nimium quantum elegantibus, & quibus paucos in omni latina lingua pares esse judico, fraudi fuisse sit fatendum re ipsa, quod dico, probabitur.

Porro Quirites libertatem perdimus.

sic Laberius olim scripsit. post nescio quo vitio cum editionibus, *perdidimus*, invasisset, homines nimium sane ingeniosi, corrigendo videlicet versui, quem parum numeris suis constare animadverterant, aliam illam vocem, *amisimus*, veluti fulcrum supposuerunt: atque ita legi oportere:

Porro

(1) *Stat. Achil.* I. CXLV. *vers.* CXXXIV.
(2) *Claud. De Rapt. Proserp. lib.* III. (3) *Laberius ap. Macrob.*

Porro Quirites libertatem amisimus. . . . . .

viris etiam doctis falso persuaserunt. Volo nunc alii ejusdem Laberii Mimo suum nomen, quod illi violentes librarii jamdiu vi eripuerunt, restituere. Igitur in Noctibus Atticis, qui, *Rector*, dicitur, & e quo trimetri sane quam politi, sed tamen ab iis quos dixi pessime accepti, afferuntur, quique a me alias emendabuntur, eum, inquam, *Restionem*, vero nomine, quod alibi servavit, dici debuisse, eundemque Laberium in Saturnalibus, cum hominem levem vellet appellare, non *leucanam* sive *leenam*, quod magistelli opinantur, sed *levennam* dixisse moneo. Addantur nunc supplendi capitis e L. Sisennæ historiarum libro quarto, duo de vere sacro fragmenta, eaque, uti olim sibi cohæserunt, conjungantur, & quod in iis maculæ est, eluatur.

Quondam Sabini feruntur vovisse si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos: quo voto damnati, factum omnem dicuntur ejus anni statim consecrasse.

Pulchra, ne vivam, & antiqua veris sacri explicatio: neque ea quam vel Festus habet, vel ejus depravator Diaconus, tantillo deterior. Sed de hoc plura Livius (2) siquis autem cum Nonio(3), *Ver sacrum*, non ut plerunque vitabile & exsecrandum, sed religiosum interpretari maluerit: nugas egerit, si vero, *damnare voto*, cum eodem Nonio, idem esse quod, *liberare*, censuerit: majores nugas egerit. sed hæc tenue specimen erunt eorum, quæ in Historici optimi, meoque Sallustio (4) teste, diligentissimi editione, vel cum his ipsis commentariis futura, vel certe intervallo non admodum longo eos consecutura præstabimus.

Exilia & ilia unde dicta ina. Festus castigatus.

CAPUT VII.

Exiguum quiddam est quod hoc loco monere statui, & pene hujusmodi, ut vehementer verear, ne, dum unam eamque tenuem admodum maculam eluo, videar in re levissima operam voluisse ludere: fieret in scriptore ab ea modo parte vitioso, cetera integro, fortassis conatus iste si non laudem, certe veniam mereretur, at in corpore omnem partem deformi, mutilo & luxato, minimam aliquam cicatricem conari obducere; hominis, opinor, nonnisi suo & alieno otio abutentis, esse videatur: sed tamen hoc, cuicuimodi est, proponetur, tanti est, dum vel tantillum antiquitati prope depositæ lucis afferatur. Scribit Festus (5) ex Verrio seu potius ex Festo Paulus Diaconus, homo, quod cum bona istorum pace dicere liceat, bonis libris corrumpendis natus, & in eos sævissime grassatus, *exiles & ilia a tenuitate viarum dici*. quod equidem quale sit, *putando*, ut ait Poeta nescio qui, *evolvere nequeo ilia a viis?* qui potest? credo quod ea ceu viarum in animalium corporibus fungantur munere, quæ est isthæc componendi ratio? aut quæ est in utraque voce syllaba, syllaba? immo littera pene eadem? Sed ne Diaconum de errore qui librariorum est, quando nemo alienam culpam ex Jurisconsultorum regulis præstare cogitur, caussam dicere compellamus: ab *inarum tenuitate* exilia & ilia se deduxisse iis non difficulter probaverit, qui alibi ita scriptum esse meminerit: (6) *Ilia dicta sunt ab ina, quæ pars chartæ est tenuissima*. videtis quam parva & prope nulla immutatione sua grammatico constet sententia.

(1) *Festus*. Mamertini. *idem* Ver Sacrum.
(2) *Livius lib.* 22. & 24.
(3) *Nonius*. Ver Sacrum & Damnare.
(4) *Sallust. in Jugurth.*
(5) *Festus*. Exilia.
(6) *Idem*. Ina.

L. Ælius Stilo Præconinus, Servius Clodius grammatici. Q. littera. Suetonius de inlustribus grammaticis, & Agellius variis mendis liberati.

CAPUT VIII.

Libellus de Inlustribus grammaticis & rhetoribus, sine Plinii est, sive, quod magis credo, Svetonii, certe antiqui nescio cujus scriptoris esse constat; profacto meretur, ut ob eruditam illam brevitatem, qua res diversas, quas in nostris litteris vix alibi reperias, succincte complectitur, in hominum manibus retineatur: neque eandem multis aliorum præclarissimarum rerum auctorum millibus, fortunam sentiat: quæ sane cum maximam partem suo quodam jure in ista famæ & nominis æternitate paranda, ut in bello, sibi vindicet, nimis mehercules optimis quibusque scriptoribus dura fuit & crudelis. Quare siqui eum libellum emendandum, & quoad ejus fieri poterat, sibi sumserunt illustrandum; non illi quidem lapsi sunt judicio, cum in re eximia labores suos posuerunt: veruntamen, quod sequebantur, minime sunt assecuti. Quam in partem, ut de ceteris taceam. Achilles Statius homo molæ lectionis, & , a prima pueritia, poetarum, historicorum, rhetorum consuetudine familiariter, ut videtur, usus, ita sæpe turpiter peccavit, jure ut dici possit, semper jaculari, nec umquam scopum ferire. Neque profecto videre possum, quid attinuerit, eam Lusitani commentationem primum Romæ publicari, deinde *Dionysii Lambini*, viri totius orbis terrarum consensu in utraque lingua valde exercitati; judicio probatam Lutetiæ, mox alibi, atque alibi, typis mandari, nisi forte ineptiarum ejus generis numerus exiguus est. Nolo in animis hominum aliquod oratione mea præjudicium relinqui. jure dicam, an injuria, unusquisque sibi, re diligentius examinata, pro judice esse potest. At statim quidem, ut de multis pauca tangam, in initio Suetonius (sit is sane scriptor, quando nihil est, cur vel illum libri, vel librum illius debeat pudere) in ipso inquam, orationis suæ limine, cum de artis grammaticæ progressu & incremento agit: *Instruxerunt*, inquit (1) *auxeruntque. ab omni parte grammaticam Lelius Lanuvinus Gener Quincti Ælij Servius Clodius uterque eques Romanus, multique ac varij, & in doctrina & in republica usus*. quæ verba cum non ita longe a sua integritate abessent; neque hominibus vel tantilla historiæ cognitione tinctis negotium facessere deberent; idem ille, qui cum a me reprehenditur sæpius nominari non debet, veram quidem veteris impressi aliorumque scriptorum manu lectionem attulit: sed, quod nihil erat necesse, conjectura parum, ne dicam dolo, felici depravavit. Vetus quidem scriptura erat hujusmodi; *L. Ælius Lanuvinus gener Q. Ælij: Servius Clodius*. vir ille minime malus, εὐστόχως scilicet, legendum divinavit: *Ælius Lanuvinus genere Q. Ælii servus. Ut*, inquit *Lanuvius genere vel Lanuvio oriundus fuerit, natus tamen Romæ: cum in veteribus monimentis Ser. Servum significare cognoscatur*. Egregiam mediusfidius emendationem, & cui uni corona, siquæ olim librorum correctioni decreta fuisset, optima maxima jure deberetur, præsertim cum ipsius antiquitatis testimonio niti videatur. O hominem in veteribus monumentis per tot annos in *Urbe Æterna* non sine fructo volutatum, eorumque valde intelligentem, qui cum *Ser.* servum indicare non ignoret; litteram tamen singularem *Q.* unde omnis illa nata est turba, conjungendi vim ac potestatem habere, neque aliud quam, *que*, significare, vel ex illo urbis Romæ elogio, quo nullum est frequentius. S. P. Q. R. discere nequiverit: & servos etiam Romæ equestris dignitatis fuisse existimaverit. nam quod Servium Ælii generum fuisse ex iis quæ consequuntur, cognoscere neglexerit; ignoscamus suadeo, homini in inveniendis Horatio, Catullo, Tibullo, toti denique poetarum

rum

(1) *Sveton*. De Claris Grammaticis.

rum gregi variis lectionibus, occupato; pergit deinde, & errorem errore cumulat. Primam enim orationem sibi necessario cohærentem tribuit in capita: deinde, *Lælius*, pro *L. Aelius*, mox *Istilo*, pro *Stilo*, postremo, *præmortui*, pro, *præmortua* legendum arbitratur. Sed nos illo homine in aliud tempus valere jusso, totum illud corrigamus, immo vero ut olim pueri correximus, apponamus. *Instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus, generque Aelii Servius Clodius, uterque eques Romanus, multique ac varii & in doctrina & in Rep. usus. L. Ælius cognomine duplici fuit: nam & Præconinus, quod pater ejus præconium fecerat, vocabatur, & Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat, tantum optimatum fautor, ut Q. Metellum Numidicum in exilium comitatus sit. Servius cum librum soceri nondum editum fraude intercepisset, & ob hoc repudiatus pudore ac tædio secessisset ab urbe: in podagræ morbum incidit, cujus impatiens, veneno sibi perunxit pedes & enecuit, ita ut parte ea corporis quasi præmortua vixerit.* Hæc ille (1). Cognomen Stilonis cum alios, tum apud Sextum Pompejum 14. ut minimum, locis supermansit. apud Agellium corruptum est & in aliud verbum degeneravit; quod ibi etiam reponendum ex opertis Bibliothecarum sacris moneo; verba hæc sunt. *abstinuisse* (Cicero) *eo* (verbo *novissimus*) *tamen tanquam non Latino videtur: quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat, Ælius Stilo ut novo & improbo uti vitaverat, propterea que id M. quoque Varronis ex libro de lingua Latina ad Ciceronem 5. demonstrandum putavi*, scribo: *quoniam qui doctissimus eorum temporum fuerat L. Ælius Stilo ut nove & improbo verbo uti vitaverat. propterea quid M. quoque Varro de ista voce existimaverit, verbis ipsius ex libro de lingua Latina ad Ciceronem quincto demonstrandum putavi*: & prius quidem illud, *stilo*, in bibliotheca Joannis Ducis Butirigum exstare testatur Doctor meus Jacobus Cujacius (2), splendidissimus Jurisconsultorum hujus sæculi Papinianus, posteriora vero, ut in libro Bussidiano sunt, perscripsi. Superest ut alterum Agellii eadem de re locum emendemus, deinde Ciceronis verba, eorum, quæ dixi confirmandorum caussa afferamus, & alio progrediamur. *Commentarium*, inquit Agellius (3), *de proloquiis Lælii docti hominis qui magister Varronis fuit, studiose quæsivimus, eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus: sed in eo nihil edocenter neque ad instituendum explanate scriptum est. Fecisseque videtur eum librum Lælius magis sui admonendi, quam aliorum docendi gratia.* scribe: *Commentarium de proloquiis L. Ælii docti hominis, qui magister Varronis fuit, studiose quæsivimus, eumque in Pacis repertum legimus: sed in eo nihil edocenter, neque ad institutionem explanate scriptum est: fecisseque videtur eum librum, L. Ælius &c.* Audiamus nunc Ciceronem seu potius Brutum ea quæ scripsimus, prope omnia loquentem, illiusque testimonio, potius quam ingenio nostro, fidem habeamus. *Cotta*, inquit Brutus, (4) *pro lege Varia quæ inscribitur, eam L. Ælius scripsit Cottæ rogatu. Fuit is omnino vir egregius & eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus & Græcis litteris & Latinis, antiquitatisque nostræ & in inventis rebus & in actis, scriptorumque veterum litterate peritus quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio præstans omnique doctrina, pluribus & illustrioribus litteris explicavit. Sed idem Ælius Stoicus esse voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit: scribebat tamen orationes quas alii dicerent, ut Q. Metello, uti Q. Cæpioni, uti Q. Pompejo Rufo: quamquam is etiam scripsit eas; sed non sine Ælio. His enim scribendis etiam ipse interfui, cum essem apud Ælium adolescens, eumque audire perstudiose solerem; Cottam autem miror summum ipsum Oratorem minimeque ineptum, Ælianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.* Videtis L. Ælium equitem Romanum magistrum Varronis dici: itemque orationes nobilissimo cuique in his, Metello, consuevisse scribere; nihil ut sit caussæ, cur de tot locis emendatis dubitari possit: nisi siqui forte morem academiæ patrium omnibus in dicendo adversandi, imi-

tari

(1) *Agell. libr. 20. cap. 11. correctus.*
(2) *Cujac. Observat. lib. 3. cap. 36.*
(3) *Agell. lib. 6. cap. 8. emendatus.*
(4) *Cicer. in Bruto.*

tari decreverunt. Sed hoc caput longius excrevit, quam vellem, nam in brevitate homines sese oblectant, quæ tamen quam juvet non video, nisi reliqua quæ toto libro restant legenda, nobis etiam una opera velimus exciderent.

Diodorus historicus. Tertullianus emendatus. idem argumentum apud Tertullianum. Minucium & Lactantium inveniri de Minucii ætate.

CAPUT IX.

Q. Septimius Tertullianus omnium Theologorum doctissimus, & Romani juris Pontificii peritissimus, in divino illo Apologetico, quo Christianorum causam adversus gentes coram Imperatoribus agit, ut Jovem aliaque Idola Deos non esse ostendat, hoc fere utitur argumento, quicunque homo ex homine natus est, Deus esse non potest. Saturnus, Jupiter, alii, homines ex hominibus nati sunt. Dii igitur esse non possunt. Jam vero, ut, illud quod initio posuerat, Saturnum & Jovem homines fuisse probet; *Ante Saturnum*, inquit (1), *Deus penes vos nemo est. ab illo census totius vel potioris vel notioris divinitatis, itaque quod de origine constiterit, id de posteritate conveniet. Saturnum itaque quantum litteræ docent, neque Theodorus Græcus, aut Tallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator hujusmodi antiquitatum aliud quam hominem promulgarunt*. quod argumentum aut Minucius a Tertulliano, aut Tertullianus a Minucio sumserit necesse est. idem certe iisdem pene verbis apud utrumque legitur. Minucii quidem hæc sunt: (2) *Saturnum principem hujus generis, & examinis omnes scriptores vetustatis Græci Romanique hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos & Cassius in historia: Thallus ac Diodorus hoc loquuntur*. Cetera quæ sequuntur, apud hunc & illum gemina sunt. Uter ab altero acceperit; non facile dixeris. Nam de Minucii ætate ut dubitem, facit Stridonensis Presbyter, (a) qui eum Cypriano præposuisse, aliquando etiam postposuisse videri potest, ac in Catalogo quidem Scriptorum Ecclesiasticorum Minucium Origeni proximum, Cypriano priorem statuit, quod alibi eum facere memini. & in sua pro libris adversus Jovinianum

(1) *Tertullian.* in Apologetico.

(2) *Minucius Felix* in Octavio.

(a) Non sine magna dignitatis, eruditionis, ac gloriæ fama nominandus *Maximus Divinarum scripturarum Interpres Sanctus* Hieronymus, quem ceu quadam maledicti nota *Stridonensem Præsbiterum* Auct. Nost. hic compellat; invidum sane hac in re læviumque hominem gerit ipse; Ad Hieronymum quod attinet, non est cur plura dicamus; Ingeniosissimum hominem, cum doctrina tum pietate conspicuum singulæ ætates suspexere, omnesque passim viri sunt admirati *Hominem*, ex Grotio, *in omnium temporum Historiis versatissimum, ac utraque Doctrina*, apud Erasm. lib. LX. Epist. XV., *Sacra, & Gentili, ut vocant, juxta absolutum*. facemque cæteris prætulere, quæ de *scriptoribus Ecclesiasticis* eleganter, dilucideque conscripsit ad *Dextrum Prætorii Præfectum*; meminit inibi Minutii, de cujus ætate non una deinceps post Hieronymum Auctoribus fuit sententia; Tertulliano æqualem hominem statuit Catholicæ Fidei sæculo III. sub ætatem Augusti Severi doctissimus, *Eminentissimusque* Vir Robertus Bellarminus, ac sub ejusdem sæculi tempora, quod *Novatianum Saeculum* inscripsit, de Minucii ætate incerta hæc habet Guilielm. Cave: „ M.MINUCIUS FELIX, gente, ut verisimile est, „ Afer, non ignobilem inter Romanos „ causidicos locum tenuit, doctrina tamen ac Pietate Christiana ipse longe „ nobilior. De ætate ejus, qua vixit, „ nil habeo, quod pro certo, affirmare ausim; si tamen in re obscura „ dubiaque hariolari liceat, conjiciam „ illum, utpote Tertulliano supparem, „ Cypriano antiquiorem, circa Annum „ CCXX. claruisse.

nianum apologia, primo Tertullianum, deinde Cyprianum, postremo denique Mioucium nominat. certe si Minucius Cypriano ætate prior fuit, omne fere illud, quod Cyprianus adversus idola, iisdem quibus Minucius verbis, differit, Minucianum dici debet. Quid? quod Lactantius, (1) quem sub Constantino Arnobii discipulum vixisse constat, idem argumeotum ab altero eorum, aut, quod propius abest a vero, ab utroque mutuatus est? sic enim scribit: *Omnes ergo non tantum Poetæ sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores hominem fuisse consentiunt, qui res ejus in Italia gestas memoriæ prodiderunt: Græci, Diodorus & Thallus; Latini, Nepos & Cassius & Varro.* Uter ergo ab altero acceperit oon laboro: neque ea re hic a me est institutus sermo. illud volebam; apud Tertullianum. *Diodorum*, noo, *Theodorum* scribi, & de Diodori Siculi bibliotheca accipi. quod ne Arcesilas quidem affirmare dubitaverit: maxime cum Jacobus Pamelius vita & professiooe Theologus, idemque omnis ecclesiasticæ antiquitatis peritissimus, cui ego primum sanguinis, deinde multis magnorum officiorum vinculis valde sum obstrictus, meam conjecturam duobus libris, Elnonensi uno, Gandavensi altero, comprobari, litteris ea de re ad me datis, confirmarit.

Fasces per arva. Dictator ab aratro. ingenitus sonus. consummarit orbem. effusus in usus. gravia annonæ incendia. ventis credere opes. celeres anni. domibus præfigere prædas, pacare silvas. vivere victor. scriptor velox. cursim loquentis excipere voces. teneros pudor impedit annos. Manilius variis locis correctus.

CAPUT X.

Redeo ad Manilium (3), in quo quod legitur;

Serranos, Curiosque tulit, facilesque per arva
Tradidit; eque suo Dictator venit aratro:

valde, meis quidem auribus, vitiosum sonat; & historiam habet, quæ io iis verbis noo temere, credo, a quoquam agnoscatur. quæ manifesta erit, si meo periculo, scripseris:

—— fascesque per arva
Tradidit: eque suo Dictator venit aratro.

nobile est illud Senecæ: *Quinctius dictaturam properat evadere: ab aratro revocabitur.* sequitur in eodem Manilio: (4)

Et gracilis calamos, & nervis insita verba
Ingentemque sonum.

Lego: *ingenitumque sonum.* cui illud, *insita verba*, pæne gemioum est. mox:

Consumant orbem postquam ipsos sidera linquunt.

scribe: *Consummant urbem.* quo eodem tempore dixit:

Inveniunt & in astra vias numerisque modisque. (5)

deinde: (6)

Ille tenax animi, multosque infusus in usus.

emendo: *effusus*. quod, nisi me animus vehementer fallit, verbum huic versui suum est.

mox: (7)

(1) *Cyprian. libr.* Quod idola Dii non sunt.

(2) *Lactantius Divinarum Institut. libr. 1. cap. 13. ut vulgo. Nam in veteribus capita non sunt, non magis quam in Tertulliani Apologetico.*

(3) *Manil. libr. 4. V. 148.*

(4) *Id. v. 154.*

(5) *Ibid. V. 159.*

(6) *Ibid. V. 165.*

(7) *Ibid. v. 168.*

Et gravida annosa speculantem incendia mentis,
Credere opes, orbisque orbi bona vendere posse.

scribendum conjicio, quæ mihi conjectura pæne palmaria est, de veteris scripturæ vestigiis:

Et gravia annonæ speculantem incendia, ventis
Credere opes. . . . . . .

Nam; *gravida*, quod vulgo est, item, *annosa incendia mentis*, hic quidem Latina non sunt: contra, *gravia incendia annonæ*, &, *ventis credere opes*, non tantum Latina, sed ipsa etiam Venere prope venustiora. scripserant fungi illi, *annosa*, hinc alii, *mentis*, non, *ventis*, legendum opinati sunt. sic Varro excandefacere annonam dixit, lib. de re rustica 3. *ut ad hunc bolum pervenias, opus erit tibi aut epulum, aut triumphus alicujus, ut tunc fuit Scipionis Metelli, aut collegiorum cenæ, quæ tunc innumerabiles excandefaciebant annonam macelli*. & paullo post: *quotus enim quisque est annus quo non videas epulum aut triumphum, aut collegia non epulari, quæ nunc innumerabiles incendunt annonam?* Nondum a Manilio discedo, neque tamen erit ut plane purgari poterit, satis erit gravissimis quibusque plagis, uti se dabunt, callum inducere: quod jam tribus aut quatuor locis faciundum est.

Navigat & steriles optando fortibus annos. (1)

quis tam averso Mercurio dicam an Jano? mercator est, qui pecuniæ in usuris positæ, sive, ut noster loquitur, fortibus steriles annos optet? nemo, opinor, erit quin *celeres* malit, quos sane illis *lubentes merito*, quod in formula est, donemus. aliter Venusinus: (2)

——— *piger annus*
pupillis.

Sed a Geminis ad Leonem pergamus: qui

Hoc habet hoc studium postes ornare superbis (3)
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

non quod illi voluerunt:

Domibus configere prædas.

item: (4) *Et pacare metu silvas & vivere victor.*
non, . . . *Purgare metu silvas & vivere rapto.*
sic Poeta huic æqualis:

. . . . . . *Incultæ pacantur vomere silvæ.*

& jam ante dixit: *vivitque rapinis*: neque nisi forte illorum, qui hæc mutarunt, caussa, repetendum fuit. illud autem, *domibus præfigere prædas*, genere quodam simile est illi Tibulliano ad Messallam;

Te Messalla decet terra pugnare marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.

A Leone ad Erigonen transeamus: quæ ita,

. . . . *Pectora doctis*
Artibus instituat:

ut ego politissimos versus de ea scriptos, ipse etiam juvante, rite emendavi.

Hic & scriptor erit felix, cui littera verbum est. (5)
Quique notis linguam superet, cursumque loquentis.
Excipiet longas nova per compendia voces.

igitur scribo:

Hinc & scriptor erit velox cui littera verbum est:
Quique notis linguam superet: cursimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

tale est illud Biblici:

Car-

(1) *Ibid. v.* 173.
(2) *Horat.* I. *Epist.* I.
(3) *Manil. libr.* 4. *v.* 180.
(4) *Ibid. v.* 182.
(5) *Ibid. v.* 192.

Currant verba licet; manus est velocior illis

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

tale etiam delicatissimum Ausonii in notarium epigramma quod, nisi harum commentationum obstaret ratio, sua elegantia, pro eo ac meretur, facile a me, ut quantum est, adscriberem, impetraret.

sequitur: (1) *In vitiis bonus & teneros pudor impedit annos.*

emenda: *—— ut teneros pudor impedit annos.*

sed jam ohe. ne modum excedamus, & ultra finem capiti præscriptum evehamur.

Sumse. consumse. cresse. cesse toga. toga. tectum de Nævii, Titinii & Nonii antiquis lectionibus epinio.

CAPUT XI.

Amo veteres Poetas quo magis odio & fenio mihi sunt, tam multa tamque fœda in illorum reliquiis errata: quibus nisi numerum diminuo; vincor operam perdere; quam primum quidem Nævio, mox Titinio, alias aliis aliam dabimus. Versus Nævii Triphallo, seu potius, uti Baptista Pius Princeps emendavit, Ithyphallo sunt. (2)

Si umquam quicquam filium rescivero

Argentum amoris caussa sumsisse mutuum.

quorum posteriori quum superet syllaba, priori desit. huic addendo, illi adimendo numeros constituemus.

Umquam si quicquam filium rescivero

Argent' amoris caussa sumse mutuum:

Extemplo illo te ducam ubi non despuas.

sumse, pro, *sumsisse*. Sic Lucretius, (3) *consumse*, pro *consumsisse*.

Omnia enim debet, mortali corpore quæ sunt,

Infinita ætas consumse ante acta diesque;

sic idem extremo libro, *cesse*, & alibi, *cresse*, (4) pro, *cessisse*, & *crevisse*, posuit. que ab aliis indicata, illis sua sunto. jam vero illud: *si unquam*, retineri poterit, si hiatum his Poetis frequentem retinere videbitur. Sed quemadmodum ibi vocis ignoratio erroris culpam sustinet: sic contra apud Titinium Noniana verbi cujusdam obscurioris explicatio, non recte a viris etiam doctis accepta versum pervertit, immo ab stirpe evertit. Nonii verba Titinio vel invito objecit, & quas non turbas dedit? qua fraude deprehensa non admodum erit difficile de re ipsa judicare. Locus proponetur, & Jubente, ni fallor, Titinio, in suum omnia ordinem reponentur. *Tega*, inquit Nonius, (5) *dicta est a tegendo, & est, sicut in consuetudine habetur, vestimentum quo in foro amicimur, dicitur & tectum.* (6) *Syrus, cum scorto constituit ire, claves ilico abstrudi jubeo rusticæ togæ ne sit copia, id est tecti.* quæ si scripsit Nonius, valde eum fugit ratio, quod eum exemplo in eam rem quæsito *tectum* esse togam, vellet docere, nunc contra quasi sui eum pœniteret instituti, *togam*, interpretetur *tecti* nomine, sed videlicet librarios, eosque qui Nonium extruserunt, non ipsum Nonium fugit ratio, qui hunc in modum scripserat: *dicitur & tectum. Titinius Gemina: Syrus cum scorto constituit ire, claves ilico abstrudi jubeo, tecti ne sit copia, id est, rustica togæ.* quod illi eum Nonium de toga etiamnum agere crederent, neque versus Titinii esse sentirent, uti hodie exstant, perscripserunt: &, ut pleraque alia, depravarunt. nunc quo-

(1) *Ibid. v.* 200.
(2) *Agell. libr.* 2. *cap.* 9.
(3) *Lucret. libr.* 1.
(4) *Ibid. libr.* 3.
(5) *Nonius.* Togæ.
(6) *Titinius.* Geminæ.

quomodo Titinio numeri, Nonio constet sententia, videamus. (1) scribo:

— Syrus
Cum scorto instituit ire; claves illico
Abstrudi jubeo, secti ne sit copia.

Et de duobus quidem iis versibus, quin vera sit nostra opinio, nemo jure negaverit. illud autem, *Syrus*; cum in vetere libro, *si rus*, esse quidam annotarit, & ea verba huc mirifice faciant, ut Nonius ex illis interpretationem quam dixi, sumsisse videatur: valde mihi molestum est, neque quid eo faciam, habeo.

Suppellere. scabere. verbum vetus elegans in Cicerone & Lucilio restitutum, Victorii sententia rejecta.

CAPUT XII.

Frequentibus veteres balneis, sive sanitatis sive alio prætextu quolibet, uti consuevisse. varieque circa ea sibi indulsisse, apud omnes satis constat. neque tamen pleræque eorum observationes quales fuerint, aut nomina ipsa, quibus res in balneis fieri solitas denotabant, satis intelliguntur. quo in genere Lucilianum illud esse statuo:

Sador, subellor, desquamor, punicor, ornor, (2)
Expilor, pingor.

sic enim versum illum multiplex obsedit error, ut ne verba quidem ipsa, nedum res, quid sibi velint a quoquam admodum percipiatur. sed an hæc studio nostro emendari primum, deinde interpretari possint, videamus. ac sane primam illam vocem, *sador*, quæ nulla, opinor, unquam est donata civitate, io, *scabor*, potius quam in *sudor*, quod Junio visum erat, verteodam esse, quivis credo, facile mihi concedet. sed ut hoc non nimis asseveraverint: sic illud contra, quod sequitur, ita ut propooam, scribendum esse, omni asseveratione affirmare non dubitaverim.

. . . . *suppellor, desquamor, punicor, ornor.*
Expilor, pingor.

cum enim in veteribus esse libris, *subbellor*, quod quidam scripto testatum reliquerunt, observarem; neque illud magis idonee ad hoc, quo de agitur, accommodari posse, quam, *subellor*, ab aliis excogitatum, scirem, cum neutrum quidem Romani juris esse existimem, litterarum ductum secutus, quod proximum erat, scripsi, & antiquam, eamque elegantem admodum vocem paucis, ni fallor, ea in re notam renovavi. Afferam nunc illustrem quemdam Ciceronis locum, ex erudita illa ad Pætum epistola; ubi idem verbum sua non ita pridem deturbatum sede a nobis reponetur; & nostram de superiore emendatione conjecturam, mirifice confirmabit. Cicero itaque cum de nominum pulcritudine & turpitudine differit, illudque Stoicorum pronunciatum, quod, ut videtur, Pæto probabatur, nihil esse obscænum, nihil turpe dictu, studet convellere: omnem in eo pæne orationem consumit, ut eam, qua Stoici nitebantur, ratiocinationem, (3) *turpitudo nec est in verbo, nec est in re, igitur nusquam est*, falsam & Sophisticam esse vincat. igitur & in verbis honestis obscœna poni, & ipsam rem modo honestam modo turpem esse docet. *suppellere*, inquit, *flagitium jam erit nudus in balneo: non reprehendes*. videtis quam apta ex his verbis ita a nobis constitutis eiiciatur sententia: quamque ea verbi notione percepta, nihil difficultatis non restet. suppellere in balneo honestum esse, testis Lucilius: at eidem illi verbo extra balneum ut intelligatur, Oedipo opus non est, non magis mehercule, quam si subigitare diceret.

(1) *Titinius Gemina correctus.*
(2) *Nonius*. Desquamor.
(3) *Cic. 9. Epist. 23.*

ceret. quod cum vetus illius libri interpres, ut alia complura a posterioribus non intellecta, viderit, & Lambinus aliique omnes, *suppellere*, aut certe, *suppellit*, in membranis exstare monuerint: mirum est quid P. Victorio (1) viro ceteroqui doctissimo, & qui summam religionem in tractandis antiquorum scriptis solet servare, in mentem venerit, ut hunc locum de composito corrumperet, & aliud verbum ex ingenio (quod de se fatenti, necesse est credere) huc ingereret.

Lucilii locus prodigiose corruptus, item alter Cæcilii, de opinione correcti.

CAPUT XIII.

QUoniam vero Lucilium sanare occepi; ejusque vulnera aliquot satis mihi commode videor obligasse: pergam porro hoc capite eandem, aut certe similem operam illi navare, & e membro quodam pæne desperato deforme vitium tollere. recte an secus id coner facere; vos judices eritis: Lucilius lib. 29.

In mellis spem esse omnem, quovis possem
Emungi volo.

prodigiosa sane lectio; neque tamen in Nonio (2) Juniano melior. quam qui se emendare posse desperarunt, iidem illi saltem vitiosam esse monere, & aliorum sopita ingenia, ad melius quid inveniendum, excitare poterant. Et sane cujus erat negotii, hominibus præsertim in veterum librorum lectione versatis, videre, pro, *mellis*, quod locum hic nullum habere potest, *me illis*, oportere scribi? illud fortassis erat difficilius judicatu, pro, *possem emungi*, Lucilium, *posse me emungi*, posuisse? Nam quod, e *volo*, esset faciendum, *bolo*, eamque litterarum illarum immutationem esse frequentem, ne hodie quidem ignorant pueri, qua de re Grammaticorum quorundam disputationes exstant in Cassiodori Orthographia a nobis propediem, si tanti erit, edenda. Nunc locum ipsum, ut emendandum opinamur, proponamus. Lucilius lib. 29. *In me illis spem esse omnem, quovis posse me emungi*, ne quis a me temere factum esse suspicetur: memini olim quendam Cæcilii locum Æschrione ad eundem modum depravatum, emendare: eamque emendationem, doctis quibusdam amicis meis valde me probare, quem cur non proferam; &, quod sentio, veteri illo humanitatis jure, cum omnibus communicem? verba ejus sunt:

Oram (3) reperire nullam quam expediam queo.

hic ego, *qua me expediam*, non paullo concinnius scribebam, & id Cæcilium scripsisse asserebam. qua in re si quis a me discedit; facile illi, quod volet, dabo: dum tamen mihi hanc lectionem esse antiquam, ideoque in harum numerum referri posse, non infieietur.

Epicadius grammaticus, ejus fragmentum. Calatores, Calones, Augures publici. Carisio & Arnobio scriptura restituta, Suetonio conservata.

CAPUT XIV.

ARnobius libro adversus gentes primo, objectionem adversariorum refutaturus, qua illi barbarismis & solœcismis Christianorum res pollutas esse criminabantur, primo culpam elevare nititur, quod ea sermonis pompa, ut loquitur, & per regulas missa oratio, concionibus, litibus, foro, servari debeat: neque, cum de rebus agitur ab omni ostentatione submotis, quali cum amœnitate quid dicatur, sed quantum audientibus utilitatis afferat, considerandum sit. Dein- de

(1) *Petr. Victor. Annot. in eand. Epist.*
(2) *Non.* Emungi.
(3) *Festus.* Ora.

de in accusatores crimen regerens, *Qui*, inquit, *pollutas res nostras criminamini, stribiligines & vos istas libris illis in maximis & admirabilibus non habetis?* & paullo post: *Si certum est singula quibus debeant explicari; in similibus vitiis quoque versamini, quamvis Epicados omnes, Casellios, Verrios, Scauros teneatis & Nisos*. Et de Cæsellio, Verrio, aliis grammaticis, alias, nunc de *Epicado* videamus: quem, si mei arbitrii res sit, *Epicadium* libentius nominaverim. Fuit enim grammaticus *Cornelius Epicadius*, testante, quem supra laudavi, Suetonio; *L. Cornelii Sullæ Dictatoris libertus, calatorque sacerdotio Augurali, filioque ejus Fausto gratissimus, quare nunquam non utriusque se libertum edidit. Librum autem, quem Sulla de rebus suis imperfectum reliquerat, ipse supplevit*. Hæc Suetonius. Unum, ni fallor, & solum Epicadi restat fragmentum, quod etiam ad Sullæ patroni honorem pertinet, sic enim Sosipater Carisius: (1) *Sibyllam Epicadus ait appellatum, qui ex Sibyllinis libris primo sacrum fecerit; deinde Syllam, qui quod flavo capillo & comto fuerit, consimiles Syllæ sunt appellati, inde effæminati hodieque in ludo Sylli dicuntur, quos vulgus imprudenter psyllos appellat*, quo quidem loco, vir eruditus, qui Carisii recognitionem pollicebatur, duplicem errorem erravit, cum enim in prioribus editionibus esset, *Epicadium*, mutavit, & *Epicadum* fecit, historicum deinde non, grammaticum Epicadium esse voluit. Igitur in Arnobio, *Epicadios*, in Carisio, *Epicadium*, moneo scribamus, sed ad Suetonium redeamus: in quo dum illud, *calator sacerdotio Augurali*, magni quidam viri conantur inducere, & aliud nescio quid in ejus locum sufficere; frustra sunt: & magnam temeritatis, ne dicam imperitiæ, significationem dant, neque enim aliud est, *calator*, quam sacrorum minister, ut cottidiana illa glossaria optime declarant, *calatores*, δοῦλοι δημόσιοι, περίπολοι, *calator* κλήτωρ, *calatores* (*a*) Ἐκβιβασταὶ ἱερίων: & parum a calonibus videntur sejungere, dum illis est calo, δῦλος δημόσιος, quamquam alibi dicitur, δῦλος ὑπηρέτης στρατιώτου. neque vero mirabitur sacrorum ministros servos dici publicos, qui ipsos *Augures*, publicos dici, atque adeo publicos *P. R. Quiritium*, consuevisse, meminerit quod quoniam hactenus in vulgus ignotum est; libet elegantissimam inscriptionem, quæ hodieque Neapoli antiquissima visitur, adjicere.

M. MÆ-

(1) *Sosipater Carisius instit. Grammat. libr.* 1.

(*a*) *Calatores* leguntur & apud Serv. in Georg. 1. *sunt aliqua, quæ si festis diebus fiant, ferias polluant. Quapropter, & Pontifices sacrificaturi, præmittere Calatores suos solent, ut sicubi viderint, Opifices suos assidentes, Opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo, & Deorum ceremonias contaminent*. Et lapis Fundi in Latio de *calatoris* munere hæc habet:

VINICIO. COCTÆO. CALAT
VII. VIR. EPULO. LIBERTO
OPTIMO. PATRONUS.

& Romæ clarior Inscriptio infra uberius adducenda

Q. CAECILIO. FEROCI
KALATORI. SACERDOTII
TITIALIUM. FLAVIALIUM

quibus quidem argumentis *Calatores* Ministros publicos, videlicet ad Sacra publicum *Calatorum* Ministerium spectasse non immerito dixeris.

M. MÆCIO. MEMMIO. FURIO. BALBURIO CÆCILIANO. PLACIDO. C. V. PONTIFICI. MAJORI. AUGURI. PUBLICO. P. R. QUIRITIUM. QUINDECEMVIRO. SACRIS. FACIUNDIS. CORRECTORI. VENETIARUM. ET. HYSTRIÆ PRÆFECTO. ANNONÆ. URBIS SACRÆ. CUM. JURE. GLADII. COMITI. ORDINIS. PRIMI. COMITI. ORIENTIS ÆGYPTI. ET. MOESOPOTAMIÆ. JUDICI. SACRARUM. COGNITIONUM TERTIO. JUDICI. IRERUM. EX. DE LEGATIONIBUS. SACRIS. PRÆFECTO. PRÆTORIO. ET. JUDICI TERTIO. CONSULI. ORDINARIO PATRONO. PRÆSTANTISSIMO REGIO. PALATINA POSUIT.

Indignos in carmina ducere cantus. mutua in alternum præbere alimenta. fortunæ condita summa. modus concessus in arvis. plena vincentem credita messe. fortunæ quærere sedem. variet genitura orbem exprimere. comprendere punctum. Manilius castigatus.

CAPUT XV.

ET hoc caput Manilio dabitur. quod ne abhorreat a more nostro, vulgaribus scripturis emendationes subjiciet: quas veras esse, nemo inficias ire poterit, præter, qui libris antiquis, quos hodie veluti honorarios testes appellamus, fidem volet abrogare. Ac statim quidem lib. 3. (1)

—— Vestros extendere fines

En conor, & dignos in carmina ducere cantus:

vel ipsum syllabarum iotervallum versus vitiosos esse clamat. scripserat Manilius:

Conor, & indignos in carmine ducere cantus.

noluit corrector, quisque ille fuit, Manilium, veterem poetarum magnifice de se loquentium, consuetudinem migrare: eique ad saltum præivit. Non multo post, aurea quedam carmina, una duntaxat immutata voce, suum fere splendorem amiserunt: quem sane ut illis reddam, quot sunt, apponam. (2)

Principium rerum & custos natura latentum,
Cum tantas strueret moles per mœnia mundi,
Et circumfusis orbem concluderet astris,
Undique pendentem in mediam, diversaque membra
Ordinibus certis sociaret corpus in unum;
Aeraque, & terras, flammamque, undamque natantem,
Mutua in alternum præbere alimenta juberet.

vuolgo; *alterutrum*. scripsi; *alternum*. probat, quod sequitur:

Ut tot pugnantes regeret concordia causas,
Staretque alterno religatus fœdere mundus. Mox:
In quibus omnis erit Natura ac condita summa.

scribe ex vetere libro: (3)

In quibus omnis erit fortunæ condita summa.

subjungit enim:

Sic

(1) *Manil. libr. 3. v. 4.*
(2) *Ibid. v. 47.*
(3) *Ibid. v. 78.*

Sic felix aut triste venit per singula fatum.

& illud, *ae*, a diphthongo veteribus integre, *ae*, scribi solita, & litteræ, *e*, cum, *e*, similitudine, proficiscitur. deinde:

Qui modus in servis, qui sit consensus in arvis,
Quaque datum magnas operum componere moles. (1)

omenda, me auctore, neque unquam auctoritate defugiam:

Qui modus in servis, qui sit concessus in arvis,
Quanque datum magnas operum componere moles.

quæ ut certa sunt; sic in iis quæ consequuntur,

Seu Cererem, plenam vincentemque horrea messem,
Aut repetat Bacchum, per pinguia musta fluentem;

illud quod in antiquioribus est;

Seu Cererem plena vincentem credita messe;

ambigitur. quod tamen priori illi, ut doctius & elegantius, libenter prætulerim: sed ita, ut in eo hominum doctorum, aliter sentientium, judicium accipere & subire sim paratus. post: (2)

Et ne forte vagus Naturæ quærere sedem
Incipias.

scribe: *—— Fortuna quærere sedem.* ante dixi: (3)

Fortuna perquire locum per sidera cuncta.

cui qui versus proximus est:

Ergo age ne falsa varia genitura figura,

recte, mea quidem opinione, sed opinione tamen, habebit, ceteroqui vacillans, si scripseris:

Ergo age ne falsa variet genitura futura. (4) sic infra:

Nec nocturna minus variant, quam tempora lucis.

Non possum, prius quam ad alia accedo, quin unam etiam in eodem Poeta maculam eluam: (5)

Sed quanta effectu res est, tam plena laboris,
Cursibus æternis mundum per signa volantem
Ut totum lustret curvatis arcubus orbem
Exprimat, & vultus ejus componere certos.

ita quidam liber. unde legendum conjicio:

Exprimere, & vultus ejus componere certos:

conjicio inquam, sed in eo, quod proximum est,

Ac tanta molis minimum comprendere punctum; (6)

veterem librum, qui, *comprendere*, non, *deprendere*, habet, sum secutus.

Dextera vorax. culus inquinatus. manus læva. Catulli Epigramma versibus quibusdam transpositis corruptum antea, nunc suæ elegantiæ restitutum.

CAPUT XVI.

QUi Catullo mediusfidius polito, adde etiam, omnium sæculorum consensu; docto, vel nostra vel partium avorumque nostrorum memoria, manum admoverunt, adeo multi sunt, ut vel rationem inire, quemadmodum eorum nomina recenseantur, sine molestia nemo possit. In illis tamen M. Antonius Muretus, eoque posterior Achilles Statius, (Di boni, qui viri?) ita excelluisse visi

(1) *Ibid. 90.*
(2) *Ibid. v. 176.*
(3) *Ibid. v. 17.*
(4) *Ibid. v. 159.*
(5) *Ibid. v. 211.*
(6) *Ibid. v. 215.*

visi sunt, ut, cum alter egregiam in Poetæ versibus Commentario, *Docto*, *Juppiter*, *& laborioso*, illustrandis, & per juventuti utilem operam poneret; alter nihil eorum quæ vel in libris Vaticanis, vel in aliis melioris notæ exemplaribus, a vulgata editione variare, deprehendere poterat, prætermitteret, aliquando etiam suas scripturas, nec alibi repertas afferre: uterque parum, aut nihil, aliorum industriæ reliquum fecisse judicaretur, sed tamen, quod quidem apud homines eruditos, & harum rerum intelligentes liceat, non pauca etiam hodie in eo sunt poeta, quæ vel propter rerum, de quibus agitur, ignorationem, a nobis etiam ignorantur; vel propter maculas, quæ illius versus plures etiamnum, quam vellem, insederunt, minus intelligi possunt. Ac prioris quidem illius generis ut major est numerus, ita majorem etiam diligentiam requirit, neque hac tumultuaria opera & subsiciva expediri potest, posterioris vero, exemplum elegans nunc dabimus, plura, quotiescunque res dabit, in his Antiquis daturi. Apud Catullum itaque tale exstat in Vibennios patrem & filium epigramma.

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, & cinede fili;
(Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore.)
Cur non exilium malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapina.
Nota sunt populo: & nates pilosas
Fili, non potes asse venditare.

In quibus versibus, & tertius & quartus, omnem, librariorum incuria, fortasse an interpretum imperitia, leporem perdiderunt: quo illos, tenuis cujusdam membranæ beneficio, lubens redonabo.

Nam dextra pater est voraciore,
Culo filius inquinatiore.

scio veteres furum manus inquinatas consuevisse dicere: scio quo Ciceronis illud, *manus læva*, referri oporteat: secundum quod, magnum illud Galliæ lumen Guilielmus Budæus, Turnanus, alii, suam hujus loci interpretationem accomodarunt. sed hoc me non potest de priore sententia mea, nulla præsertim alia ratione accedente, deterrere: maxime cum postremis ejusdem Epigrammatis versibus, & mutationi a me factæ, bellissime conveniat.

------ patris rapina
Notæ sunt populo; & nates pilosas
fili. &c.

sed nimius sum in re manifesta. neque mea frons patitur emendationis, in versibus parum verecundis, factæ largo sermone rationem reddere. & tamen hæc quoque illustrari quid vetat?

Extremum S. C. e Ciceronis lib. I. Invectivarum, glossema sublatum. Cicero restitutus.

CAPUT XVII.

M. Tullius Cicero Invectivarum Libro primo (sic enim Orationem, quæ in L. Catilinam prima legitur, veteribus Libris, Prisciano, aliisque superiorum subselliorum grammaticis auctoribus, vere an falso nihil laboro, certe verisimiliter, nominare soleo) eo igitur libro, Cicero cum de extremo illo atque ultimo S. C. ageret, ad quod nisi in ipso pæne urbis incendio, atque in desperatione omnium salutis nunquam discessum est: *darent*, videlicet, *operam Magistratus, ne quid Respub. detrimenti capiat*: quo potestas per senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur: eaque omnia, quorum alioqui sine populi

jussu nullum Consuli jus est, ut Sallustius, (1) Cæsar, (2) Livius, (3) alii prodiderunt: mox ad ea exempla delceodit, quæ senatusconsulti illius maximam apud majores auctoritatem fuisse declarabant; quæque omnibus passim erant in manibus. Itaque Graccos, Saturninos, Servilios, ejusdemque conditionis alios, quod & Cæsar fecit, nominat. *Hoc*, inquit Cæsar, *factum in perniciosis legibus, in vi Tribunicia, in secessione populi, templis locisque editioribus occupatis. atque hæc superioris ætatis exempla, expiata Saturnini, atque Graccorum casibus*. M. vero Tullius, cujus præter ceteros hoc in genere exultat Oratio, *Decrevit*, inquit, *quondam senatus, ut L. Opimius Consul videret, ne quid resp. detrimenti caperet: nox nulla intercessit; interfectus est, propter quasdam seditionum suspiciones, C. Graccus, clarissimo patre natus, avis majoribus.* (4) qua de re Philippicis hunc in modum scribit: (5) *Quod L. Opimius Consul verba fecit de r. p. d. e. r. i. c. Ut Ut L. Opimius Consul remp. defenderet*. Superiora autem illa Ciceronis verba, quorum causa hæc a nobis fiunt, cum mihi ex scripturæ varietate, quæ plerumque errori comitari solet, essent suspecta de vitio: nec illud satis ex eloquentia Ciceronis dici videretur; *patre natus, avis, majoribus*: neque tamen aut Lambinus, aut, qui illo prior his orationibus emendandis insudavit, M. Antonius Muretus, homo, quot sunt hominum, eloquentissimus & politissimus, aliud suggererent: cœpi, quod in rebus hujuscemodi soleo, primum librum vetustissimæ editionis, quæ Philippo Beroaldo procurante facta est, deinde alium scriptum manu, quem a V. C. doctissimo Q. Jacobo Susio, ab extrema usque Hollaodia e bibliotheca Egmondana accersitum, commodum tum penes me habebam, inspicere; & nunquid ab ea scriptura evariarent, observare. in quorum utroque, cum aliam looge ab ea, quam proposui, non quidem sententiam, sed verborum seriem deprehenderem: & in illo quidem; *Cajus Graccus clarissimo patre natus. A majoribus occisus est cum liberis M. Fulvius*: in hoc vero; *C. Graccus clarissimo patre a majoribus*: in loco quod res erat conjeci, vocem istam, *natus*, ex eorum numero esse, quæ in Cicerone plurima sunt ab ineptis magistellis adiecta glossemata. deinde siglo illo ; *a* ; avum designati. omne aut illud, quod dixi, ita oportere scribi: *interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones. C. Graccus clarissimo patre, ævo majoribus*, quæ eadem verba, alibi de Domitio Catuli avunculo, Ciceronem posuisse, Asconio referente, (6) cognoscimus, quo sane loco Domitium cum eodem isto Gracco, si id ad rem facit, aliqua ex parte composuisse videri potest, sic enim scripserat: *Sed si familiariter ex Q. Catulo sapientissimo viro, atque humanissimo, velim quærere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Grachi, non Tiberii, neminem, quem isti seditiosum existimant, nominabo; sed avunculi, Q. Catule, clarissimi, patriæque amantissimi viri: quid mihi tandem responsurum putatis?* ac deinde. *Quid avunculus tuus clarissimus vir, clarissimo patre, avo, majoribus? credo, silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo R. dedit, & potentissimorum hominum collegiis eripuit, cooptandorum sacerdotum potestatem*. Quæ mea conjectura, si, quod certi juris est, conjectura appellari potest, ne cui non satis firma esse videatur, testificor eandem me scripturam in optimo libro Gemblacensi, sexto quam hæc scripseram mense, plane sine ulla litura, quod in illius bibliothecæ libris rarum est, compertum esse.

Vacue-

(1) *Sallust. in Catil.*
(2) *Cæs. libr. 1. De Bell. Civil.*
(3) *Liv. lib. 3. ab urb. cond.*
(4) *Cic. orat. 1. in Catil.*
(5) *Id. Philipp.* 8.
(6) *Ascon. Pædian in Orat. 2. Cornel.*

Vacuefacio. vacuefacta. Cicero, Lucilius, & Codex Justinianus emendati.

CAPUT XVIII.

VOlo nunc, superioris capitis occasione, verbum antiquum sepultum excitare, & in eum, unde dejectum est, locum, eodem Invectivarum libro, reponere: aliasque voces, quæ in ullius possessionem, veluti vacuam & caducam, invaserunt, inde deiicere. Quod itaque scribitur: (4) *Quid vero nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisset, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti?* a sententia rectum est, a verbis non item, qui vero hanc scribendi rationem, ex professo, in Cicerone sunt sequuti; mutarunt quidem illi, non sustulerunt vitium, cum *vacuefecisses*, de vetustiorum omnium, qui sunt librorum consensu, quod olim etiam publicatum fuit, potius quam *vacefecisses*, iisdem invitis, scribere deberent. quid? quod etiam infra; *adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt*, (5) scribemus, si Lambinianos omnes, meosque, quos jam ante laudavi, & typis vulgatos, & manuscriptos libros, e quibus orationes istas emendatas habemus, audiendos existimabimus? sic Macrobius, (6) non indiligens antiquitatis imitator, *Permagna*, inquit, *abs te Postumiane, cum ex aliis, tum hoc maxime gratia fateor obstrictum, quod a prætextato veniam postulando, mihi in cena vacuefecisti locum*. sic Varro, *excandefacere*, Plautus, *expavefacere*, Ennius, aliique veteres, *patefocere*, dixerunt. Sed cum hæc vox fundi Ciceroniani possessionem recuperarit; Lucretiani quoque, nobis vindicias agentibus, recuperet. apud illum itaque quod libro 6. legitur.

Hoc ubi inanitur spacium, multusque vacescit
In medio locus: (7)

hoe alii verisimiliter, quis negat? veruntamen falso, ita scribendum judicarunt:

—— multusque vacesit
In medio locus:

vocem videlicet Latinam ignorantes, & barbaram, nulliusque pretii ei substituentes, Lucretium suis verbis privarunt, & alienis, pessimo, per Deum, exemplo, impudentes Latinarum vocum adulteri, contaminaverunt. quod ibi etiam fieri memini:

Hoc item cunctas in partes unde vacescit
Cunque locus. (8)

quibus maculis Lucretium purgaverimus, si, *vacuefit*, utrobique, uti res monet, scripserimus. quod in rescripto etiam Maximiani & Diocletiani Imperatorum, quod in Codice Justiniano (8) lib. III. tit. XXIX. cap. V. a compilatoribus ponitur;

Si totas facultates tuas per donationes vacuefecisti,

faciendum esse; ex duobus membranaceis libri illius exemplaribus, olim, cum Codicem Justinianeum cum veteribus libris integrum comparabam & ad eum notas perpetuas scribebam, didici.

Chilo-

(1) *Cic. orat. I. in Catil.*
(2) *Ibid. infr.*
(3) *Macrob. I. Saturn.*
(4) *Lucret. libr. 6.*
(5) *Id infr.*
(6) *Cod. justiniani emendatus.*

Chilonis sententiam aliter, quam vulgo, scribendam videri ad hoc. examussim. astu. honores. matrimoniorum frequentatio. defectus Agellii suppletus. ex eodem varia menda sublata.

CAPUT XIX.

A Gellio Noctium Atticarum scriptori sæpe antehac manum apposuimus: quod tamen non tam in ipsius Agellii, quam alienam gratiam, nos fecisse existimandum est, nunc suo quodam jure a nobis videtur exigere, ut laborem aliquem sibi proprium esse patiamur. quod sane, quando æquum postulat, & bene hoc quidem libro de nobis est meritus, ut alii meliores sint, ipse vero in iis qui consequeotur, Commentariis, benignior; non difficulter impetrabit. Habebit igitur hoc caput præcipuum: & quod nullus sibi, *ex jure Quiritium*, (1) ausit vindicare. Itaque statim lib. I. cap. II. post verba illa Epicteti, a quibus etiam videntur in oonnullis libris abesse nonnulla, subjunge: *His ille auditis, insolentissimus adolescens obticuit: tanquam si ea omnia non ab Epicteto in quosdam alios, sed ab Herode iu eum dicta essent.*

Eodem lib. I. cap. cui jam olim, ex iisdem schidis Buslidianis, suum initium, quod petierat, reperitavit, *Gulielmus Canterus*, utriusque linguæ in paucis peritus, cujus nuper vivi consuetudo mihi perfuit jucunde, nunc præcipiti superiore vere longa tabe consumti, &, noo sine magno nostro dolore atque horum studiorum iocommodo, e vivis sublati, gratissima est memoria: eo, inquam, capite, divina illa Chilonis, & nunquam, meo quidem judicio, satis laudata de duabus ferocissimis affectionibus, amore & odio, intra modum coerceodis, sententia, longe aliter in iis schidis, quam vulgo, perscripta est. vos ubi sit melius, utraque quasi ex contentione sibi opposita, dijudicabitis. Ac vulgo quidem: *Hac fini*, inquit, *ames, tanquam forte fortuna osurus: Hac itidem tenus oseris, tanquam fortassis post amaturus*. in schidis vero: *Hunc*, inquit, *amorem ita finiam, tanquam forte fortuna positurus: Hoc odium ita, ut te nunc oderim, tamquam fortassis post amaturus*, apertius certe, &, oisi judicans, fallor, elegantius: sed tamen in quo me scepticum esse velle, non criticum, memineritis. noo longe abiero.

Eodem lib. I. cap. IV. *Ad hæc scripta omnia antiquiora tam curiose spectabat, aut virtutes pensitabat, aut vitia rimabatur, ut judicium factum esse adamussim diceres*, scribo: *Ad hoc scripta omnia antiquiora tam curiose spectabat, aut virtutes pensitabat, aut vitia rimabatur, ut judicium factum esse examussim diceres*, duo hic sunt ἀρχαϊσμοὶ. *adhoc*, item, *examussim*. de illo plura in Sallustium. de hoc, quoniam primi innovamus, nunc dicendum. *Examussim*, inquit Nonius, *examinate ad regulam. est enim amussis regula fabrorum*. glossarium Latinum: *examussim*, ἐρευνας. *amusses*, credo, interpretari voluit, *examina*, ut Nonius, *examussim*, dixit, *examiuate*. Plautus Amphitruone.

Ne ista ædepol, si vera hæc loquitur, examussim est optima.

item Menæchmis:

Ut hanc rem vobis examussim disputem.

Eodem lib. cap. VI. *possint ad movendos hominum affectus qualicunque actu irrepere.* scribo: *qualicuuque astu*. ibidem: *propterea turpe esse ait rhetori*. scribo: *præterea turpe esse ait*. mox: *cum tanto honore atque vitæ dignitate apud Populum Romanum loquentem*. Lege: *cum tanta honorum, atque vitæ dignitate*. magistratus, quos Metellus Numidicus in Rep. R. gesserat, honores vocat. sic jus Prætorium, ab iis qui hooores, id est, magistratus gerunt, honorarium appellari, in jure civili legitur ibidem, *civitatem salvam esse sine matrimonium frequentia non posse.* scribe: *sine matrimoniorum frequentatione non posse*. Verba autem Metelli, eodem

capi-

(1) *Manil. libr. 4. vers. 143.*

capite posita, & quæ emendationem multam opus habent, hoc quidem loco non attingemus: ne illa Agellius, quo minus hæc præcipua habeat, sibi esse fraudi conqueratur.

Vestæ ponetralia. per secula, illudere ponto. Aries primam partem sibi vindicat. domini quotcunque. titulis fallantur pectora notis, ostentant mortalibus astra. negat vires victumque salubrem. consummat septima partem. auravit vellere pontum, ad Colchida tergore vexit. Manilii plurimis locis emendatio.

CAPUT XX.

Loxiæ oracula mihi audire videor, quotiens Manilium lego, ita multa sunt in eo turpiter conturbata, lacera, mutila, prodigiose obscura, & quæ nemo, nisi artem hariolandi noverit, recte interpretari potest. tentabo tamen ænigmata aliquot, ut Oedipus, solvere.

Festinos Capricorne foves penetralibus ignes. (1)

qui sint ignes festini, diu multumque quæsivi, sed frustra fui: neque ullum in antiquioribus litteris, ea de re, verbum, quid si, *Vestinos*, legeris? inepte: quid si, *feste tuos*? tantundem, quid si, *festivos*? ne hilum quidem profeceris. nisi forte ignes illos in Vestæ perpetuos, festivos, Vestinos, aut potius festos poeta dicere voluerit, quod non opinor. nam, quin ad eundem illum ignem verba sint torquenda, dubitari non potest. quo posito, veram scripturam hanc, ni fallor, inveni:

Vesta tuos Capricorne fovet penetralibus ignes.

quam sane castigationem, ea, quæ sequuntur, si recte scribantur, valde probant: (2)

Hinc artes studiumque trahit. nam quicquid in usus
Ignis agit, poscitque novas ad munera flammas
Sub te censendum est.

& idem Manilius plane conjecturam meam firmat, dum ita scribit: (3)

. . . . . *fovet Capricorni sidera Vesta.*

mox: (4)

Frigore Brumalem servans per sidera sortem.

scribo:

—— *servans per secula sortem.*

sequitur enim:

Qua retrahis ductas, summa ad fastigia noctes;
Nascentemque facis, revocatis, lucibus, annum.

deinde: (5)

Litoribusque novis, per luxum, ludere ponto:

scribe:

—— *per luxum illudere ponto.*

talis est illa Sallustii querela: (6) *Nam quid ea memorem, quæ nisi iis qui videre, nemini credibilia sunt? subversos montes, maria constrata esse.* sic alibi Manilius.

Inmissumque fretum terris, iter æquoris undis.

sic Seneca (7) de Caligula, ut quidem ab amicissimo Lipsio emendatus est: *Dum ille pontes navibus jungit, & viribus imperii illudit.*

 paullo

(1) *Manil.lib. 4. vers.* 143.
(2) *Ibid. vers.* 246.
(3) *Id. libr.* 11. *v.* 450.
(4) *Id. libr.* 4. *V.* 253.
(5) *Ibid. vers.* 263.
(6) *Sallust. Catil.*
(7) *Senec. de brevit. vitæ.*

paullo post: (1)

Astrorum princeps primam servat sibi partem,
Altera sors Tauro, Geminis pars tertia cedit.

prior versus multo alier in quibusdam libris legitur, & , quantum judicare valeo, rectius:

Namque Aries primam partem sibi vendicat ipsi.

dehinc: (2)

Tot ducit vires, dominos quotquotque recepit.

scribe:

Totque dabit vires, dominos quotcunque recepit.

mox: (3)

Ne tua sub titulis fallantur pectora noctis:
Dissimulant, non ostendunt mortalibus astra.

scribe: (4)

Nec tua sub titulis fallantur pectora notis:
Dissimulant; non ostentant mortalibus astra.

subinde:

—— junctisque sequendum
Vitibus.

scribe: (5)

—— cunctisque sequendum
Viribus.

post:

Ut signum a signo, sic a se discrepat ipso,
Momentoque negat vires, utroque salubris.

Lege:

Ut signum a signo, sic a se discrepat ipsum,
Momentoque negat vires, victumque salubrem,

quod probant illi proxima:

Quodque per has geritur partes, sine fruge creatur,
Aut cadit, aut multis sentit bona mixta querelis.

posterius: (6)

Unaque viginti numeris pars addita laudet.
Et quinctam & duram consumat septima partem.

emenda:

Unaque viginti numeris pars addita gaudet.
Et quincta & duram consummat septima partem.

sic supra in eodem poeta pro, *consumant orbem*, scripsi, *consummant orbem*, verbi tempus ignoratum, versum corrupit, & illud, *laudet*, extorsit. nunc sex aurei versus a me emendati, caput & librum componant: (7)

Sed juvat ignotum semper transire per orbem,
Scrutarique novum pelagus, totius & esse
Orbis in hospitio. caestis tibi Laniger ipse,
Cum vitreum findens aurato vellere pontum,
Orbatumque sua Phryxum per fata sorore,
Phasidos ad ripas, & Colchida regna revexit.

scribo:

Sed juvat ignotas semper transire per urbes,

Scruta-

(1) *Ibid. vers.* 317.
(2) *Ibid. vers.* 320.
(3) *Ibid. vers.* 371.
(4) *Ibid. vers.* 375.
(5) *Ibid. vers.* 431.
(6) *Ibid. vers.* 452.
(7) *Ibid. vers.* 521.

Scrutarique novum pelagus; totius & esse
Orbis in hospitio. testis sibi Laniger ipse,
Cum vitreum findens auravit vellere pontum;
Orbatumque sua Phryxum per fata sorore,
Phasidos ad ripas, & Colchida tergore vexit.

illud, *auravit*, quæ audax verbi fictio videtur esse, cum tamen, *inaurare*, *deaurare*, aliaque consimilia recte dicantur, in vetere quodam libro exstare testor. & sane meis quidem, nescio etiam an aliorum, auribus maxime satisfecit paullo diversius Virgilius, neque tamen minus audaciter: (1)

Discolor unde auri per ramos aura refulsit. (*a*)

jam, *ad Colchica reegna revexit*, præ alia illa scriptura, *ad Colchida tergore vexit*, vehementer sordet. neque enim, ante illud tempus, Phryxus in Colchide fuerat, ut eodem revehi debuerit. Sed hæc quanti faciam, quanti ab aliis fieri velim, nemo non videt: cum, tantam erratorum multitudinem, tanta loci angustia concludo, e qua nonnullos certe scio, quot emendationes sunt, totidem capita daturos fuisse, & vero unus Manilius, tot jam locis a nobis castigatus, unum illis observationum librum facile confecisset, ut de Agellio interim nihil dicam. quod & nobis etiam difficile non erat; nisi, abjecto verborum mundo, Antiquas lectiones scribere, easque nude & simpliciter proponere mallemus. Ne tamen nostra profundere, potius quam liberaliter donare, videamur, & ea re ingrata sint: *Pax*.

LUDO.

(1) *Virg. libr. 6.*

(*a*) Sermo hic nempe de arboris ramo aureo, quo penes Mar. Æneas ad inferorum sedes erat ducendus: carmen autem exponit ita Pontan. „ Discolor, „ quia ex viridi arbore alius color re„ fulsit. Auram auri pro Splendore di„ xit. Horat. pro oris nitore, venusta„ te, elegantia. Uterque metaphorice. „ Ode 8. lib. 2.

Te suis matres metuunt juvencis.
Te senes parci, miseræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

„ quin & aurum dicitur a Splendore, „ qui est in eo metallo, Hinc & aura„ rii dicti, quorum favor Splendidos „ reddidit.

LUDOVICI CARRIONIS
ANTIQUARUM LECTIONUM
COMMENTARIUS SECUNDUS.

LUDOVICI
CARRIONIS
ANTIQUAR. LECTION.
COMMENTARIUS SECUNDUS.

Antistare. pausa congressionem factum est. contumelia factum itur. rem præsidio futurum. inimicos dicturum. copias occupatas futurum. Deos benefacturum. in Quadrigario glossemata inducta. ejus, Nonii, item Agellii, diversis locis castigatio.

CAPUT I.

Q. Claudius Quadrigarius, præclarus annalium scriptor, & a veteribus laudatus, bellum, quod fuit P. R. cum Gallis, ut cetera gentis illius omnia, longe difficillimum, libro suorum primo, simplice quidem & incomta orationis antiquæ suavitate, purissime tamen atque illustrissime complexus est: in eoque caussam, qua T. Manlio cognomen Torquati fuit, verbis elegantibus, ut tamen hodie sunt, varie corruptis, explicavit. quæ primum uti nunc leguntur, deinde vero uti legi debent, ex libro Buslidiano, e quo nonnulla in historiis Sallustianis (1) olim emendare memini, huc adscribam. *Cum*, inquit, *interim Gallus quidam, nudus præter scutum & gladios duos, torque atque armillis decoratus processit: qui & viribus, & magnitudine, & adolescentia simulque virtute ceteris antestabat*. lego: *antistabat*. de quo verbo posterius dicemus.

Is maxime prœlio commoto, atque utrisque summo studio pugnantibus, manu significare cœpit, utrique ut quiescerent pugnare. pugnæ facta pausa est. lego: *significare cœpit utrique quiescerent pugnæ. facta pausa est*. alia sunt a glossemate.

Extemplo silentio facto eum (lego, *cum*) *voce maxima inclamat; si quis secum depugnare vellet, uti prodiret. nemo audebat propter magnitudinem, atque immanitatem facies. deinde Gallus irridere cœpit, atque linguam exsertare. id subito perdolitum est cuidam T. Manlio, summo genere nato, tantum flagitium civitati accidere*. Lego: *accedere*. sic alibi: (2) *si quæ tamen molestiæ accidere nonnumquam viderentur*. legendum: *accedere*: deinde: (3) *e tanto exercitu neminem prodire is, ut dico, processit; neque passus est virtutem Romanam a Gallo turpiter spoltari: scuto pedestri, & gladio Hispanico cinctus, contra Gallum constitit*. vetus liber; *gladio spanico contra Gallum*. vocem illam, *spanico*, capite truncatam esse existimo. cetera, antiqua lectio recta est *metu magno ea congressio in ipso ponte utroque exercitu inspectante facta est*. lego, *eam congressionem, in ipso ponte, utroque exercitu inspectante factum est*! rationem emendationis hoc extremo capite redditurus, *ita ut ante dixi, constiterunt, Gallus sua disciplina scuto protecto cantabundus; Manlius animo magis quam arte confisus. scutum scuto percussit; atque statum Galli conturbavit. dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet*: (vet. eod. *studeret*.) *Manlius iterum scutum scuto percutit: atque de loco certo iterum hominem deicit*. scribo: *atque de*

(1) *Agell. libr. 9. cap. 13.*
(2) *Agell. libr. 1. cap. 6.*
(3) *Id. libr. 9. cap. 13.*

loco iterum hominem deicit . alia illa voce, quæ huc irrepserat , ejecta . *eo pacto ei sub Gallicum gladium successit , atque Hispanico pectus hausit . dein continuo humerum dexterum eodem concussu incidit ; neque recessit usquam , donec subvertit , ne Gallus impetum icti* (vet. cod. recte *istius*) *haberet . ubi eum evertit : caput præcidit , torquemque detraxit ; eumque sanguinolentam sibi in collum imponit* . vetus codex *; eumque sanguinolentum sibi imponit* : aliis amputatis . quæ tamen scriptura , cum Nonio manifeste , *eamque sanguinolentam sibi in collum ponit* . legenti adversetur ; mihi quidem non est certa . illud pro comperto habeo, in Nonio (1) numerum annalis Quadrigarii qui illinc excidit, reponendum ; atque ita legendum : *Claudius Quadrigarius annalium libro primo* . Cicero (2) certe pro libro Buslidiano facit ; dum ita scribit : *atque hic T. Manlius is est, qui, ad Anienem , Galli , quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit* : deinde : *quo ex facto ipso posterique ejus Torquati sunt cognominati* . hactenus Quadrigarius . Quod autem in vetere libro esse monui , *eam congressionem factum est* ; hoc etsi novum , aut potius antiquum , genus est loquendi , & plerisque inauditum : eo tamen loco retinendum esse censeo, multa enim sunt ejusmodi in antiquissimis scriptoribus, quæ exemplo non carerent, nisi, exemplo pessimo , superioris ætatis homines ea subvertissent. Neque vero, uti ego ratiocinor , paullo propius abest a vero , librarios veterem sibique parum notam loquendi rationem in novam & ubique celebrem commutasse, quam contra fecisse tale est eadem hac oratione ; *magnitudo atque immanitas facies* : tale apud Catonem oratione pro se contra C. Cassium : (3) *Contumelia mihi factum itur* . tale etiam, quod magis huc facit, apud Ciceronem, *rem præsidio futurum*, apud Graccum oratione de Q. Popillio (4) circum conciliabula, *inimicos dicturum* : apud eundem hunc Quadrigarium annalium *centesimo* , *quinquagesimo* , item *duodevicesimo* (sic enim apud Agellium in veteribus libris legi video) *hostium copias occupatas futurum*, &, *Deos bonis bene facturum* , in quibus omnibus *futurum*, *facturum*, *dicturum*, &c. ita ponuntur, ut apud Græcos omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuuntur ποιῆσειν, ἐπιστῦχι, λέξειν, & similia.

Bambalo . ψελλιστης . balatbro . balatus . Cicero, Glossarius , & Adamantius Martyrius , restituti .

CAPUT II.

SI *Aricinam uxorem non probas ; cur probas Tusculanam ?* (5) *quanquam hujus sanctissimæ feminæ atque optimæ pater , M. Attius Balbus , in primis honestus , prætorius fuit : tuæ conjugis bonæ feminæ, locupletis quidem certe , Bambalio quidam pater, homo nullo numero . nihil illo contemtius ; qui propter hæsitantiam linguæ , stuporemque cordis , cognomen ex contumelia traxerit* . Verba sunt Ciceronis, de nescio quo M. Fundo , Antonii IIIviri socero , in quibus , quod eum propter hæsitantiam linguæ , & mentis stuporem , Bambalionem cognominatum fuisse , scribit : mihi quidem Sibyllinnum est oraculum . quod tamen utcunque interpretari conabor. Itaque , quod sine fraude liceat , in illis verbis Tullii , *Bambalo* , potius quam, *Bambalio*, scribendum censeo. qua voce hactenus, opinor, ignorata, quid significetur , vetustissimus Grammaticus Adamantius Martyrius , libello de nomine & prima nominis syllaba apud Cassiodorum (6), declarabit : si tamen ejus verba , ut a me, partim ex ingenio, partim ex diversorum librorum collatione, sunt emendata, proferantur. *Illa quoque* , inquit, *nomina* , *quorum secunda syllaba in a littera desinit , per b mutam scribuntur ; ut* , *Bambala* , ψελλιστὴς *bacca* , *balatbro* , ἄσωτος, *bala-*

(1) *Non.* Torquis.
(2) *Cic. libr.* 3. *de offic.*
(3) *Agell. libr.* 10. *cap.* 14.
(4) *Cicer. orat.* 5. *in Verrem Agell. libr.* 1. *cap.* 7.
(5) *Cicer. Philipp.* 3.
(1) *Cassiodor. in Ortograph.*

balatus , βληχητμὸς , *baratbrum* , *ac talia*. & infra : *Bam etiam vocalibus aliis intervenientibus in prima syllaba nullius nominis enuntiari cognovit : nisi in glossematibus ; Bammum*, ὀξυτάριον, *atque Bambalo*, ψελλιστής: *quæ per*, *b*, *mutam scribuntur*. In libro *Francisci Martinii* , omnis antiquitatis & humanitatis scientia valde ornati, cujus immatura morte abrepti memoriam, pro eo ac debeo, sancte veneror & colo, scriptum erat; *ambulo*; aliaque valde mendose , quæ ex fragmento libri Gemblacensis in paucis pagellis reliquo, alia, in frusta minima distracto, ita , ut edenda curo , legenda didici . Et sane scriptor ille , Græcam earum vocum interpretationem ex cottidianis Glossariis , ut appellat alibi , desumsit ; hodieque in optimo illo , quem nuper Henricus magno litterarum bono provulgavit, pleraque leguntur, nisi quod nonnulla in eo vitiosa sunt . Glossarius Græcus: ψελλιστής, *Vambal* scribe. *Vambalo*. ἄτωτος, balatro: βληχηθμος, ballatus, ballatus, ballatum δληχή balatus. Glossarius Latinus : *balatus* , Βληχμος : sed de eo alias dicendum erit. quod igitur is M. Fundus hæsitaret lingua, *Bambalo*, dictus est. notus est enim Græcos a densiore in verbis concursu mutarum, vehementer abhorruisse , propter eum , quem vocant , psellismum , qua re etiam nonnullis verbis , alioqui probis , usu & commercio hominum interdixerunt . quale est, πέπομπα. quod βομβώδη κόμπον efficere videretur. quo illud etiam Comici βομβαλοβομβάξ referendum est, de quibus ita mihi videtur.

Argentum Romæ quando signatum Eutropius, *Fasti*, *Plinius*, *ea de re correcti*.

CAPUT III.

ARgentum Romæ publice ex S. C. paucis , ante bellum Punicum primum, annis signari cœpisse , cum antea appenso uti consuevissent , inter omnes satis constat. quibus tamen Consulibus senatus id fieri oportere censuerit, Populusque R. voluerit, jusserit; plerique eorum , qui res Romanas nostra ætate litteris comprehenderunt , varie produnt. *Carolus Sigonius* , Italiæ sol , qui princeps aliis ad Romanam historiam, in hanc lucem, e situ pulverulento, in quo oppressa misere jacebat, eruendam signum sustulit, *Q. Fabio Pictore* , *L. Quinctio Gulone Consulibus* , vult videri factum ; deceptus, opinor, librorum , quibus usus est, vitio . *Stephanus Pighius* vir doctissimus & his in rebus mirandum in modum exercitatus, eumque secutus in Brugensibus, *Consulum triumphorum Q. Romanorum fastis* , noster *Goltzius* alter in Græca & Romana antiquitate investiganda Varro , *Q. Ogulnio Gallo*, *& C. Fabio Pictori Consulibus* , id tribuere maluerunt . quos sane ut sequerer, facile sum adductus. primum enim Fasti Græci *Gallum & Pictorem* ; Zonaras , *Q. Gallum & Fabium* , hoc anno Consules prodiderunt . Deinde in iisdem illis *Goltzii* Fastis, duo nummi argentei videntur. quorum prior ab una parte inscribitur : *C. Fabi* . *C. F.* ab altera vero . *Ex A. pu.* quod ex argento publico interpretari soleo ut ex iis fortasse fuerit , qui tum primum Romæ sunt signati ; alterius nummi hæc est inscriptio : *Q. OCV— C A—*: id est, *Q. Oculnius Callus*. ad hoc . Eutropius eosdem Coss. eidem anno dedit , si tamen ejus verba scribantur, uti debent . *Quincto* , inquit *Gulone & C. Fabio Coss. Picentes bellum commovere* , *& ab insequentibus Coss. P. Sempronio* , *Appio Claudio victi sunt*. ubi *Elias Vinetus*, cujus in diversos scriptores accuratæ & meditatæ commentationes sunt , in vetere quodam libro pro , *Gulone* , exstare , *Gallinio* , testatus est . quod caussam errori , in aliis , quot editi fuerunt , libris dedisse existimaverim. postremo C. Plinius (1) naturali historia, cujus mendo fœdissimo liberandi , in hunc sermonem sum ingressus, idem sensit. verba sunt : *Argentum signatum anno urbis* ɪↄ. ʟxxxv. *Q. Fabio Coss. quinque annis ante primum bellum Punicum*, quæ in codice antiquissimo bibliothecæ Camaracensis, ita perscribuntur : *Argentum signatum est*

(1) *Plin. libr.* 33. *Cap.* 3.

est anno V. C. ɔɪɔ. LXXXV. *Q. O. C. Fabio Conf.* ut nemini dubium esse possit, quin per singulas illas, *Q. O.* Quinctum Ogulnium intelligere sit necesse: & prior ille numerus, *quadringentos* annos signet: unde primore detracta nota, *quingentos* fecere librarii. Jam vero de posteriore illo numero, res est incerta. nam etsi argentum signatum quinque annis *bellum Punicum* primum præverterit, auctore Plinio: tamen XXCIV. supra ɔɪɔ. an. XXCV. fuerit annus, nihilo magis certum est: cum bellum Punicum partim anno V.C. ɔɪɔ. XXCIIX. alii, ɔɪɔ. XXCIX. nonnulli etiam ɔɪɔXC. excitatum fuisse scribant (*a*). Igitur Plinius, quod initio volebam, hunc in modum corrigendus est: *Argentum signatum est anno urbis* ɔɪɔ. XXCV. *Q. Ogulnio & C. Fabio Consulibus* (1) *Picentes bellum commovere*. in fastis vero Consules ita collocandi:

Q. Ogulnius L. F. A. N. Gallus.
C. Fabius. C. F. M. N. Pictor.

Gallum enim Consulem majorem, ut veteres loquebantur, fuisse, ex Plinio & Eutropio probatum est. qui error ex Antonii Contii elegantis & eruditi Jureconsulti fastis etiam tollendus est; in quibus eo anno Consules non recte ponuntur:

L. Quinctius Gulo, C. Fabius Pictor.

Magistri conviviorum. præfecti urbi. viri Consulares. regiones urbis. Lampridius & Sallustius, emaculati.

CAPUT IV.

PLurimus olim fui, cum in aliis omnibus, tum maxime in illustrandis inferioribus illis, & quasi minorum gentium historicis, neque vero me, quantum hic profecerim, pænitet, nam præter multa in iis a nemine eorum hactenus, quorum ad me scripta pervenerunt, intellecta, certe non explicata: octigenta etiam aut eo plura gravissima errata sustuli. qualia sunt quæ nunc proferam. Lampridius Elagabalo: *Præfectum urbicum sæpe post cenam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio; ita ut si recusarent, magistri eorum eos cogerent. voluit & per singulas urbes lenones præfectos urbi facere. & ut essent in urbe* XIV. *& fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos & ultimæ professionis homines*. Non possum quin satyram Varronianam appellem, &, *Hercules tuam fidem*, clamem. quæ sunt hæc verborum monstra, quibus ejiciendis vix illius, cujus fidem sum testatus, clava suffecerit? præfecti prætorio, quorum prima dignitas est, magistros habent? quos tandem illos? memoriæ? an scriniorum? an novos nescio quos, ab Elagabalo sibi appositos? sed quicunque tamen illi, cur præfectos potare compellant? nugæ meræ. vocem, *eorum*, expungendam, & de conviviorum magistris locum accipiendum didici, idque ante annos multos, in adversaria retuli. cujus rei testem habeo *Franciscum Medium*, varia liberalium artium cognitione & omni virtutis genere præstantem, mihique arctissima familiaritate junctum; aliosque non paucos, qui me, ut olim Carneadem Metrodorus putabatur, bene norunt. qua in eadem opinione cum *Lipsium* esse video, hominem beneficiis plurimis, injuria nulla mihi cognitum & primarum artium in hac nostra Belgica prope

(1) *Eutrop. libr.* 5.

(*a*) Obscuram incertamque rem non attingimus, antiquariæ rei gnaris expendendam, obiter unum addimus, nempe longe ante productos Coss. apud Charisium *Institut.lib.* 1. Varonem docuisse Nummum *argenteum* primo a Serv. Tullio conflatum, illudque si verum sit, quod cæteroquin ipsi dicere non audemus, de argento sub ætate Coss. Romæ invecto, supervacanea disputatione certabitur.

prope principem; vehementer, ut de aliis compluribus, ita de isto, idem utrique nostrum in mentem venisse gaudeo: & exactissimo divini illius ingenii judicio, conjecturam meam probari, serio triumpho. pergamus ad alia: *voluit & per singulas urbes lenones præfectos urbi facere*. quæ istæ urbes singulæ, quibus præfecti fiant? aut quæ isthæc loquendi ratio, *per singulas urbes præfectos urbi facere* (1)? nam de lenonibus urbi præficiendis; demus sane ut illi flagitio hominis in mentem venerit. sed hæc profecto certa sunt eorum somnia, qui frigida prohibentur. scripsit Lampridius: *Voluit & per singulas urbis regiones præfectos urbi facere*. quos Alexander, Elagabali, *cui in imperium successit*, secutus consilium, in urbis curatores, neque *eos ex turpissimis & ultimæ professionis hominibus*, *sed ex viris Consularibus mutavit*. quod idem Lampridius his verbis, ut in editionibus sunt, corruptis, ut a me adducentur, integris, prodidit: (2) *fecit Romæ curatores urbis XIV. sed ex Consularibus viris* (vulgo; *ex Coss. veros*.) *quos audire negotia Urbana cum præfecto urbis jussit*. (3) addit Lampridius: *& ut essent in urbe XIV*. error errorem trahit, superiora verba parum intellecta, etiam ista inquinaverunt, scripsit Lampridius: *Voluit & per singulas urbis regiones præfectos urbi facere, ut essent in urbe XIV. & fecisset si vixisset*. fuissent itaque Romæ XIV. urbi præfecti: quia totidem nimirum ejus regiones erant. totidem, inquam; non quod viro cuidam doctissimo excidisse miror, XVI. nam ut taceam *P. Victorem* ex professo ea de re scribentem ultra decimamquartam nullam nominare: *Plinius*, *Paulus Jureconsultus* alii idem sunt testati, *Plinius* quidem naturali historia: (4) *Mœnia Romæ collegere ambitu Imperatoribus Censoribusque Vespasianis anno conditæ* IↃCCCXXVIII. *pass.* XIII. M. CC *complexa montes* VII. *ipsa dividitur in regiones* XIV. Paulus vero libro singulari de officio præfecti Vigilum: (5) *deinde D. Augustus maluit per se huic rei consuli, nam salutem reipub. tueri, nulli magis credidit convenire, nec alium ei rei sufficere, quam Cæsarem; itaque septem cohortes, opportunis locis, constituit, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueatur*. addatur Cornelius Tacitus, qui lib. annal. XIV. *Tactæ*, inquit, *de cælo* XIV. *urbis regiones*. Lampridiani loci emendationem primum ex illis ejusdem in Alexandro verbis, deinde ex quodam libro in quo erat, *urbis legiones*. Lampridiani loci emendationem primum ex illis ejusdem in Alexandro verbis, deinde ex quodam libro in quo erat, *urbis legiones*, erui. sæpe enim accidere memineram, ut voces illæ, *regio*, &, *legio* mutuum locum occuparent, & recens erat in animo meo, de verbis quibusdam Sallustianis, nuper primum eadem occasione depravatis, indignatio; verba Jugurthino sunt: *sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus*. ubi cum in Plantiniana editione, cujus ab homine improbo & vix semidocto, factæ, Plantinus auctoritatem merito defugit; neque epistolam illi ab eodem præfixam agnoscit: sed tamen in ea editione, cum operarum, aut illius, quem dixi, culpa, *Legionis*, expressum esset: reliqui, qui post illa Sallustium typis suis publicarunt, & correctionem nescio quam promiserunt; eandem ei maculam insidere passi sunt. tanti negotii est scriptores optimos labefacere.

(1) *Lamprid. Elagabal.*
(2) *Id. Alexandr. correct.*
(3) *Id. Elagabal.*
(4) *Plin. libr. 3. cap. 5.*
(5) *In fin. cap. 1. & cap. 3. De offic. Præfect. Vigil.*

Alius finisset iter. votum solvit. amplexus Olympum. uox contrabit alas. indelassato corde. pontibus impositis. admovisse Jovem terris. tulit vestigia cursu. Mauliaui versus castigati, & alterius cujusdam vitium indicatum.

CAPUT V.

MAnilius lib. v. (1)

Sic alius finisset opus signisque relatis
Quis adversa meant stellarum numiua quinque,
Quadrijugis & Phœbus equis, & Delia bigis,
Non ultra struxisset opus.

inepta his in versibus battologia. quid enim est aliud'. non ultra opus struere, quam opus finire? quam vitabis, si, veterem codicem secutus, scribes?

Hic alius finisset iter.

cui illud convenit:

-------- *cæloque rediret.*

non multo post: (2)

Araque Divorum, cui vota resolvit Olympus.

scribe:

Araque Divorum, cui votum solvit Olympus.

infra: (3)

Maximus Orion, magnum complexus Olympum,
Quo fulgeute super terras, cælumque trabente,
Et mentita diem nigras nox contrabit aras:
Sollertes animos, velocia corpora finget,
Atque agilem officio mentem, curasque per omnes
Iude relaxato properantia corde videre.

emenda:

Maximus Orion, magnumque amplexus Olympum,
Quo fulgeute super terras, cælumque trabeute,
Ementita diem uigras nox contrabit alas;
Sollertes auimos, velocia corpora fiuget,
Atque agilem officio mentem, curasque per omnes
Indelassato properantia cordt videre.

deinde: (4)

Hiuc mibi Salmoneus, qui cælum imitatur in orbe
Motibus impositis, missisque per æra quadrigis;
Expressisse sonum mundi sibi visus, & ipsum
Amovisse Jovem terris de fulmine fingit.

Lege:

Hinc mibi Salmonens, qui cælum imitatur in orbe
Poutibus impositis; missisque per æra quadrigis;
Expressisse sounm mundi sibi visus, & ipsum
Admovisse Jovem terris de fulmiue finget.

fabula de ponte æreo, sive ferreo, in quem Salmoneus quadrigas agitando fulmen Jovis imitabatur, vel pædagogis nota est: neque hoc loco referenda. ut nec illa de Bellerephonte explicanda:

Cui

(1) *Mauil. libr. v. vers.1.*
(2) *Ibid. vers. 8.*
(3) *Ibid. vers. 58.*
(4) *Ibid. vers.91.*
(5) *Ibid. vers.100.*

Cui cœlum campus fuerat, terræque, fretumque: (5)
Sub pedibus non ulla tulit vestigia campus:

veruntamen, ita ut scribam, scribenda:

Sub pedibus non ulla tulit vestigia cursu.

sic ante dixit:

Vixque rotis levibus summum contingere campum.
Vincentem pedibus ventos.

tale est illud Calpurnii? (1)

-------- *Viridi sic exsultavit in arvo,*
Tangeret ut fragiles sed non curvaret aristas.

quem Poetam, Virgilio in illo scribendi genere proximum, longo quidem intervallo, sed tamen proximum, una cum M. Aurelio Nemesiano multis mendis purgatum, & elegantibus scholiis illustratum, noster *Modius*, elegantissimi ingenii juvenis & novem sororibus valde amicus, brevi in lucem dabit. Sequitur:

-------- *nec crede severa*
Frontis opus: signo fructos nec crede Catones,
Aut Brutum, atque parem Tarquinium & Horatia facta. (2)

His verbis mihi aqua hæret: & gratiam non vulgarem a me inibit, siquis aliquando divinior, & in conjiciendo acutior veram horum versuum emendationem afferet. quod ut fiat facilius, veteris libri scripturam, licet alioqui prodigiose corruptam, & nullius sententiæ, proponam;

-------- *nec crede severa*
Frontis opus, signi strictos in coda Catonis,
Abruptaque pari, Torquatum, & Horatia facta.

de posterioribus non difficilis esset conjectura: de prioribus difficillima. quod ænigma qui solverit; esto

Campis dives Apollo Marinæis.

nam, absque melioribus libris sit, præter illum, faciet nemo.

Alter ambove. Renatus Vegetius correctus. item Labeo Antistius apud Agellium. a. a. v. nota.

CAPUT VI.

Extremo eo senatusconsulto, de quo supra diximus, Remp. aliquando magistratui universo, iisve qui ad urbem essent; aliquando solis Coss. permitti solere vulgo notum est & alioqui infiniti veterum scriptorum testantur loci. illud fortasse omnibus non ita est obvium, nonnunquam senatum decrevisse, ut vel ambo Coss. vel alter eorum, si eis videretur, providerent, ne quid resp. detrimenti caperet. Verba Vegetii hac de re Libro de arte militari III. ut vulgata sunt, primum apponam: deinde, ut in membranis scribuntur, subjungam; & hoc, quod posui, verum esse eorum testimonio manifeste, opinor, vincam. *Quod si*, inquit, (3) *infinita multitudo de fortissimis gentibus rebellasset: tunc nimia necessitate cogente, duo duces, & duo exercitus mittebantur, cum hujusmodi præcepto, ut providerent, ne quid resp. detrimenti capiat Consules ambo.* Videtis iis verbis nihil eorum subesse quæ dico, & hæc frustra a me afferri, sed profecto illustris ille in primis scriptor, si quisquam alius, ita militariter est dilaceratus, & in partes diversissimas dissipatus, nihil prope ut sit in eo quod sibi cohæreat, & non potius a seipso omni ex parte diffideat, quod nos olim in eodem emendato uberius declarabimus: & nunc, vera loci istius apposita scriptura, nonnullam ejus significationem dabimus. itaque in optimo, eoque sane quam vetusto Divæi mei libro, ea

(1) *Calpurn. Eleg.* 4.
(2) *Ibid. vers.* 106.
(3) *Veget. lib.3.cap.1.*

ea sic perscribuntur: *Quod si infinita multitudo ex ferocissimis gentibus rebellasset: tunc nimia necessitate cogente, duo duces & duo mittebantur exercitus, cum hujusmodi præcepto, ut provideant, ne quid resp. detrimenti capiat, Consules, alter ambove.* Quod vero in alio quodam, eoque etiam vetusto, scribi memini, *ambo alterve, vel, alter, ambove:* ab inepta librariorum seu potius sciolorum interpretatione proficisci, prior, quem dixi, liber confirmat; & veterum, iisdem in rebus aut certe similibus decernendis, ostendit auctoritas. Cicero certe IX Philippica, cum de statua pedestri Servio Sulpicio statuenda ex illius ordinis sententia differit, ait senatui placere, *uti C. Pansa, A. Hirtius Coss. alter ambove, si eis videatur, quæstoribus urbanis imperent, ut eam basim statuamque faciendam, & in nostris statuendam locent.* quin etiam in nostris Jurisconsultis, Labeo Antistius, *eam virginem Vestalem capi nefas esse* scribit, *cujus parentes alter ambove servitutem servierunt, aut in negotiis sordidis deservierunt.* ut hunc interim Agellii (1) locum una etiam opera, emendemus. quid? quod pæne me fugit scribere, eam senatusconsulti partem, singulis his litteris *a. a. A.* olim notari consuevisse? quod ex iis, quæ Valerio Probo, a nescio quo, adjiciuntur, licet intelligere.

Mimus componere in majus. celebrare in majus, Sallustius apud Lactantium, item Lactantius alibi, emendati.

CAPUT VII.

MImi vocem in veteribus scriptoribus plerisque omnibus superioris sæculi negligentia, dicam an imperitia? esse corruptam, & verbi alicujus sibi cognati, aut litterarum similitudine conjuncti, sedem occupare, jam pridem alii monuerunt: & verum esse, exemplis eam in rem adductis, confirmarunt. Quibus nostram de Lactantiani cujusdam loci emendatione opinionem, nunc adscribimus, eamque uti testem extra ordinem interrogandum, huc allegamus: verba Lactantii (2) sunt: *Quod hæc ludibria non derideat, qui habeat aliquid sanitatis, cum videat homines, veluti mente captos. ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu nimis lascivus & ineptus esse videatur?* quo quidem loco, alium, nescio quem, librum paullo ita aliter perscripta habere; in eoque pro postremis illis, *nimis lascivus,* exstare, *minus sanus:* qui recognitione Romanæ, & editioni Plantinianæ præfuerunt, testificati sunt. mihi tamen, qui verum amo, scriptura hujuscemodi nequit satisfacere; neque vero quisquam eorum, qui paullo diligentius in priorem illam lectionem, & Lactantii sententiam intuebuntur, ea sibi satisfieri patietur. quid igitur dicemus? quod res est observatis nimirum litterarum vestigiis, & una voce io paucis mutata, *minus lascivus,* ibidem legendum videri: eamque vocis insolentiam pro hominum semidoctorum captu, parum notam Philosophi & Oratoris Christiani depravandi fuisse. Quæ quidem tam levis unius atque alterius litteræ immutatio facit, ut ex eodem capite, eodem etiam scriptore, certe apud eundem scriptorem Sallustio, simile mendum, quod in dictionibus passim omnibus hactenus latuit, neque a Romanis deprehensum est, eadem nunc facilitate tollam. *Hanc totam,* inquit, *opinionem quasi a poetis fictam Sallustius respuit; voluitque ingeniose interpretari cur altores Jovis dicantur Curetes fuisse. & sic ait: Quia princeps intelligendi divina fuerunt, vetustate, ut cætera, in majus componentes altores Jovi celebravisse* hic *componentem*, non, *componentes*, *Jovis* non, *Jovi*, scribeodum esse, res ipsa clamat non enim voluit Sallustius a Curetib. vetustatem, sed potius Curetum illud & inventæ & intellectæ religionis factum, ab ipsa vetustate, in majus fuisse compositum. Qua eadem prope loquendi ratione alibi Sallustius, eumque nisi fallor, imitatus doctus poeta Claudianus, usi, *in majus celebrare*, dixerunt. Sallustius Jugurthino: *Præterea seditiosi magistratus vulgus exagitare,*

(1) *Agell. libr. 1. cap. 12.*

(2) *Lactant. libr. 1. Institut. cap. 21.*

tare , Metellum omnibus concionibus capitis arcessere . Marii virtutem in majus celebrare . Claudianus Panegyri.

——— licet omnia vates

In majus celebrata ferant .

Adventus . Gentianus . principales officiorum viri . Herodianus , Codex Justiniani, Capitolinus , & Solinus illustrati & correcti .

C A P U T VIII.

SI quis est, qui commemoratione antiquitatis, exemplorumque prolatione, supra quam cuiquam est credibile , delectetur : in iis me libenter esse fateor : neque quicquam verius dici posse existimo, quam ætatem hominis oportere, cum superiore ætate, memoria rerum veterum contexi . Itaque dum historiam diligenter lego, & magna mea cum utilitate in ea versor: siqui sunt , qui se fortiter in Repub. gesserunt , eos admiror & religiose colo : neque quicquam eorum famæ, quam magnis sibi laboribus pro republica exhaustis confecerunt , volens detrahi patior. Quod meum solemne nunc ut servem ; Consulis Romani , cujus memoria eum ipso pæne nomine interivit, famam illustrabo : & ab injuria oblivionis, quantum potest, vindicabo. profecto eorum virtus , qui præclare in repub. sunt versati , meretur, ut nullo unquam tempore nomen fastis eximatur . Quis est autem qui *Adventi* Consulis, afflictæ reipub. temporibus , valde laudati , vel fando nomen audiverit? quem tamen prope a sacra Romani imperii majestate afsuisse , atque Impendentem cervici suæ , sub Imperatorio nomine, calamitatem prudentia quadam declinasse, & M. Opelio Macrino , qui cum Præfectus Prætorio fuerat, concessisse cuivis facile probabo . Consulem fuisse cum *M. Opelio Antonino Diadumeniano* Augusti filio iterum anno V. C. ɪↄcccᴄxxɪ , Cassiodorus, fasti Cuspiniani , (*a*) etsi præter , *Adventum* , nomen aut pronomen , aliud præterea nullum afferunt , idonei sunt auctores, cetera Herodianus expediet . qui historiarum libro ɪv. (*b*) *ἤστην δὲ* , inquit, *αὐτῷ ἐπάρχοντες τοῦ στρατοπέδου δύο ὁ μὲν πρεσβύτης πάνυ τὰ μὲν ἄλλα ἰδιώτης καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀπείρως ἔχων στρατιωτικὸς δὲ γεγενῆσθαι δοκῶν* , Αὔδεντος *ὄνομα αὐτῷ* , *ὁ δὲ ἕτερος* Μακρῖνος *μὲν ἐκαλεῖτο , τῶν δὲ ἐν ἀγορᾷ οὐκ ἀπείρως εἶχε , καὶ μάλιστα νόμων ἐπιστήμης*. Et paullo post : (*c*) *αἱροῦνται δὲ* Βασιλέα *πρῶτον μὲν* Αὔδεντον *ὡς στρατιωτικόν τε , καὶ ἔπαρχον ἀ φῦλον γενόμενον . ὁ δὲ γῆρας προϊσχόμενος , παρῃτήσατο . μετ' ἐκεῖνον δὲ τὸν* Μακρῖνον *πεισθέντων αὐτοὺς χιλιάρχων , οἱ καὶ τῆς ἐπιβολῆς τοῦ* Αντωνί-

(*a*) Diadumenianum , & Adventum, quos, producta monumentorum Auctoritate , Carrio Nost. ait iniisse Consulatum ab U. C. 971., in Fastis Consularibus Justinianeo Codiei appositis , una Coss. designant Ant. Contius ab U. C. Ann. 970. ; anni videlicet diversitatem interponit ; id autem , quoad expostulat sententiarum diversitas, attigisse sit satis , cœterum apud historiæ studiosos veritatis judicium esto.

(*b*) „ Erant autem Præfecti Exercituum duo ; unus quidem senex, cæteroquin *Idiotes* , & rerum Politicarum plane rudis, visus esse peritus rei militaris, cui nomen erat Advento : Alter autem Macrinus vocabatur , & in foro versatus, & juris , legumque prudentia doctus . „

(*c*) „ Eligunt Principem Primum Adventum, tanquam militarem virum , & Præfectum non ignarum, qui quidem senectutem suam adducens, recusavit Imperium; Post illum vero Macrinum, suadentibus *Chiliarchis* , quos quidem insidiarum Antonini consçios , & participes consilii Macrini fuisse, post illius mortem suspicio extitit , ut infra dicemus .

τονίνου συνωμόται, καὶ κοινωνοὶ τοῦ Μακρίνου γεγενῆσθαι ὑπωπτεύθησαν μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ἐροῦμεν.

Quo utroque loco Αδβέντος, aut certe una transposita littera Αδβερτος, scribi, & Politianus, *Adventus*, non *Adventius*, interpretari debuit. quod nomen etiamnum integrum, etsi alioqui non sine multa multorum sollicitatinne, in principali quodam rescripto mansit, quod me auctore, ut sexcenta in Codice Justinianeo alia, quæ in perpetuis nostris ad illum notis explicabimus, retinebitur. Rescriptum, quod dicn, lib. Codicis IX. tit. LI. c. I. legitur: cui deest subscriptin, æque atque inscriptio. (*a*) nam quod hodie pro inscriptinne est, rescripti caput, ni fallor, esse debet. quod ex ipsius rescripti verbis satis constat. quæ sunt: *Imperator Antoninus A. cum salutatus esset a Gentiano & Advento & Opelio Macrino Præfectis Prætorio clarissimis viris, item amicis & principalibus officiorum & utriusque ordinis viris. & processisset: oblatus est ei Julianus Licinianus ab Ælio Ulpiano tunc legato in Insulam deportatus. tunc Antoninus Augustus dixit: Restituo te in integrum provinciæ tuæ; & adjecit: ut autem scias quid sit in integrum restitui: honoribus & ordini tuo & omnibus tuis te restituo.* Rescriptum ut legendum judicamus, proponimus. primum, *Gentianus*, quod nnmen in *Diocletianum* (*b*) mutari non oportet, fuit cum Pomponio (*c*) Basso Consul anno V. C. IↃCCCCLXIV. quo *L. Septimius Severus Pertinax* sublatus est. qui in *Fastis Brugensibus*, librariorum, uti opinor, culpa, non recte, *Gentianus*, appellatur, quod ipsum in Julii Capitolini Pertinace evenit. verba sunt: *Denique aggressus cum Lollianus Getianus Consularis, quod contra promissum faceret, necessitatis rationem accepit.* scribe: *Denique aggressus eum Lollianus Gentianus. q. c. p. f. necss. rat. accepit.* de quo vetus hæc est inscriptio.

Q. EPIDIO. L. F. POL. RUFO
LOLLIAN. GENTIANO
AVGVRI. COS. PRO. COS. PROV.
ASIÆ. LEG. LEG. PR. PR. PROV.
LVGDVNENSIS. COMITI.
IMPP. SEVERI. ET. ANTONINI.
AVGG. LEG. LEG. XX.

Ne-

(*d*) Justinianeum Codicem qui digessit, adornavitque præ aliis, Ant. Contius evulgavitque Venetiis CIↃIↃLXIIII. ponere videtur, perinde nt in cæteris, ita vel hoc in loco Inscriptionem Capitis, estque hujusmodi „ Imp. Antoninus. A. „ addit præterea Titulum, scilicet „ De sententiam passis, & Restitutis „ liquet exinde quid reponendum sit Carrinni, Capitis, nt subscriptionem, sic & Inscriptionem optanti.

(*e*) Contium antea memoratum heic intelligimus veterem lectionem indicare, quæ habet: „ Quum salutatus esset (Antoninus A.) ab „ Diocletiano, Gentiano, & Adimento, „ & Apellio „ eaque profectn scriptura indicio est nnn vulgari, Dincletianum cum Gentiano permiscendum nnn esse, quin vel praeter Gentianum, in salutatione Antnnini, habendam aperte Diocletiani mentinnem.

(*f*) Redimus ad Contium, quo Anctore deprehendimus Severum A. esse mortuum Ann. ab U. C. *963*. Prid. Non. Febr., quo ex die Impp. Cæsares D. Severi Filii M. Antoninus Caracalla & P. Septimius Geta Imperii curam una gesserunt Ann. I. Dies XXII., & hoc plane anno, nempe ab U. C. *963*. Consulatu sunt functi Gentianus, ac Bassus, secus ae judicet Carrio Nost., cui salva esto reverentia, at nobis, in exquisita opininnum varietate, investigandæ, veritatisque proponendæ sit copia.

Neque illud quod in rescripto, est, *principalium officiorum viris*; cuiquam vitii suspicionem debet objicere, nihil enim funt aliud, *principales officiorum viri*, quam *Principes officiorum* (a) Idem Capitolinus in Antonio Philosopho: *Et verum quidem Marcus Capuam usque prosequutus, amicis comitantibus a senatu, ornavit additis officiorum omnium principibus*. De *Avento*, quem nonnulli in, *Adimentum*, vertere conati sunt, satis diximus, quæ tamen dicenda fuerunt, primum ut Herodianus emendaretur, deinde, ut rescripto sua verba servarentur, & nonnihil explicarentur, postremo ut Codicis Justinianei oræ, variarum lectionum ineptiis opletæ, tandem illis liberentur, quibus illud tamen est addendum, in eodem illo rescripto, veteres libros pro *Juliano Liciniano*, habere, *Hilario Liciniano*: ut etiam *Ælio*, non, *Opelio*, *restitui*, non, *restituere*: quæ manifeste meliora sunt. Superest ut moneam apud Julium Solinum, ipsa statim præfatione, *Adventi*, nomen mutari non debere, quum illud in veteribus libris alii testentur reperiri: & ego de quatuor antiquissimis membranis, cum quibus puer eum scriptorem comparavi, idem habeam fateri; quanquam Martino Antonio Delrio, juveni supra ætatem erudito, & mihi fraterna amicitia, ex domestica consuetudine primum orta, deinde meo, de eximia illius indole & virtute, judicio confirmata, amico, aliter aliquando, re fortassis non satis examinata, vitium fuisse, non ignoro.

Cultus cura. in fluctum ponere crines. revocare undis. morbus virtutis nomine. Leporem tollit. pedibus pinsare manus. ludere fulco. disponere palmas. terra spem credere in annua vota. Manilius locis aliquammultis emaculatus.

CAPUT IX.

SÆpe mihi Manilius est molestus: vereor ne & ego illi. sed tamen sive mihi, sive illi, seu potius utrique nostrum, hanc stat minuere molestiam. hoc tantum animo ægre est, quod, cum infinita ei adimam menda, plura tamen semper restare comperio. Quod itaque in eo scribitur: (1)

Illis cura sui vultus, frontisque decoræ
Semper erit; tortosque in flexum ponere crines,
Aut undis revocare, & rursus vertice denso

Fin-

(1) *Manil. libr. 4. Vers. 146.*

(a) *Officiorum Principes* noti sunt apud Romanos, iique censendi, qui cum in Palatinis officiis, tum in officiis Præsidum, & Rectorum Provinciarum, singuli pro muneris sui ratione locum primum obtinerent: unumquodque enim officium Principibus suis administrabatur, qui & *Primates officii*, & *Priores* vocabantur, recentioribus postmodum dicti Primicerii, ut videre est *tit.* 28. *in Cod. Theodos. Lib.* 27., ubi *Principes agentium in rebus* occurrunt, iidem appellati, & *Primates in l.* 22. *de agentibus in reb. eod. cod.*, & *Scriniorum Principes* reperiuntur apud Lampridium *in Alexandro*; præter hos Principes singulorum officiorum, magistrum officiorum recensendum esse, hominem nempe, qui officiis omnibus præesset, officiorumque omnium Palatinorum, & Principum officiorum Princeps foret, ac magister, docet vetus inscriptio. HERITO. DIVI. CLAUDII. PRINCIPIS. OFFICI. IMPER., qui scilicet *Princeps officii Palatini*, & *Princeps officiorum* esset habendus, secernendus propterea a *Principe officii*, quod omnia officia sub se haberet: ii vero, qui Principes dicebantur officiorum a Latinis, exponebantur a Græcis eadem significatione ac *agentes in rebus*, magno dignitatis nomine, quod videlicet officiis maximis eniterent.

Fingere, & appositis caput emutare capillis,
Pumicibusque cavis horrentia membra polire.

emenda, si me, me autem? immo si veteres libros audis:

Illis cura sui cultus frontisque decora
Semper erit; tortos in fluctum ponere crines,
Aut undis revocare comas, & vertice denso
Fingere.

mox: (1)

Natura pudet, atque habitat sub pectore caeco
Ambitio: & morbum virtutis nomine vitant.

corrige:

—— & morbum virtutis nomine jactant.

Notum enim est; *virtuti unicuique finitimum* vitium reperiri; & sub nomine virtutis frequenter dilitescere. deinde:

Septima pars Leporemque tulit: quo sidere natis
Vix alas natura negat, volucrisque meatus.

scribe: (2)

Septima pars Leporem tollit. q. s. n.

sic posterius dixit:

Ultima pars magni cum tollitur ore Leonis. (3)

Non longe abiero:

Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus pensare manus, & ludere saltu,
Mobilibusque citos ictus glomerare lacertis.

hic vitium non jam delitet, sed manifeste se prodit quo enim illud, *pensare manus*? ut de numeris interruptis nihil dicam. scribe:

Et pedibus pinsare manus, & ludere fulco.

in quorum utroque, qui antiquam eruditionem inesse non intelligit & *pinsare manus*, huc admittendum non videt; eo sane mereatur mitti, ubi aliud pinsare doceatur. sequitur: (4)

Ille potens turba perfundere cuncta pelarum;
Per totumque vagas corpus disponere plantas:
Ut teneat tantos orbes, sibique ipse recludat,
Et velut edoctos jubeat volitare per ipsum

scribo

—— turba perfundere membra pilarum,
Per totumque vagas corpus disponere palmas.

jam enim de plantis ea, quæ superius emendavimus, posuerat: utque de manibus loqueretur, reliquum erat. subinde:

Nunc cancro vicina canam: cur parte sinistra
Consurgunt jugulæ. quibus adspirantibus ortum
Te Meleagre colunt. (5)

leve vitium; nisi in gravissimo poeta sententiam everteret. quæ sibi constabit, si scripseris.

—— quibus aspirantibus orti
Te Melagre colunt.

infra: (6)

Nec solum terræ spem credit inania vota:
Annonæ quoque vectigal, mercesque sequetur.

scribe

Nec

(1) *Ibid. vers.* 154.
(2) *Ibid. vers.* 159.
(3) *Ibid. vers.* 16[illegible].
(4) *Ibid. vers.* 165.
(5) *Ibid. vers.* 174.
(6) *Ibid. vers.* 247.

Nec solum terræ spem credat in annua vota.

Varie per hunc Poetam vagamur ; nec uno loco consistimus . Neque vero quis existimet, ea, quæ nobis prætereuntur, sana esse, & vitio nullo laborare, quin potius, quo plures morbos detegimus, eo etiam plures & graviores occuli, & a nobis præteriri, unumquemque volumus credere.

Memoria in Seneca desiderata. defectus suppletus. alia correcta. Thucydidis & Sallustii sententia.

CAPUT X.

CUm multa, inquit Seneca (1), *jam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit, inter ea, quæ retuli, memoria est res, ex omnibus partibus animi, maxime delicata & fragilis; in quam primum senectus incurrit. hanc aliquando in me floruisse ut non tantum ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego. nam duo milia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam: & ab his, qui ad audiendum Præceptorem nostrum convenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens usque ad primum recitabam. Nec ad complectendum tantum quæ vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continendum, quæ acceperat. nunc autem & ætate quassata, & longa desidia, quæ juvenilem quoque animum dissolvit, eo perducta est, ut, etiam si possit aliquid præstare, tamen promittere non possit: & diu ab illa nihil repetivi.* Hæc Seneca. cujus de tam incredibilis & prope divinæ memoriæ fragilitate expostulatio vana poterat videri, nisi iisdem illis libris insigne nobis exemplum illius reliquisset. verba ejus sunt (2): *Multas quæstiones Rhetorici & Poetæ Romani a Græcis dictas non surripiunt, sed & provocaverunt. Thucydidis sententia est* (a): δειναὶ γὰρ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα. *Sallustii: res secundæ miræ sunt vitiis obtentui. Cum sit præcipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Sallustius vicit, & in suis illum castris cecidit. nam in sententia Græca, tam brevi quam salvo sensu, detrahas,* δειναὶ *vel* συγκρύψαι, *vel* συσκιάσαι, *vel* ἑκάστων: *constabit sensus, etiamsi non æque comtus, attamen integer. at ex Sallustii sententia nihil demi sine sensus detrimento potest. Titus autem Livius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam & tanquam translatam, & tanquam corruptam dum transferretur, objiceret Sallustio: nec amore Thucydidis facit, ut illum præferat; sed laudat, quem non timet.* Locum Senecæ non tantum varie emendatum, sed & illis Græcis & quibusdam etiam Latinis appositis auctiorem, ex vetere libro, quem olim a me doctissimus ille Franciscus Martinius dono acceperat, perscripsi. Græca autem sententia hodie nusquam in Thucydide comparet. quid igitur? an hanc librorum illius partem periisse suspicer? minime vero. Senecæ potius memoriam accusabo, qui hæc apud Demosthenem legerit, &, paucis immutatis, Thucydidi dederit. sic enim Demosthenes(3):(b) Ἀλλ' οἶμαι νῦν μετ' ἐπισκότει τούτοις τὸ κατορθοῦν. αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι, καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτα ὀνείδη. εἰ δέ τι πταίσει, τότε ἀκριβῶς αὐτοῦ ταῦτ' ἐξετασθήσεται. Hoc enim necesse est faciamus, nisi Demosthe-

(1) *Præfat. in Declamationes.*

(2) *Libr. 9. Declam. 1. & controvers. lib. 5. controvers. 25.*

(3) *Olynthiac. 2.*

(a) „Solent enim res secundæ uniuscujusque vitia tegere, atque obumbrare.

(b) „Sed puto nunc hæc diligentia corrigere; Res enim secundæ vim habent tegendi, atque obumbrandi hujusmodi dedecora; at siquid inde abierit, tum accurate in eum hæc animadverti continget.

nem eadem ista a Thucydide, quem sæpius sua illum manu descripsisse constat, velimus esse mutuatum. Sallustii sententia est in oratinne Lepidi lib. 1. historiarum. *Quare igitur tanto agmine atque animis incedis? quia secundæ res miserunt vitiis obtentui: quibus labefactatis, quam formidatus antea est, tam condemnetur.* cui sententiæ illud,

Stultitiam patiuntur opes,

magnam partem simile esse, monuit interpres Horatianus, (1) & nos ad Sallustium (2) notavimus.

Nisus grammaticus. Remmius Palæmon. Oris infamia. Arnobius, Suetonius, Ælius Lampridius, castigati & explicati. Achillis Statii emendatio explosa.

CAPUT XI.

QUartus hic erit grammaticus, cui vitam & famam conservabo: cujusque nomen e verborum mnnstris, velut e sepulcro, educam. Arnobius, (3) quæ supra attuli, verbis, Epicadios, Verrios, Nisos, & Scauros nominat. Thendorus Canterus vir diligens & multæ lectionis, *Gnifos*, prn, *Nisos*, scribendum contendit; eamque in rem, quicquid a Suetnnio, de M. Antonio Gnifone, illustri Imperatoris Julii ætate grammatico, quem M. Cicern aliquando audivisse dicitur, memoriæ proditum est, quasi videlicet illud ageretur, in testimnnium advocat. neque videt vir eruditus, *Gnifones*, eo pactn, non, *Gnifos*, debuisse dici, quod hnmini mihi amicn temere excidisse doleo. idem certe Suetnnius de M. Pompilin loquens: *Cum se in nrbe non solum Antonio Gnifoni, sed ceteris etiam deterioribus postponi videret, Cumas transit: Gnifoni*, dixit, nnn, *Gnifo*, quando rectius fecisset Canterus, si littera non dico mutata, sed una duntaxat virgula imminuta, Arnobium de Niso loqui monuisset, & illa Suetnniana abstinuisset ponere! Nisum certe in arte eadem claruisse Sosipater Carisius, Velius Lnngus, Servius Honoratus, Priscianus, illius auctnritatem sequi nnn verentes, satis magno sunt argumento. Et ne in re manifesta velle diutius mnrari videar; vnum atque alterum ex iis, quos nominavi, adducam in medium, unde id, quod dico, certius eognoscatur. Priscianus lib. 10. *Unge quidem Nisus, & Papinianus, & Probus, tam nngui quam unxi dicunt facere præteritum; Carisius vero unxi tantum.* Velius Longus: (4) *conjux sine n putat Nisus artigraphus esse scribendum, quoniam in genitivo casu facit conjugis. mihi autem videtur non evellendam exinde litteram, qua sonus enunciationis exprimitur. nam quamvis asserat non esse onerandam supervacuis litteris dictionem: ego tamen non fraudandum æstimo sonum suis litteris, quibus integer & plenns auribus intimatur.* Hactenus Velius. plura non addam. hæc enim hominibus non stnlonibus, verbo suffecerit indicare. Supplebit capiti quod deest, quinctus grammaticus quod tamen cum infami nominis ejus ad posteritatem memoria, magis quam hnnore fiet. sed profecto meretur hominis arrogantia, qui M. Varronem pnrcum appellare non dubitarit, secumque & natas & morituras esse litteras jactarit, ut, quæ de eo scripta sunt, recte ab omnibus intelligantur: neque ulln verborum involucro flagitiorum snrdes obtegantur. Est is, quem dico, *Q. Remmius Palæmon*. de qun ita Suetonius: (5) *Maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris: doctoque non inficeto notatum ferunt cujusdam, qui, cnm in turba osculum sibi ingerentem, quanqnam refugiens, evitare non posset: Vis tu, inqnit, magister qnotiens festinantem aliquem vides obligurrire?* quæ verba, ut hodie sunt, recta interpres Lusitanus suo more depravare, & in aliam plane for-

mam

(1) *Porphyrio ad Epist. 17. libr. 1. Horat.*
(2) *Libr. 1. Histor.*
(3) *Arnob. libr. 1. adverf. Gent.*
(4) *Velius Long. in Cassiedor. Ortograph.*
(5) *Sueton. in Palæmone.*

mam vertere studuit. sic enim scribit: *Lego usque ad infamiam orationis. sic etiam Cicero opinor, orationem accepit. ita enim legendum etiam illa, quæ sequuntur prope declarant: doctoque non inficeto.* Audio censorem. cui tamen, in hoc lustro, ne quis auscultet, & scriptorem optimum Lusitanicis quisquiliis inquinet, tribus, quod sentio verbis, explicabo. Dico igitur rectam esse eam, quam primo loco posui, sctipturam: neque ullius emendationis Lusitanicæ indigere. quod vel dictum illud noo nimis mehercule inficetum satis probabit, quod, sive vulgus, sive alius nescio quis illius est auctor, a Cicerone mutuatus videri potest, cujus illa sunt: *Hanc tibi legem Sex. Clodius scripsit spurciorem lingua sua. Sexte noster, bona venia, dic, quoniam dialecticus es, & hoc quoque lingurris.* Et: *scilicet tu belluoni spurcissimo, prægustatori libididnm tuarum Sex. Clodio socio tui sanguinis, qui sua lingua etiam sororem tuam a te alienavit.* Intelligit nimirum uterque turpitudinis genus nobis non nominandæ, quod Græci γλωσσοποιεῖν dicere consueverunt. de quo Poeta Saloninus nimis sane frequenter multa. Addam Ælii Lampridii (1) locum, quod eum in posterioribus editionibus, harum rerum ignoratione, depravatum esse constet. *Commodus concubinas suas sub oculis suis stuprari jubebat: nec irruentium in se juvenum carebat infamia, omni parte corporis atque ore in sexum utrumque pollutus:* scripserunt illi: *omni parte corperis augustiore.* quod autem ait, *ore in sexum utrumque pollutus:* primum ut fellatorem, deinde ut vitio, de quo loquimur, obnoxium, Commodum traducit. Quæ tamen superiorum locorum interpretatio, si cui nimis prætextata, & meis moribus minus digna esse videatur: Achillem Statium, qui suis me ineptiis & prava scriptores bonos corrumpendi libidine, huc coegit descendere, meminerit accusare.

Nimium quantum. e Cicerone & Agellio glossemata sublata. Cicero alibi purgatus.

CAPUT XII.

MUlta sunt in Cicerone, quæ, a singulari ejus eloquentia, & omnem in partem absoluta, vehementer diffideant: oeque ab alio, quam qui omnino 10 præclaris illius viri operibus sit hospes, pro Ciceronianis habeantur. Non jam loquor de prodigiosis illis, sive librariorum, sive alioqui hominum, qui sibi nimium didicisse visi sunt, erroribus; qui nimis sane multi etiamnum divinos illos libros obsident: sed de iis, quæ ex Grammaticorum semidoctorum interpretatione primum nata, oræ deinde librorum adjecta, postremo in ipsa Ciceronis verba incurrerunt; & longo tempore a nemine deprehensa, fefellerunt. Cujus olim modi meus *Lipsius* sagaciter mediusfidius nonnulla est odoratus, & diligenter indicavit. De hoc genere erit, quod hoc capite afferam: neque ab iis, qui Ciceroni, sæpius ad incudem revocato, nihil ad perfectionem posse accedere gloriantur, animadversum. verba Ciceronis lib. 4. de finibus sunt: *Quid Zeno? portenta hæc esse dicit, nec ea ratione ullo modo posse vivi; sed differre intet honestum & turpe nimium quantum, nescio quid, immensum.* ubi posteriora verba, *nescio quid immensum*, dejerare libet non esse Ciceronis, sed alterius, nescio cujus: qui, ut jam sæpe dixi, ea ad novum illud & plerisque insolens loquendi genus, *nimium quantum*, explicandum, margini adscripsit. Et primo quidem, ut fons erroris quasi digito monstretur, erat qui cum illud, *nimium quantum*, non satis intelligeret, ad oram libri annotaret, *nescio quid:* quo se eorum verborum vim fateretur ignorare. accessit alius non paullo, ut sibi videbatur, doctior, qui, ut superioris hominis consuleret inscitiæ, adjecit, *immensum*. eam nimirum illius locutionis notionem innuens, mox utrumque pro Ciceroniano receptum est, quod sane me suadente, & veterum librorum suffragio approbante, illuc, unde profectum

est,

(1) *Lamprid. in Commodo.*

eſt, relegabitur; & Ciceronis verba ita ſcribentur: (1) *ſed differre inter honeſtum & turpe, nimium quantum; inter ceteras res nihil omnino intereſſe*. Quod gloſſema cum ex aureolis illis de finibus libris amandaverim; volo aliud, eadem tamen occaſione natum, velut monſtrum, in Agellio (2) exponere, & verum ejus partum tollere. Hiſtoria eſt Phocionis Peripatetici ſuper Demoſthene & Laide meretrice. *Lais*, inquit, *Corinthia ob elegantiam venuſtatemque formæ grandem pecuniam demerebat; conventuſque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant: neque admittebatur, niſi qui dabat quod popoſcerat. poſcebat autem illa nimiam quantitatem.* quæ poſtrema verba interpretatio fuerunt eorum, quæ Agellius poſuerat. Et ſane in libro Buslidiano longe aliter hæc ſunt ſcripta, & unde veram eam eſſe, quam dico, lectionem, cuivis etiam plane cæco, manifeſtum erit. in eo igitur libro eſt: *poſcebat autem illa nimium, quantum vix dari poterat*. quis jam eſt, qui non videat, ſit licet Tireſias, primum Agellium illa Phocionis, *ἀμήχανον ὅσον* aut certe *ἄπλετον ὅσον* interpretantem ſcripſiſſe, *poſcebat autem illa nimium quantum*? mox, ut ad mulctram muſcas, ita ad verba parum intellecta varios emendatores acceſſiſſe? quorum partim, *nimium, quantum, vix dari poterat*: alii; *nimiam quantitatem*, emendarint. ſupereſt ut eadem illa verba in Oratorem (3) ad Marcum Brutum, unde exciderunt, reſtituantur. *Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, qui in dicendo mirum quantum valent*. nam & ibi, *nimium quantum*, veteres libros repræſentare, Lambinus teſtatur; & vero ego in optimo illo Gymnaſii Lovanienſis Codice, ita ſeſe rem habere, comperui; quanquam & prior illa loquendi ratio non eſt ignota Græciæ.

De eadem loquendi ratione apud Terentium diſputatio: ejuſdemque Terentii caſtigatio.

CAPUT XIII.

POterant & iſta cum ſuperioribus conjungi & eodem capite concludi: niſi illud eſſet certorum hominum faſtidium, ut in nullo ſcriptionis genere prolixitatem quam in iſto, patiantur ægrius: malintque unam duntaxat, eamque tenuem unius alicuius libri maculam unius capitis compendio purgari, quam eodem capite paullo prolixiore vel decem tolli. quibus ſi quando copia ſum moleſtus; eorum arbitrii rem facio, ut unum caput vel in decem partes tribuant, & quem cuique velint terminum, quam etiam libet inſcriptionem donent. quanquam quæ iſthæc eſt nauſea, varias ſcriptorum emendationes ſi capitis unius atque alterius intervallo diſiunguntur, volentes legere, eaſdem, ſi eadem ſerie comprehenduntur, averſari? ſed tamen, ut dixi, his de rebus, ſibi quiſque ſtatuat quod volet. quæ ſibi quiſque ſtatuerit; mihi volenti fecerit. Locus eſt Terentii Phormione, (4) vitii & erroris manifeſtus; neque tamen judicem hactenus invenit aut vindicem. cujus ego quidem ſi judex non ero; vindex certe conabor eſſe.

Get. *A primo homo inſaniebat*. C. *cedo, quid poſtulat?*
G. *quid? nimium quantum libuit*. C. *dic*. G. *ſi quis daret*
Talentum magnum.

ſic hodie in optimis Mureti, Fabricii, Rivii, Faerni editionibus verſus, eadem etiam Perſonarum diſtinctione, concipiuntur, non recte, ſi recta eſt Donati eos verſus interpretari volentis hæc annotatio: *Quid? nimium, quantum libuit. apud quoſdam diverſæ perſonæ cum verbis ſingulis*. quæ verba cum ſuperioribus illis, mea opinione, parum conveniunt. neque enim fuerunt, credo, qui ita legerent:

quid? G. *nimium*. C. *quantum*. G. *libuit*.

quod

(1) *Cicer. 4. de finib.*

(2) *Agell. libr. 1. cap. 8. ut vulgo nam in libr. Buslidiano lib. eſt 18.*

(3) *Cicer. Orat. ad Brutum.*

(4) *Terent.* in Phormione *Sc.* Expecto,

quod est necesse, si vera est ea, quæ vulgaris est scriptura: & tamen illud, *libuit* sententiam eo pacto habebit nullam, quid? quod Celsus apud Carisium plane, *nimium quantum*, legerit? & illud acceperit, *uti*, *mirum quantum*, *incredibile quantum? licet*, inquit Carisius, *quidam sic legant, ut nimium servus dicat, quantum vero senex*. Constat ergo nec Donatum aut Celsum, nec ipsum Carisium illud, *libuit*, agnoscere; sed versus Terentii ita legere:

C. quid? G. nimium quantum C. dic. G. si quis daret.

quo tamen modo versus, qui hic sunt senarii, justo breviores erunt. atque hoc, scilicet illud fuit, quod novum tibicinem versui suffulciendo bonos illos viros quærere coegit. nos quod Terentium scripsisse opinamur, & ex Grammaticorum verbis odorati sumus, proponamus. scripsit igitur Terentius:

C. quid? G. nimium quantum. C. quantum? dic. G. si quis daret.

Illud autem posterius, *quantum*, vel a librariis, verba geminare non consuetis, vel ab iis, qui superiora illa verba minime intellexerunt, & hoc superfluum esse existimarunt, omitti potuit. Videamus nunc quid illi sibi voluerint, quos diversis personis singula verba attribuisse ex Donato & Carisio cognoscimus. igitur illi scribebant:

C. quid? G. nimium. C. quantum? G. quantum? C. dic. G. si quis daret?

sic enim singulis personis singula dabuntur verba; & optime servi, quid hero sit dicturus, hæsitantis & quærentis, herique servum urgentis affectus exprimetur. neque mihi ea distinctio priore illa, vel tantillo deterior esse visa est. Ut ut est, veram & germanam ejus loci a tot magnis viris præteriti, neque satis intellecti sciptuгam inveni. quod *ni ita siet*, sponsionem facere sum paratus & non quinquaginta ex lege, sed quingentos asses apud Pontificem deponere. Certe doctissimo & amiciss. *Lipsio*, cum de superiore Ciceronis loco in eius scano differeremus, & ille Terentii versus eodem videri pertinere diceret, emendationem meam me probare memini. quod multo etiam magis verum esse mihi persuadere cœpi, postquam amici mei *Theodori Pulmanni*, præclare de his studiis meriti, librum veterem contingit inspicere. in quo diserte scriptum est:

G. quid? nimium D. quantum? G. quantum libuit. D. dic. G. si quis daret.

lectione, si vox illa, *libuit*, ejiciatur, omnino recta. (*a*) nam quod ibi personarum est discrimen prorsus retineri debet: & quæ vulgo Chremeti tribuuntur Demiphoni dari, quod sane in altero etiam Pulmanni libro conservatum est.

(*a*) Legit hunc Terentii locum Guido Juven. Cenom.

C. At primo homo insanibat. C. cedo quid postulat?
G. Quid? nimium: quantum libuit. c. dic. G. si quis daret
Talentum magnum.

redditque sensum „ G. at primo. idest. „ in principio, homo Phor. insaniebat. „ idest furebatur, cum ei ista dicerem. „ D. cedo. idest. dic, quid postulatur „ non sit molestus, & ut puella facessat. petis quid postulet, postulat ni„ mium. idest immoderatum pretium, „ sive munus, videlicet tantum postu„ lat, quantum libuit sibi. D. dic quid „ postulet. G. dicit forsitan se facturum „ si quis daret talentum magnum, „ quod constat ex octoginta libris ut „ supra „. dilucide itaque quoad fieri potest pretii mente declarata num vox *libuit* recte sit eliminanda, sanus judicet lector.

Sulcatis credere terris. usura forte major. vescimur auro. arcu teloque: agitata pectora in usus non contenta domo. inter medios prensare meatus. Manilius correctus, & de quodam loco conjectura.

CAPUT XIV.

NUnquam operam Manilio dare parcam, dum mea tamen illi utilis esse poterit. nullum enim tam leve ab eo vitium auferri potest, quod non & meliorem & intellectu faciliorem faciat Poetam, satis alioquin per se, iis qui Mathematicas disciplinas non attigerunt, difficilem. quis enim non rectius intelligat, quæ emendavimus;

Seminaque in fœnus sulcatis credere terris, (1)
Usuramque sequi majorem forte, receptis
Frugibus innumeris, atque horrea quærere messi:

quam ea quæ sunt vulgo?

Seminaque in fœnus sulcatis reddere terris,
Usuramque sequi majori forte....

item quod sequitur: (2)

Quod solum decui: mortales nosse metallum:
Nulla fames, non ulla forent jejunia terris:

quam vulgare illud? (3)

Quod solum docuit mortales nosse metallum.

exiguum est,

——— *tectique auro jam vescimur auro:*

cum vulgo sit:

——— *tectique aurc jam vescimur aurum:*

neque tamen contemnendum. ut nec illud infra:

Hectoris ille faces, arcusque & tela fugavit:

quod corrigimus; (4)

Hectoris ille faces arcu teloque fugavit.

at vero paucis abhinc versibus, quod proximum est; (5)

Sollertes animos, ægitataque pectora fundet,
Et finget variis nec deficientia curis.
Nec tentata domo. populi sunt illa ministra,
Perque magistratus, & publica jura feruntur.

sine nostra correctione nequit intelligi, quæ talis est:

Sollertes animos, agitataque pectora in usus
Effinget varios, nec deficientia curis,
Nec contenta domo, populi sunt illa ministra,
Perque magistratus & publica jura feruntur.

quo quid apertius? quid elegantius? Constat nos igitur operam non ludere, si quando Poetæ illi manum admovemus. lubet alios, eosque perturbatos admodum versus proponere, & conjectura nostra conari emendare:

——— *aut bellum incidere mundo,* (6)
Et medios inter volucrem pensare meatus:
At nitidos clamare suis ratione sedentem,
Pascentemve super surgentia ducere lina.

credo poetam, si revivisceret, nisi probe, quid scripsisset, memorem, ex his verbis, aptam ullam sententiam non posse ejicere. liber Gemblacensis:

Et

(1) *Manil. libr.* 4. *v.*274.
(2) *Ibid. v.* 276.
(3) *Ibid. v.*292.
(4) *Ibid. v.* 300.
(5) *Ibid. v.* 314.
(6) *Ibid. v.* 368.

Et medios inter volucrem pensare meatus,
Aut nitidos clamare suis, ramove sedentem,
Pascentemve super fugentia dicere vina.

correctum in eodem, ut in plerisque illius Bibliothecæ libris:

Aut nitidis damnare suis, ramove sedentem,
Pascentemve super surgentia deicere lina.

suspicor legendum; neque sat scio, si cui meam suspicionem probare potero, quæ mihi tamen, quod in meis rarum est, hoc quidem tempore non admodum displicet: suspicor, inquam, legendum:

Et medios inter volucrem prensare meatus,
Aut nidis damnare suis, ramove sedentem
Pascentemve super surgentia deicere vina.

intervallum illius, *deicere*, nisi me judicium fallit, erroris culpam sustinet: &, *clamare*, a librariis extrudit, cum, *dicere*, scriptum esse opinarentur. de quo tamen per me quivis judicabit, ut volet.

Post principia. Viaticum. Q. Claudii Quadrigarii insignis defectus, & alter M. Varronis, suppleti.

CAPUT XV.

Scriptor *Noctium Atticarum*, sive is Aulus Gellius est, sive, quod veteribus libris, omnium eorum qui illum nominarunt, affirmantibus & ipsi Prisciano magis credo, Agellius; verba quædam cumprime elegantia e libro primo Claudii Quadrigarii, ut nova, & ætate M. Tullii Ciceronis ac deinceps rarissima, lib. 17. recenset: iisque vel laudis vel culpæ notam apponit. quale est; *Viaticum*. (1) quod illustris ille historicus, pro facultate magna, si Agellio credimus, & apparatu magno nova posuit verba quidem ipsa Quadrigarii, ut ibi leguntur, ejus rei fidem nobis nullam faciunt. sic enim perscribuntur: *Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia, pariter præcellebat, ut facile intelligeretur magnum viaticum.* Igitur si id, quod dicit Agellius, ex hac oratione necesse est colligere: magis est necesse, ut locum mutilum esse, verbis aliquot, quæ eam sententiam ejicerent, omissis intelligimus, quo enim illud, *ut facile intelligeretur magnum viaticum?* aut quæ in eo illius est, quam diximus, significationis nota? nec multis addiderat ex eodem Quadrigarii libro Agellius, *ex se, atque in se, ad rempublicam evertendam habere*. atque ita olim scripserat, *simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia, pariter præcellebat, ut facile intelligeretur magnum viaticum ex se atque in se ad rempublicam evertendam habere*. quæ verba ex libro Buslidiano addit, quod ille volebat, confecerunt, &, *viaticum*, pro apparatu & facultate ab historico positum esse, declararunt. Varroni quoque verba aliquot, quæ lucem hactenus videre timuerunt, ex eodem illo libro, quod capitis hujus inscriptio pollicetur restituamus. Varro Sisenna vel de historia: (2) *Quod si non horum omnium similia essent principia: fusque deque esset*. scribe: *quod si non omnino similia essent principia, ac post principia, susque deque esset*. sic idem alibi Varro (3): *Hanc aut non discimus, aut prius desistimus quam intelligamus cur discenda sint. Voluptas autem, vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis exsistit, cum perfecta absolutaque sint: in principiis vero ipsis ineptæ & insuaves videntur*. Atque ita quidem capitis hujus inscriptioni satisfecimus.

De

(1) *Agell. lib. 17. cap. 2.*
(2) *Agell. lib. 16. cap. 9.*
(3) *Id. lib. 16. cap. 18.*

De locis aliquot. Plauti Rudente, judicatum.

CAPUT XVI.

RUdente, in faceto illo Sceparnionis & Ampelifcæ colloquio, cum eam facerdos Veneris aquam e proximo petere juffiffet, & illa jam apertis vicini foribus Sceparnioni, quamobrem effet miffa, vellet exponere:

Ad vos inquis, inquit, *venio*. at nequam fervulus adhinnire jam ad lapidam ancillam incipiens, & paullo familiarius eam tractans, refpondet:

> . . . . . *Accipiam hofpitio fi mox veneris,*
> *Item ut affectam nam nunc nihil eft qui te inanem.*

fufpicor fcribi oportere, perfonis etiam, uti ponam, diftinctis:

> Am. *Ad vos venio*. Sce. *accipiam hofpitio fi mox veneris*
> *Item ut affectas. nam nunc nihil eft qui te inanem.*

Nequior enim & liberior eft fententia. Si mox, inquit, ad me veneris, præftabo tibi officium & hofpitium, quod præftari fexus vefter amat, & quod tacita petis. nam ut nunc res eft, parum habeo, qui te inanem & fitientem expleam, id enim verbum poftremum Plautus modefte reticuit, quanquam cum aliis libris fic, *qui te maneam*, de fcripturæ veritate dubito. neque fat fcio an legi poffit. non nimium ab illo, *inanem*, recedendo, *qui te juvem*. & ne quid diffimulem, fcribi, mallem; *fi mox venis*: id eft, noctu, quomodo verfum illum Afinariæ elegantiffime reftituit Lipfius:

> Ph. *Quo nunc abis? quin tu hic manes?* AR. *mox fi voles manebo*,

qualis etiam illa XII. tabularum lex eft.

> SI NOX FVRTVM FACTVM ESCIT, SIM ALIQUIS OCCISIT; JURE CAESVS ESTO.

de quo in commentario ad leges Decemvirales plura fcripfimus. (*a*) Scena cujus initium: *Qui funt*.

> ——— *verum quicquid fuerit*,
> *Comiter fiet a me, quæ non copia*
> *Valebit* . . . . .

fententia poftulat ut legimus, *quod mea*, aut, quod propius abeft a vulgari lectione, *quod noftra copia valebit*, id eft, quantum potero fciveroque. antea enim dixerat.

> ——— *Egomet vix colo vitam*,
> *Veneri cibo meo fervio*:

& hæc continuo fuerat fubjunctura, nifi eam interpellaffet Ampelifca. error ex compendio litterarum, *noftram*, quod illi in, *non*, mutarunt. Plautus Mercatore:

> *Quin fi imperes tu mihi, ego faciam. facere certum,*
> *Pro copia & fapientia quæ te velle arbitrabor.*

id eft, ut fefe ferent res, fortunæ, & fapientia. fubdit enim Lyfimachus:

> *Laboriofi nihil tibi quicquam operis imperabo.*

fed

(*a*) Ejufdem legis rationem ita defcriptam habes apud Grav. Libr. De Jur. Natural. Gent. & XII. Tabularum: „ Majoris autem periculi tempore, nempe nocturno cautiores effe oportebat homines ab infidiis, & rapinis a quibus ut malefici abftinerent, leges nocturni furis cædem impunitam dimiferunt. Quæ fuit etiam fententia legis XII. tab. in quas Atticarum legum convenere fenfus. Igitur Decemviri nocturnum furem quoquo modo interfici permiferunt: ne dum quis modum in re fua defendenda teneret, & quæreret; lucis ope deftitutus, aut fpoliaretur a fure, aut obtruncaretur “.

sed ad Rudentem. Scena, cujus initium: *Cupio edepol.*

Omnia estbæc ego facilo patior dum hic hinc a me sentiat.

scribendum videtur:

Omnia istbæc ego facile patior, dum hic a me sentiat.

voce illa. *hinc*, quæ nihil nisi glossema est, ejecta. sequitur enim:

Dæ. *Atqui nunc abs te stat. verum hinc tibi testimonium.*

eadem scena:

Ubi ego dicam, quicquid inerit nominatim, tu mihi
Nullum ostenderis . . . . .

scribe: *nullus ostenderis*. ratione loquendi Plauto, Terentio, aliis, domestica.

Legirupio. Legirupa. Palæstra. Plautus Rudente de opinione correctus.

CAPUT XVII.

Quoniam vero audere cœpi, & semel quid ingenio & conjectura in Plauto possim; experiri: pergam porro in eadem fabula unum atque alterum locum tentare & quid suspicer explicabo. quanquam hic nisi de opinione certi nihil dicam. scena cujus initium: *Exi a Fano.*

Lo. . . . . . . *istuc volueramus, jube modo accedat prope*
Dæ. *Tun Legirupionem hic nobis cum Dis facere postulas?*

corruptus locus a verbis & personis. legendum:

Lo. .... *istuc volueramus. jube modo accedat prope*
Hunc legirupionem. Hic nobiscum Dis facere postulas.

Dæ. *pugnum in os impinge.*

loquuntur videlicet Lorarii collocati ut a mulierculis vim lenonis defenderent. Et, sinite, inquiunt, accedere propius si audet hunc perfidum, conversique deinde ad lenonem irridendum, Quid esto bone? an hic ad templum Veneris nobiscum diis sacrificare voluisti? legirupio, leno vocatur, & legirupa, ab eodem sæpius supra. scena, *Pro Cyrenenses.*

Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii Plenissimus
Legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus.

& Persa, scena; *Veterem:*

——— *animus induci potest,*
Eum esse civem & fidelem & bonum,
Sed Legirupam, quidem ni det in publicum
Dimidium.

Jam quod ad loquendi genus attinet, quod ignoratum huic loco fraudi fuit, tale est, quale illud Mercatore. Scena: *Divum.*

Tuam amicam. Q. quid eam? En. *ubi sit ego scio. . . . . .*

& sexcentis apud eum locis aliis. *facere* autem, pro sacra facere, pueri principes jam juxta cum pædagogis suis norunt. eadem fabula. scena; *Utrum:*

Palæstra. Lot. *quid ais?* La. *apage controversia est*
Hæc equidem Palæstra quæ respondit, non est mea.

judico scribendum:

——— La. *absque controversia est*
Hæc equidem Palæstra.

ut ludat videlicet in ambiguo nomine Palæstræ. certe enim vera Palæstra erat illa, in qua duo lorarii cum clavis a sene destituti erant ad demulcendum caput lenonis. respondet igitur leno: hæc quidem vestra Palæstra est, quam nihil moror; ego ancillam meam appello.

E Manilio complura vitia sublata.

CAPUT XVIII.

MAnilius lib. 5. (1)

Quin etiam linguas hominum, sensusque docebit.
Aerias volucres nova qui commercia ducet.
Verbaque pracipiet natura lege negata.

quid illud; *nova qui commercia ducet?* aut qui conferendum? scribe:

Aerias volucres, novaque in commercia ducet.

mox: (2)

Ipse deum Cygnusque colit vocemque sub illo.

postulat sententia, & scripsit Manilius:

Ipse Deum cygnus condit, vocemque sub illo.

deinde paucis infra versibus: (3)

Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas,
Quarum omnes parvo consistit pascere census.

obscurum est, & Delium notatorem opus habet, quod ipsa meridiana luce erit lucidius, si scripseris:

Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas:
Quorum omnis parvo consistit passere census.

neque mehercule plebiscitum æque scitum est, atque hæc emendatio. subinde: (4)

Cum venit in regione tua Capricorne figuræ,
Non inimica facit serpentum membra creatis;
Accipiunt finibusque suis, peploque fluenti,
Osculaque horrendis jungunt impune Veneuis.

versus tertius a me nequivit emendari. liber Gemblacensis:

Accipient senibusque suis peploque fluenti,
Osculaque horrendis jungent impune venenis.

& illa quidem, *accipient*, *jungent*, recta sunt. de *finibus* aut *senibus*, quid faciam? quid? *lembis*, *lumbis*, aut quid simile? deliberandum censeo. post: (5)

Aut immota ferens in tergum membra, latusque,
Non onerabit aquas, summisque accumbet in undis.
Pendebitque super totum, sine remige, pontum.
Illis in ponto jucundum est quærere pontum.

emenda ex vetere libro:

——— *summisque accumbet in undis,*
Pendebitque super tutum sine remige. votum est
Illis in ponto. jocundum est quærere pontum;
Corpora qui mergunt undis, ipsumque sub antris
Nerea, & aquoreas conantur visere Nymphas.

infra etiam locus est mirifice pravus, qui, cum ad eos proprie pertineat, qui sibi ex scriptis famam conficiunt, boni ominis caussa a me tentabitur, & fortasse an restituetur: (6)

Et si tanta operum vires commenta negarint;
Externis tamen aptus erit, nunc voce Poetis.
Nunc satyro gustus: referetque affatibus ora,
Et sua dicendo faciet, solusque per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in imam.

emen-

(1) *Manil. libr. 5. v. 378.*
(2) *Ibid. v. 380.*
(3) *Ibid. v. 335.*
(4) *Ibid. v. 390.*
(5) *Ibid. v. 427.*
(6) *Ibid. v. 476.*

emendo:

Et si tanta operum vires commenta negarint,
Hesternis tamen aptus erit, nunc voce Poetis,
Nunc tacito gestu: referetque affectibus ora,
Et sua dicendo faciet, solusque per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in uno.

si, inquit, cum Menandro, aliisque veteribus paria facere non poterit: at saltem recentioribus quacunque ratione æquabit. illud autem, *externis*, pro, *hesternis*, multis locis scriptores depravavit, ut alibi docemus. tertio versu liber Gemblacensis; *tantum gestu*: correctum in eodem; *tanto gestu*. hinc scribo: *tacito gestu*. post in doctissimo illo de Andromeda carmine: (1)

Servatur tamen in pœna vultusque pudorque,
Supplicia ipsa decent. nivea cervice reclivit
Molliter ipsa suæ custos est sola figuræ,
Defluere sinus humeris fugitque lacertos
Vestis, & effusi scapulis hæsere capilli.
Ter circum Halcyones pennis planxere volantem.

Scribe à me:

Servatur tamen in pœna vultusque pudorque:
Supplicia ipsa decent. nivea cervice reclinis
Molliter ipsa suæ custos est sola figuræ.
Defluxere sinus humeris; fugitque lacertos
Vestis, & effusi scopulis hæsere capilli.
Ter circum Halcyones pennis planxere volantes.

emendationis certa veritas omnibus se confestim probabit: neque aliorum argumentorum eget.

Lucretii locus a Crispino imitatus. Catullo sua scriptura servata; Sallustio & Nonio reddita.

C A P U T XIX.

Versus est Lucretii lib. 4. de rerum natura;

Herculis antistare autem si facta putabit.

qui mihi quidem a Crispino mutuatus esse videtur. quem in Heraclea scripsisse;

Divinis virtutibus antistas Alcides.

Fabio Fulgentio, in Expositione sermonum antiquorum cum testimoniis, referente cognoscimus. certe eodem uterque versus pertinet. qui facit ut mihi nunc eorum in mentem veniat, qui carmine illo Catulli ad Verannium;

Antistes mihi milibus trecentis.

pertinacissime vulgarem scripturam submovendam, & alienam substituendam contendunt, legentes:

Antistans mihi milibus trecentis.

quam eorum impudentem temeritatem satis nequeo mirari. primum enim Palladii Fusci hæc emendatio est, qui, ut scriptorum ejus ætatis caput erat, homo doctus ante centum aliquot annos in Catullum satis diligenter scripsit. igitur eam, uti alienam, neque a se inventam in suos illos indices furtorum plenos, conjicere nequaquam debebant. Deinde, quod caput est, non video quid istac mutatione opus esse possit, cum prior illa scriptura in omnibus libris religiose hactenus conservata, alia illa nihilo sit deterior, immo, nisi valde judicans fallor, etiam melior, & quæ magis antiquam illam Catulli doctrinam resipiat. Cur enim, si Romane, *antistans militibus*, dicitur; non eodem etiam loquendi modo non tantum

(1) *Ibid. v.* 552.

tum Grammatice, sed etiam Latine, *antistes militibus*, dicatur? sed nos Grammaticorum ineptiis valere jussis, id quod dicimus, melioris Latinæ linguæ auctorum testimonio confirmemus. Salluftius certe, quem nemo, credo, ut minus idoneum testem non admittet, historiarum lib. 3. quod æmulari facta recte dicitur, *æmulus factis*, dicere non dubitavit. verba sunt: *Sed Pompejus a prima adolescentia sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque ejus quondam æmulus erat.* sic enim duobus apud Nonium Marcellum locis scribi oportere, cum uno, *æmulatus*, legatur; altero vero verba illa, *facta consultaque ejus quondam æmulus erat*, non recte desiderentur, jam olim monui in meis ad historias Sallustianas scholiis: quæ annos decem solidos in typographorum officinis jacuerunt, & anno, cum minime erat necesse, non fine multis erroribus in lucem prodierunt. Igitur, ut in eo, a quo incepi, finiam; Catulli scripturam, ut ne mutemus & hujusmodi elegantiarum vestigia in veteribus scriptoribus sedulo observemus, curæ nobis esse debet.

Cinnæ suus versus restitutus. Ejusdem duo dispersi olim, nunc conjuncti. Nonius & Isidorus correcti. Mureti opinio confutata.

CAPUT XX.

MAgnum M. Antonii Mureti ingenium: acre in illustrandis veterum scriptis judicium: accuratæ emendationes. quæ tamen si cui cognoscendæ sunt, ea utatur cautione, suadeo, quam idem ille in Petri Victorii, hominis primi, & in hac scriptione signiferi, libris servari præcepit: ut ejus quod dicitur potius, quam qui dicit, habeatur ratio. ne videlicet adolescentes parum cauti, tantorum virorum auctoritate moveantur, nullumque discrimen faciant; neque, ut ait Lucilius, signent alba linea præsertim cum videamus cottidie, homines a natura & usu prudentes, & qui in istis meliorum disciplinarum studiis familiam eredunt ducere, ita sæpe quid humanum pati, ut sui penitus obliti esse & illis potius temeritatis, quam imperitiæ scribenda dica videatur. Hoc mihi nunc ex eo in mentem venit, quod videam Catullo, versum alienum, nulla quidem Mureti culpa, sed ea, quam dixi, credendi facilitate esse objectum, ideoque adulterinum, pro vero & germano retineri; Muretus, quod post illum versum;

Candidaque intorti sustollant vela rudentes,

tantum spatii in veteribus quibusdam libris superesse animadverteret; quantum uni versui scribendo satis esset: & Nonium, quo loco de vasorum generibus disserit, ita videret scribere: *Charchesia; summa pars mali, id est, foramina quæ summos mali funes recipiunt.* Catullus:

Lucida qua splendent summi Carchesia mali.

leviter suspicabatur, tum forte versum, qui a Nonio citaretur, eo loci desiderari atque ita legendum esse:

Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida quæ fulgent summi carchesia mali.

quam conjecturam, licet ipso Mureto judice, valde ambiguam & tenuem: plerique tamen eorum qui post illam Catullum ediderunt, ita probare visi sunt; ut ulterius ne quærendum quidem judicarint: eumque statim versum pro Valeriano agnoverint, gemino mehercule vitio, cum uni quod suum erat, ademerunt; & alium invitum etiam aliena possidere, mala fide, coegerunt. Primum enim versus a Nonio laudatus, si libris Nonii manuscriptis credimus, (nam a veteribus vulgatis Poetæ nomen abest.) Helvii Cinnæ, non Catulli est. Nonius (1) enim Catulli & Cæsaris auctoritatem vacillare scribit: & quæ de Priapeis afferuntur, cujus ea sint; alius erit dicendi locus, deinde Isidorus Hispalensis, quem pleraque e ve-

(1) *Nonius*, Cinis.

e vetustissimis exscripsisse constat, libro 18. de verborum & rerum originibus. (sic enim ipse nominat) constantes tribus antiquissimis adstipulantibus libris, hoc carmen, ut Cinnæ agnoscit: quanquam in eo vulgato illud non recte scribitur:

. . . . consulgent alti carceria mali.

Jam vero, ut illi certum aliquem locum huic versui tentarunt dare: sic nos, non paullo, uti credo, certius, idem tentabimus. Dico igitur versum, quem modo attulimus, quemque illi Catullo etiam invito donaverunt, esse Cinnæ: & hoc carmen,

Atque anquina regit stabilem fortissima cursum,

ab eodem Isidoro allatum, sibi proxime adjunctum habuisse. est enim anquina, Isidoro & Nonio Marcello testibus, funis, quo antenna ad malum adstringitur, non ergo dubitandum est, quin ita olim Helvius Cinna in illo novem annorum opere scripserit:

Atque anquina regit stabilem fortissima cursum
Lucida qua fulgent summi carchesia mali.

Et sane, ut ille Catulli locus minime sit integer; quod vix adducor ut credam: nemo tamen non videt, hanc utriusque versus conjunctionem alia illa, quomodocunque tandem exponas, esse meliorem. qua de re doctorum hominum judicium, & ipsius potissimum elegantissimi Mureti, expectamus.

LUDOVICI CARRIONIS
ANTIQUARUM LECTIONUM
COMMENTARIUS TERTIUS.

LUDOVICI CARRIONIS ANTIQUAR. LECTION.

COMMENTARIUS TERTIUS.

Jus trium liberorum in V. V. capiunda legis Papiæ verba correcta. lex Populia. P. R. Quiritibusque Fabius Pictor, & M. Cato emendati. Agellii defectus suppletus.

CAPUT I.

QUi *de jure trium liberorum*, hac nostra ætate copiose scripserunt; illud videntur ignorasse, aut alioqui temere prætermisisse, filiam ejus, qui liberos tres haberet, a Vestæ sacerdotio excusationem habere (a) quod ab *Atejo Capitone* scriptum fuisse tradit Agellius (1): si verba ejus, ut in libro Buslidiano scribuntur, aliisque veteribus nonnullis, recenseantur. nam, ut hodie sunt in manibus, prærogativam *juris trium liberorum* valde minuunt. *Praterea*, inquit Agellius, *Capito Atejus scriptum reliquit, neque ejus legendam filiam qui domicilium in Italia non haberet, & excusandam ejus qui liberos tres haberet*. Est eodem loco quoddam legis Papiæ caput, a verbis extremis imperfectum. quod sic restituo: (2) *De morte rituque capiundæ virginis, litteræ quidem antiquiores non exstant; nisi quod fertur, quæ capta prima est, a Numa rege esse captam. sed Papiam legem invenimus, qua cavetur ut Pontificis maximi arbitratu virgines e populo viginti legantur; sortitioque in concione ex eo numero fiat, & cujus virginis ducta erit, ut eam Pontifex maximus capiat, eaque Vestæ fiat*. quem loci illius defectum ita supplendum esse, jam olim ex eodem Buslidiano libro, popularis meus, atque adeo, dum fata deusque sinebant, familiaris, Jacobus Ræuardus, Flandriæ nostræ, si vita diutius suppeditasset, Cujacius futurus, rectissime monuit. pergit Agellius (3): *sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. nam si quis honesto loco natus, adeat Pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus duntaxat, salvis religionum observationibus, ratio haberi possit, gratia Papiæ legis per se ratum fit*. Hic in vetustioribus excusis non, *Papiæ*, est, sed, *Popiliæ*, in Buslidiano; *Populiæ*. quæ scriptura insuper habenda non est. Deinde, *per senatum*, non, *per se ratum*, scribi debet. Jam vero verba e lib. I. Fabii Pictoris, quæ Pontificem maximum dicere oportet, cum virginem capit, sunt hujusmodi (4):

SA.

(1) *Agell. lib. I. c. 12.*
(2) *Idem Agell. cap. eodem. Ræuardus Variorum lib. I. cap. 17.*
(3) *Agell. ibid.*
(4) *Idem eod. cap.*

(a) Hoc plane sensu lex duxit originem a Spartanis, ut qui tres liberos genuisset, a custodiæ munere foret immunis: verba legimus in Ælian. Var. Hist. VI. 6. *Lex est Spartanis, ut qui tres Filios suppeditaret Reipublicæ, is ab excubiis Liber esset*, quod ad tres quoque liberos referri non injuria potest.

SACERDOTEM. VESTALEM.
QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVS.
SIET. SACERDOTEM. VESTALEM.
FACERE. PRO. POPOLO.
ROMANO. QVIRITIBVS. Q. VTI.
QVÆ. OPTVMA. LEGE. FVAT.
ITA. TE. AMATA. CAPIO.

ſcripſi primum, *Popolo Romano Quiritibuſque*; cum vulgo eſſet, *Populo Romano Quiritium*; ex iiſdem illis ſchidis, quod Romanos in omnibus ſacrificiis & precibus hoc dicere conſueviſſe meminiſſem. Feſtus, ſeu potius, Diaconus: *Dici mos erat Romanis in omnibus ſacrificiis precibuſque* (1):

POPOLO. ROMANO. QVIRITIBVSQVE.

quod eſt, Curenſibus. quæ civitas Sabinorum potentiſſima fuit. deinde emendavi: *Ut quæ optima lege fuat*. tale enim quiddam in magiſtratibus creandis adjici ſolere, idem Feſtus tradidit: ſi modo ea ſcriptura, quæ in Auguſtini editione chartæ marginem inſidet, pro vera recipiatur; & ipſa verba novum habeant initium. hunc in modum:

VT. QVI. OPTIMA. LEGE. FVERINT. (2)

adjici ſolet, cum quidam magiſtratus creatur. unde ſane in ſuperiore illa lege, non inſcite ſcribi poſſet: *Uti. quæ. optima. lege. fuerit*. præterea M. Catonis de Luſitanis, cum Ser. Galbam accuſavit; ita ſunt ſcribenda: *Ego me nunc volo jus pontificium optime ſcire. iamne ea cauſſa Pontifex capiar? ſi volo augurium optime tenere: & quis me ob eam rem augurem capiat?*

Renones. Salluſtius & Cæſar explicati. Cæſaris vulgares ſcripturæ defenſa. aliorum emendatio ejecta. Cor. Tacitus caſtigatus.

CAPUT II.

C. *Iulius Cæſar*, mores, vitam, ſtudia, religionem Germanorum, cum Gallorum inſtitutis conferens (3), *Vita omnis*, inquit *Germanis, in venationibus, atque in ſtudiis rei militaris conſiſtit. ab parvulis duriciei ac labori ſtudent. qui diutiſſime impuberes manſerunt; maximam inter eos ferunt laudem. Hoc alii ſtaturam, alii nervos vireſque confirmari putant. intra annum vero viceſimum fœminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus. cujus res nulla eſt occultatio, quod & promiſcue in flumine perluuntur, & pellibus, aut parvis renonum tegumentis, utuntur, magna corporis parte nuda*. Quæ poſtrema verba quidam multarum literarum jureconſultus, aliter longe ſcribi voluit: nimirum; *aut parvis renum, tegumentis utuntur*: eamque opinionem ſuam viro cuidam clariſſimo, cujus, inquit, ſincerum ac ſubtile judicium docti omnes admirantur, unice probavit. A quibus ſane hominibus, etſi, in his humanitatis ſtudiis, pæne invitus diſſentio, ſive in aliis placitis adverſus nos ſtent ſive a nobis: nolo tamen id quod res eſt tacere; & eum ſcriptorem ultro depravari, alioſque in errorem illici, tacitus ferre. Igitur illud, *renonum*, rectum eſſe ſtatuo, & in C. Cæſare retineri oportere cenſeo. quod, dum in libro, quem ex Cæſare deſcripſit Aimoinus, ſervari video; diligentiam illius & fidem laudo, in eo vero, quod de ſuo addidit monachus, *rhenonem animalis nomen eſſe*, auctoritatem requiro. *renones* enim veſtes de pellibus ſignificare Iſidorus Hiſpalenſis (4) docuit, cui ne qui fidem audeat abrogare, quod præcipuum

(1) *Feſtus, dici.*
(2) *Idem, optima*
(3) *Cæſar comment. de bell.Gall.lib.6.*
(4) *Iſidorus lib.19. voce,* renones *de Verborum Origine.*

ſpuum quendam & in repub. & in juris diſciplina virum de Jureconſultorum, *cretione*, differentem, injuria feciſſe conſtat: quicquid hujus erit, Servius Honoratus (1) diligens & antiquus Grammaticus ſua fide jubebit eſſe. qui ſe quidem ſcripſiſſe meminerit, veſtes de pellibus Salluſtium, *renones*, appellare. Salluſtii verba cum iſtis C. Cæſaris fere eadem ſunt. *Germani intectum renonibus corpus tegunt*. quod autem ait Salluſtius, *intectum*, eodem videlicet referri debet, quod Cæſar magna eos corporis parte eſſe nuda dixit. quod idem Cornelius Tacitus, Salluſtiana verba prope interpretatus, memoriæ prodidit (2) *Tegumen*, inquit, *omnibus ſagulum fibula, aut, ſi deſit, ſpina conſertum. cetera intecti totos dies juxta focum, atque ignem agunt. Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur, non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter ulteriores exquiſitius; ut quibus nullus per commercia cultus*. & Seneca (3): *Quid Germanis induratius ad omnem patientiam, ut quibus ex magna parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus perpetem cœli rigorem?* Recta igitur, ut dixi, Cæſaris eſt oratio; neque ullius emendationis indiga, niſi ſi cui forte, *pellibus*, abundare, & a gloſſemate eſſe videatur. Nolo etiam in Cæſare illud mutari (4). *Romani converſa ſigna bipartita intulerunt*: aut, quod idem I C. voluit, *tripartito*, ſcribi. non enim in tres partes aciem diviſam tripartito etiam cum hoſtili exercitu committere, ſed bipartito voluerunt. nimirum ut prima ac ſecunda acies pro una eſſet; tertia vero alteram partem occuparet. itaque ſic ea Cæſaris verba ſunt ſcribenda: *Romani converſa ſigna bipartito intulerunt, prima ac ſecunda acies ut victis ac ſummotis reſiſteret; tertia ut venientes exciperet* ut in editione Mediolanenſi ante anno centum facta & omnium, quot ſunt, optima editum animadverti. nam illud, *exciperet*, ubi vulgo, *ſuſtineret*, hiſtoricum eſt, alio illo longe elegantius. Salluſtius hiſtoriarum lib. III. *Quia Sertorio triplices inſidiæ per ſaltus poſitæ erant: prima; qui venientes exciperent*. Illud tamen ſilentio præterire nequeo, eandem illam editionem in primis illis verbis, *Romani converſa ſigna bipartito*, leviter variare, atque ita habere: *Romani ſigna bipartita intulerunt*: alia illa voce omiſſa de quo nihil ſtatuo, Hoc tamen video *ex animi mei ſententia* affirmare poſſe, locum Taciti (5) ſuperiorem a verborum tranſpoſitione corruptum, ſi verba ſuum in ordinem reponantur, ita poſſe corrigi: *Gerunt & ferarum pelles proximi ripæ exquiſitius, ulteriores negligenter, ut quibus nullus per commercia cultus*. atque ita mihi quidem videntur.

Tempora monſtrant. perennare, figuratio. medius tumor. tres verſus apud Manilium loco alieno poſiti. Manilius & Agellius caſtigati.

CAPUT III.

Nam neque fortuitos ortus ſurgentibus aſtris, (1)
Nec totiens poſſum naſcentem credere mundum,
Soliſve aſſiduos partus, & facta diurna:
Cum facies eadem ſignis per ſæcula conſtet,
Idem Phœbus eat cæli de partibus iſdem.
Inde ſuos ſinuat flexus per crura pedeſque
Centauri, alterius rurſus aſcendere cœlum
Incipit, Argivamque ratem per apluſtria ſumma.
Lunæque per totidem luces mutetur & orbes,
Et natura vias ſervet quas fecerat ipſa.

In his decem Manilii verſibus, tres falſi & irreptitii delitefcunt. quos ego indicio

(1) *Servius lib. 1. Georg. Virg.*
(2) *Tacitus lib. de morib. German.*
(3) *Lib. de ira.*
(4) *Cæſar comment. de bell. Gall. 1.*
(5) *Tacitus de morib. German.*
(6) *Manilius lib. 1. verſ. 165.*

cio meo prodam, nullum aliud ejus præmium relaturus, quam ut illi eo loco furca expellantur. quo enim faciunt;

Inde suos sinuat flexus per crura pedesque
Centauri, alterius rursus ascendere cœlum
Incipit, Argivamque ratem per aplustria summa,

nisi forte sententiæ perturbandæ? igitur, quod dixi, furcillis ejiciantur, & Manilius carmen ita scribatur:

Cum facies eadem signis per sæcula constet,
Idem Phœbus eat cœli de partibus isdem,
Lunæque per totidem luces mutetur & orbes:
Et natura vias servet quas fecerat ipsa.

maxime cum alibi, & quidem loco commodiore apud eundem poetam legantur:

Argivamque ratem per aplustria summa
Et medium mundi gyrum Geminosque per ima
Signa secat.

mirum ut sit, in tot editionibus, errorem tam vulgarem tam diu latere potuisse, scripsi autem superiora, ut legenda ex vetere libro Gemblacensi didici, neque vero, quod sequitur, mendo caret:

——— *circumque feratur*
Aeterna cum luce dies, qui tempora monstrat: (1)

est enim scribendum; *quod tempora monstrant*. sed hoc leve est, & a solis, ni fallor, librariis. illud autem a sciolis & hominibus nimium confidentibus:

——— *cælum & cum sole perenne.*

cum poeta scripserit:

——— *cælum & cum sole perennet.* (2)

nesciebant videlicet illi, *perennare*, Latini juris esse, imo jamdudum civitatem accepisse. Agellius (3), *inusitate*, inquit, *dixit Quadrigarius, diurnare pro diu vivere: sed ex ea figuratione est* (ita liber vetus, non; *figura*) *qua dicimus perennare.* Macrobius (4), *Ut annare*, inquit, *perennareque commode liceat*. Jam illa,

Sea quærent Helicen, quibus ille supervenit ignis
Qui laterum tractus habitant, mediique tumores,
Eripiunt terra calum visusque coercent (5),

cui se quæso probabunt? nisi si quis ea, quæ non intelligit, probare poterit, quanto rectius habebunt, si scripseris?

——— *medioque tumore*
Eripiunt terræ cælum, visusque coercent.

quis enim nescit, tantum eorum qui has disciplinas vel nomine audiverunt, propter globi rotunditatem fieri, ut qui unum extremum illius latus habitant; alterum extremum nequeant videre. veluti oriens ab occasu propter interjectum globi tumorem nunquam conspicitur. hinc illud Calpurnii (6).

occasum nisi cum respexerit ortus.

recte itaque Manilius:

Sic stellis glomerata manent, mundumque figurant.
Idcirco terris non omnibus omnia signa
Conspicimus. nusquam invenies fulgere Canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras.

Medium autem tumorem vocat. globi rotundum ut post;

Sed quia per teretem deducta est terra tumorem,
His modo, post illis apparet Delia terris.

Sed præstat eos etiam versus, qui his proximi eadem etiam de re sunt, emendare.

(1) *Ibid. vers.* 193.
(2) *Ibid. vers.* 196.
(3) *Agell. lib.* 17. *cap.* 11.
(4) *Macrobius lib.* 2. *Satur. cap.* 12.
(5) *Manilius lib.* 1. *vers.* 222.
(6) *Calpurnius eclega* 1.

re. ſic enim ratio Manilii facilius intelligetur, & noſtra ſuperior emendatio confirmabitur:

Te teſtem dat Luna ſui glomerabilis orbis (1):
Quæ cum merſa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnis pariter confundis ſidere gentes:
Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes,
Poſt medio ſubjecta polo quæcunque coluntur,
Ultima ad Heſperios infectis volueris alis,
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.
Quod ſi plana foret tellus; ſemel iſta per omnes
Deficeret pariter toto miſerabilis orbe.

ſcribe & emenda: ——— *ſemel orta per omnem,*
Deficeret pariter toti miſerabilis orbi.

Quod ſi inquit, tellus plana foret, & non potius rotunda; Luna ubi ſemel in omnem terram lumen ſuum diffudiſſet. uno etiam & eodem tempore ubique terrarum deficeret. at nunc contra ſit, ut primum in oriente, deinde in meridie, poſtremo in ſeptemtrione & occidente deficere ſentiatur. vincitur igitur terram planam non eſſe, ſed rotundam.

Calatores. vetus inſcriptio. Varro de Lingua Latina & Agellius correcti.

CAPUT IV.

AUdio quibuſdam, non probari, quod ſuperioribus commentariis (2) a me ſcriptum eſt, *calatores* ſacrorum miniſtros fuiſſe; eamque in rem Suetonii locum non recte adduci, cum ſexcentis apud Plautum aliosque veteres ſcriptores locis, *calator*, non ſit aliud quam ſervus. quam vocis illius ſignificationem Paulus Feſti abbreviator agnoſcit, ita ſcribens: *calatores dicebantur ſervi ἀπὸ τῦ καλεῖν, quod eſt vocare: quia ſemper vocari poſſent ob neceſſitatem ſervitutis*. aut ſi inquiunt illi *calator* quid præterea ſignificat, eum fortaſſe ſervum notabit, *qui*, ut ait Horatius, *dictet nomina, lævum Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram*; id eſt, nomenclatorem. Qui ſane viri docti ſi a veteribus Gloſſariis, quos Juſtiniani imperio ſuperiores eſſe, alias oſtendetur, & quorum magna apud ma eſt auctoritas, ſibi minime ſatisfieri patiuntur: at ſaltem antiquiſſimo marmori, tempore Veſpaſianorum, ut videtur, inciſo, cujus inſcriptio manifeſte pro me dicit, fidem abrogare non audebit. eſt marmor, quod dico, Romæ in ædibus Cardinalis Cæſii, in cujus uno latere ſomnus ſub pueri alati imagine innititur faſci in vertice facem habenti, his verbis adjectis: SOMNO ORESTILLA FILIA. in altero fatum muliebri habitu, pede altero rotæ inſiſtit: cum his verbis: FATIS CÆCILIVS FEROX FILIVS. in medio inſcriptio eſt, quam uti ab amiciſſimo Lipſio fideliſſime diſcriptam accepi, neque enim mihi neſcio quomodo contigit videre, ita apponam:

Q. CÆ-

(1) *Ibid. Manilius verſ.* 224.

(2) *Commentario* 1. *cap.* 14.

Q. CÆCILIO
FEROCI
KALATORI. SACERDOTI
TITIALIVM. FLAVIALIVM
STVDIOSO
ELOQVENTIÆ
VIXIT. ANNIS. XV.
MENSE. I. DIEBVS. XXIIII.
FILIO. OPTVMO. AC
REVERENTISSIMO
M. GAVIVS. CHARINVS.

Audio etiam reprehendi, quod locum Agellianum mutaverim (1), & pro, *Aelius illo*, ſcribendum, *Aelius Stilo*, judicaverim: cum Agellius & ipſe Varro, libro de lingua Latina quincto, non *Aelium Stilonem*, ſed, *Aelium Gallum*, quem libros de verborum ſignificatione ſcripſiſſe conſtat·, nominare voluiſſe videantur. quorum reprehentio quantum valeat, aut certe apud æquos harum rerum judices valere debeat, utriuſque ſcriptura diligenter examinata, videamus. ac primo quidem Varronis apud Agellium verba ſunt (2); *A quo etiam extremum noviſſimum quoque dici cœptum vulgo, quod mea memoria ut Aelius Gallus, ſic ſenes aliquot, nimium novum verbum quod eſſet, vitabant: cujus origo ut a vetere vetuſtius ac veterrimum, ſic a novo declinatum novius & noviſſimum.* vulgo autem apud Varronem in optimæ etiam notæ editionibus eadem, ſine ulla ullius verbi mutatione, leguntur: ut non ſit dubium, quin Agellius, ex depravata Varronis ſcriptura, ſit corruptus. in quo doctiſſimum etiam Turnebum fugit ratio, qui Ælium Gallum Varronis magiſtrum fuiſſe exiſtimarit: cum id in Stilonem magis convenire, ſatis monſtraverimus. Agellius Buslidianus, & alter Biturigenſis, quem nominat Cujacius τῶν νομικῶν, quod de Cervidio, Paulo, & Ulpiano, ſcribit Modeſtinus, κορυφαῖος, cujus libris quaſi poſtliminio juris prudentia in urbem Romam rediſſe viſa eſt, ac Varronis ita ſcribunt: *quod extremum*, inquit, *dicebant, dici noviſſimum cœptum vulgo. quod mea memoria ut Aelius, ſic ſenes aliquot, quod nimium novum verbum eſſet, vitabant.* Equidem ſi vera eſt utriuſque libri ſcriptura, ut eſt: neque enim de clandeſtina aliqua colluſione libri tam multis paſſuum millibus a ſe invicem ſejuncti conſilium cepiſſe exiſtimandi ſunt, neque quiſquam tam duræ, opinor, frontis eſt, qui viri maximi fidem audeat in dubium vocare: & Buslidianæ lectionis teſtes facio eruditos homines, & in Muſarum nutricatu educatos Victorem Giſelinum & Ianum Lernutium, a quibus, ſi mentiter, vanitatis nollem coargui: ſi vera, inquam, eorum librorum eſt ſcriptura, vel potius, quoniam eſt vera; non verebor dicere Varronem corrigendum, & vocem illam, *Gallus*, quæ in Gloſſemate primum in Varronis, deinde in Agellii libros invaſit, eſſe ejiciendam: locumque de *Stilone*, accipiendum. cujus litis, de lectione in utroque ſcriptore emendata judicem harum litterarum ſtudioſum (reliquorum enim cenſuram non nauci, plane contemno) quemvis libenter capio. Illud autem mihi religio eſt tacere, utrumque Agellium manuſcriptum hæc ſexto Varronis de lingua Latina libro, non, quincto, in quo illa leguntur hodie, adſcripſiſſe. quod quale ſit, nihil pronuncio.

Com-

(1) *Commentario* 1. *cap.* 8.

(2) *Agell. lib.* 10. *cap.* 20.

Concucurri. attotonse hiatus poetis veteribus frequentes. Varronis versus emendati.

CAPUT V.

Elegantes apud Nonium Varronis versus sunt, & toti auro expendendi; nisi eorum elegantiam turpissimæ maculæ fœdarent, quas pro mea copia conabor auferre. Sunt hi quos dico:

Vosque in theatro, qui voluptatem auribus
Huc aucupatum concurristis domo;
Adeste, id est, a me quæ feram ignoscite,
Domum ut feratis e theatro litteras.

secundus versus intervallo brevior est, quam illorum numerorum ratio postulat: itaque Iunius ei explendo vocem accomodavit: atque ita scripsit:

Huc aucupatum concurristis ab domo.

quæ vox cum jam primum sit admissa, neque antehac in Varronianis versibus habuerit; illuc unde profecta est relegandam censeo: & Varronis versus, ut ab ipso scripti sunt, ab aliis etiam scribi volo. nimirum:

Huc aucupatum concurristis domo.

insolens illa syllabas hujuscemodi geminandi ratio huic vitio mater fuit. superest hoc præteritum multis apud Plautum locis: pluribus superesset, nisi a male feriatis Grammaticis & id genus hominibus esset exstinctum. unum & alterum proferam. Plautus Bacchidibus: (1)

Sed quid futurum quom hoc senex resciverit?
Quem se excucurrisse illuc frustra sciverit?

& Sticho: (2)

Præcucurri ut nuntiarem nuntium exoptabilem.

Cato contra C.Pisonem: (3) *Video hac tempestate concucurrisse omnes adversarios*: Cæsar ad Virgilium: *Excucurristi a Neapoli*. quid? quod Priscianus idem in Terentio agnoscit, illo versu? (4)

Una illarum interea propere præcucurrit.

Eadem caussa fuit elegantissimi versus depravati, qui est in festivissima illa παρῳδίᾳ in Ventidium Bassum, cujus initium;

Sabinus ille quem videtis hospites.

cum enim ibi scribatur,

Ubi iste post. Sabinus ante. Quinctio.
Bidente dicit attondisse forcipe, *Comata colla,*

versu medio claudicante, qui ex jambis puris debet constare: scribendum esse,

Bidente dicit attotonse forcipe,

monuit nos amicus noster I. Levinejus, maximæ expectationis juvenis, & qui progressus in utraque lingua & theologia magnos fecit. duplex una in voce ἀχαιο-μο'ς, *attotondi*, pro, *attondi*, item, *attotonse*, pro, *attotondisse*. Sed jam ad Varronem.

Adeste, id est, quæ feram, ignoscite.

ita tertius versus vulgo legitur: nisi quod ab aliis etiam prima vox abest. Junius scribebat;

Adeste & a me quæ feram cognoscite:

& Nonium caligantibus oculis, *ignoscite*, legisse existimabat. *reclamante*, inquit *alioqui versus lege, nisi jam, aut simile, quid interponas*. Ego vero, dicam quod sentio, etsi nunquam fides Nonii mihi suspecta non esse soleat; abduci tamen non possum ut eam hoc loco suspiciam, nam quin veteres, *ignosco*, vel potius, *innosco*, æque

 atque

(1) *Scen. 160. in Piraum.*
(2) *Scen. Quisnam.*
(3) *Lib. 10.*
(4) *Terentius Hecyra.*

atque *agnosco*, & *cognosco*, eadem io re dixerint; dubitaodum oon opinor. Deinde si quicquam mutari velim; *agnosco* libentius quam *cognosco*, jure receperim. postremo ne quem moveat hiatus ille: frequentem eum comicis & tragicis veteribus fuisse, Ciceronis testimonio cognoscimus cujus illa sunt: (1) *Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis: indicant omnes poetæ præter eos, qui ut versum facerent, sæpe hjabant. ut Nævius,*

Vos qui accolatis Histrum fluvium atque Algidam.

& ibidem: *Quam numquam nobis Grai atque barbari*

quæ ignorata multos etiam veterum poetarum versus corruperunt & sane si vetustis editionibus, quas ooo temere aspernari soleo, sua constat fides: noo tantum tertio carmioe; sed etiam primo hiavit Varro. sic enim in illis concipitur:

Vos qui in theatro voluptatem auribus.

ut ut est; scripsit Varro:

Vosque in theatro qui voluptatem auribus
Huc aucupatum concucurristis domo;
Adeste, & a me quæ feram innoscite:
Domum ut feratis e theatro litteras.

quomodo turpes detergentur maculæ, & versus fiunt hujusmodi, ut, quod initio dixi, auro contra mereantur emi.

Fasti Sibyllini. Ciceronis orationes in Catilinam tribus locis de vetere libro castigata.

CAPUT VI.

QUis credat M. Antonium Muretum, Paulum Maoutium, Diooysium Lambinum, Michaelem Brutum viros summos & in vita meliores scriptores emendaodi ratiooe multo tempore non sioe cura versatos, taotum oumerum vitiorum io orationibus Ciceroois io Catilinam residere passos esse, quantum illas hodie, cum aotiquioribus libris comparaotes, habere deprehendimus? Quod ne diva quidem Pytho, ita mihi Musæ siot propitiæ, mihi persuadere posset, nisi res ipsa clare loqueretur. qualia suot illa, quæ superioribus commeotariis iodicavimus. qualia sunt, quæ oostris in illas oratiooes emendationibus, ad geoerosissimum & eximia spe virtutis ac doctrinæ præstantem adolescentem, *Lamoraldum Clareutium* Maldeghemii Baronem, Flandricæ nobilitatis principem, & in quo Brugæ meæ unicum sui ornameoti præsidium collocaruot: iis, inquam, emendationibus, quæ etiamoum privata custodia continentur, latius prosecuti sumus. De hoc geoere illud etiam erit, quod nunc afferemus: leve si spectss sententiam, si verborum ornatum & Ciceronis dictionem, non leve. verba sunt libro tertio Iovectivarum: (2) *Lentulum autem sibi confirmasse ex libris Sibyllinis, haruspicumque responsis, se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum hujus urbis atque imperium pervenire esset necesse: Cinnam ante se, & Sullam fuisse. eundemque dixisse, fatalem hunc esse annum, ad interitum hujus urbis, atque imperii, qui esset decimus annus post virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus.* sic illa verba primus edidit Muretus. quod, ut ipse ait, quidam liber vetus haberet, atque ita plane legendum putaret. quam Mureti emendationem, nisi errorem mavis dicere, reliqui post illa Cicerooiani ioterpretes sunt secuti. Et sane priores illius editiooes a vera scriptura propius afuerunt. sic enim in iis erat: *Lentulam autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis, haruspicumque responsis.* melius autem liber Gemblacensis: *ex fastis Sibyllinis.* quod idem verbum & Beroaldi exemplar retinet, & aliud prioris etiam ætatis conservat; cum hac in ipsa Ciceronis verba ioterpretatiooe admissa: *Fastis hoc est libris Sibyllinis, in quibus quasi Fasti futuri*

(1) *Cicero in Oratore.*

(2) *Cicero orat. 3. in Catilinam.*

turi erant, alter eadem oratione, eadem etiam de re, locus eodem morbo laborat. verba sunt: (1) *Cum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum quotiensque venissent, quæsissentque ab eo nihilne esset secum de fatu Sibillinis locutus: tum subito ille scelere demens, quanta vis esset conscientiæ, ostendit*. nam & hic, *libris*, Muretus reposuit. cum non tantum Gemblacensis & Egmondanus manuscripti codices, verum etiam Beroaldi & alia vetustior editio, *Fastis*, agnoscant: & hæc quidem hujusmodi cum glossemate: *Hoc est libris Sibyllæ, in quibus Fasti Romanorum futuri continebantur*. Superest tertius & postremus eadem in voce error. qui eo magis meo indicio prodi debet, quod a Mureto sit præteritus; a Manutio vero, etiam in alium mutatus. & vulgo quidem verba, de quibus loquor, ita perscribuntur: (2) *Cum vero mihi proposui regnantem Lentulum, sicut ipse se ex fatis sperasse confessus est*. in Manutiano vero, *ex factis*. at liber Egmondanus cum Beroaldino: *ex fastis*. quibuscum altera facit editio, hanc suo more, interpretationem apponens; *id est libris per Sibyllam scriptis de fastis Romanorum*. quamquam & in veteribus editionibus, & in manuscriptis etiam hic additur; *Sibyllinis*. quod Ciceroni verbum restitui, æquum est. ineptum est veteris illius interpretis tribus locis glossema. quis nescit? sed tamen antiquam lectionem suo adjuvat suffragio. Quisquis autem ille fuit, qui ejecta vera voce, alienam substituit, & glossemate Ciceronem inquinavit; Sallustianorum verborum magis rationem, quam Ciceronianorum habere visus est. sic enim Sallustius: (3) *Eadem Galli fatentur; & Lentulum dissimulantem coarguunt, præter litteras, sermonibus quos ille habere solitus erat ex libris Sibyllinis regnum Romæ tribus Corneliis portendi: Cinnam atque Sullam antea se tertium esse, cui fatum esset urbis potiri. præterea ab incenso Capitolio illum esse vicesimum annum, quem sæpe ex prodigiis haruspices respondissent, bello civili cruentum fore*. eadem Appianus. Equidem si, *Fastus*, veteri glossario aliud non est quam ἡμερολόγιον, & Festo Fastorum libri appellantur, in quibus totius anni sit descriptio: (a) cum *Sibylla* suis libris, quicquid in singulos annos, imo pæne dies urbi Romæ esset fatale, complecteretur: cur illi fasti nominari non potuerint, videre nequeo. neque parum interest an sua cuique scriptori vox retineatur, an vero aliena objiciatur. Sallustii autem verba, ut pleraque illius omnia. Plutarchus suo more transcripsit. de quo alibi etiam dicere memini. τοῦτον, inquit, de Lentulo

(1) *Cicero ibid.*
(2) *Cicero orat. 4. in Catil.*
(3) *Sallustius bello Catilinario.*

(a) De Sibyllinis oraculis multa circumferuntur, incerta penitus, & obscura, quod verosimilius affirmatur, non ita tamen certo ut illud quoque negari non queat, illud est, oblata ea fuisse, sive Prisco, sive Tarquinio, & asservata fuisse, alii duo, alii septem numero judicant, Romæ diligentissime, primo quidem IIVirum, deinde XVirum fide, quorum etiam ex munere eadem carmina inspiciebantur, si quando aut præsenti damno, aut ingruentis periculi metu Respublica turbaretur, eaque deinceps incendio cum periissent Sullana ætate, reparandæ jacturæ causa missis qui Sibyllina eadem oracula conquirerent apud Samum, Ilium; alibique, apud Afros, Siculos, Italosque, XVirum curæ esse concredita, quæ nonnunquam a privatis hominibus profecta, in suspicionem falsitatis non immerito cum venissent, magna ex parte sublata sunt a Stilicone sub Honorio Principe: mirum hinc qua ratione eorum veritas possit defendi, pro qua tamen acriter stat *Erasmus Schmidius*, contra ac sentiat *Samuel Meisius*, apud quos susius agitur hæc disputatio, ad quam non abs re profecto alienum est adjungere, sub prima Evangelicæ fidei tempora Catholicos homines, ut notat Origenes *c. Celsum* lib. V. n. 15., *Sibyllistarum* nomine, irrisos fuisse, quod Ethnicis ad meliorem religionem convertendis Sibyllinis oraculis uterentur.

tulo ὄντα τῇ φύσει τοιοῦτον κεκινημένον ὑπὸ τοῦ Κατιλίνα, προσδιεφθείρασιν ἐλπίσι κενοῖς ψευδομάντεις, καὶ γόητες ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες. ὡς ἐκ τῶν σιβυλλείων, προδηλοῦντας, εἱμαρμένους εἶναι τῇ Ῥώμῃ Κορνηλίους τρεῖς μονάρχους. ὧν δύο μὲν ἤδη πεπληρωκέναι τὸ χρεών: Κίνναν τε καὶ Σύλλαν: τρίτῳ δὲ λοιπῷ Κορνηλίῳ ἐκείνῳ φέροντα τὴν μοναρχίαν ἥκειν τὸν δαίμονα.

Edolare Quintipor. Clodianus. gargaridare: Fors fortuna. duo Varronis fragmenta conjuncta. tria restituta.

CAPUT VII.

Apud Nonium Marcellum ex epistola Varronis ad Fosium, (sic enim scribendum moneo, non, *Fusium*) hæc afferuntur: (1) *Quinctiporis Clodicani foria ac poemata ejus gargaridans dices, o Fortuua, o Fors fortuna.* quæ verba si Sphinge non sunt, ænigmatis tamen speciem præ se ferunt. quæ tamen prius quam emendamus, adjungamus illis quædam alia, quæ ex eadem epistola idem adducit Nonius, & olim cum his, quæ posui, nisi vehementer judicium fallor, cohæserunt. (2) *Dii quæso Fors fortuna, quantis commoditatibus hunc diem?* quem utrumque locum, ita perscribendum & sibi invicem accomodandum judico: *Quinctiporis Clodiani forias ac poemata gargaridans, dices: O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus hunc diem?* pro, *Clodian*, sive, *clodicant*, scribo; *Clodiani*. rem ipsam hujus facti mei auctorem dabo. Varro Quinctiporem Clodianum poemata sua sine ulla Musa scripsisse affirmat. itaque jure forias appellat. verba ejus Bimarco sunt: (3) *Cum Quinctipor Clodianus tot comœdias sine ulla fecerit Musa: ego unum libellum non edolem? ut ait Eunius.* hoc primum. deinde fragmentum a seipso divulsum in unum conduxi. quod ex eadem utrumque epistola afferatur; & pro, *dii quæso*, posui, *dices o.* quod superius ita legeretur: & facilis erroris esset occasio, cum hoc modo librarii, quod in aliis non raro accidere meminimus, scripsissent: *diques o.* unde illud, *di quæso* promanavit. postremo illa Varronis, quæ modo e Bimarco attuli, partim a me, partim a Junto sunt emendata; cum ita vulgo legerentur: *Tot comœdias sine ulla fecerimus.* a qua scriptura liber Elnonensis non longe discedit, ita tamen ut veræ lectionis argumentum det. *Cum quinti pordolius tot comœdias sine ulla fecerimus: ego unum. &c. Quinctiporem* dixit eo modo, quo *Sallustius* lib. 3. historiarum *Caiporem*: Marciporem vero *Plinius* lib. XXXIII. cap. I. & *Quinctilianus* lib. I. cap. IV. & Festus. de quibus Priscianus *Antiqui*, inquit, *Publipor & Marcipor, pro, Publii puer & Marci puer dicebant: quæ o non producunt secundum Probum in obliquis casibus.* Probus Catholicis: *Legi*, inquit, *unum novo modo figuratum apud Sallustium Publipor Publiporis. est enim quasi proprium.* Jam vero ut ex illo, *Clodian*, potius *Clodiani*, facerem, quam, *Clodii*, litterarum me tractus & minima vocis mutatio impulerunt: præsertim etiam cum hoc cognomen Romani juris esse scirem. Sallustius lib. IV. histor. *At Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega ejus cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda, promulgavit.* Velim autem illud, *Gargaridians*, quid sit, Nonius exposuisset. vehementer enim vereor, ne librorum vitio deceptus, ut frequenter alias, Varronis verba non recte commemorarit: & ita potius Varro scripserit: *Forias, ac poemata ejus barbara ridens* maxime cum in libro Elnonensi sit, *gargaridens*, & in aliis, *gargaridans*: quod equidem quin multis probaturus sim, nihil dubito. Illud etiam nequeo præterire: superiora illa Varronis, apud Terentium

(1) *Nonius*, *gargaridians*
(2) *Idem Fors Fortuna*
(3) *Idem edulare.*

tium reperiri: credibile ut sit, aut inde Varronem esse mutuatum, aut aliud nescio quid in Nonio monstri latere. Terentius hormyone:

O fortuna, o Fors fortuna, quantis commoditatibus
Quam subito hero meo Antiphoni ope vestra onerastis hunc diem.

Legatus PR. PR. inscriptiones veteres. Caesari sua asserta scriptura. glossema ex eo ejectum. Caesar correctus.

CAPUT VIII.

Negat litteratus Jureconsultus, *Legatum PR. PR.* recte dici; eosque, qui contra sentiunt, graviter reprehendit: & verba e Commentariis Cæsaris, quæ in vetustissimis & editionibus & descriptis manu libris ita fere leguntur; *de tertia vigilia T. Labienum Legatum propraet. cum duabus legionibus & iis ducibus qui iter cognoverant, summum montis jugum ascendere jubet*: corrupta esse judicat; atque hunc in morem oportere scribi: *T. Labienum legatum propere cum duabus legionibus & iis ducibus q. i. c. s. m. ascendere jubet*. At ego sexcentis, latine loquor, gravissimorum scriptorum testimoniis & locum Cæsaris recte se habere, & Romanis, *Legatum propraet.* dici, paratus sum docere. scriptorum uterer auctoritate, nisi vererer ne ille, eodem etiam genere, illorum libros emendandos esse, respondere posset. Nunc, quod proximum est, quando ab illis testibus, velut de falso suspectis, deficimur; inscriptionum & numismatum antiquati, hanc testimonii dicendi necessitatem imponamus. & primo quidem inscriptiones advocemus. quæ cum de domo non producantur, ut numismata; nihil vetabit quo minus interrogentur, & in hoc judicio, majus etiam præjudicium quam nummi afferre censeantur. prima est in Æquicolis:

SEX. TADIVS. SEX. F. VOL. LVSIVS. NEPOS. PAVLLINVS.
PROCOS. SORTITVS. PROV. CRET. CYR. LEG. PROPR. PROV.
AFRIC. PRÆF. FR. D. LEG. PR. PR. PROV. ASIÆ. LEG. PR. PR. PROV.
MAC. PRÆT. CAND. ÆD. CVR. Q. PROV. PONTI. ET. BIT. TR. MIL. LEG.
IIII. FE. X. VIR. STLI. IVD. VIII. VIR. II. Q. Q.
MVLVIA. C. F. PLACIDA. MARITO. OPTIMO. ET. SIBI

altera Romæ in D. Sebastiani.

LABERIO. L. F. AIM
COCCEIO. LEPIDO. PROC.
: : . RÆTOR. TR. PL. QVÆST. LEG.
ASIÆ LEG. PRO. PR. AFRICÆ
MISSO. AD. PRINCIPEM. TRI. MIL.
LEG. XXII. PRIMIGENIÆ,
X. VIR. STLIT. IVD.
APOLLONIVS. LIMENA
CYPRI

tertia est in agro Tiburtino:

C. CAESONIO. C. F. QVIR. MACRO. RVFINIANO
CONSVLARI. SODALI. AVGVSTALI. COMITI. IMP.
SEVERI. ALEXANDRI. AVG. CVR. R. P. LANIVINORVM. II.
PROCOS. PROV. AFRICAE. CVR. AQVAR. ET. MINIC.
LEG. AVG. PR. PR. GERMAN. SVPERIORIS. CVR. ALVEI
TIBERIS. CVR. R. P. TEANENS. LEG. AVG. PR. PR. PROV.
LVSITAN. CVR. R. P. TARRICINENS. PROCOS. PROV
ACHAIAE. LEG. LEG. VII. CLAVD. CVR. R. P. ASCVLAN.
LEG. PROV. ASIAE. PR. LEG. PROV. BAETIC. TRIB. PL.

QVAESTORI. PROV. NARBON. TRIB. LEG. I. ADIVTRIC.
DONATO. DONIS. MILITARIBVS. A. DIVO. MARCO.
III. VIR. CAPITALI
PATRI. DVLCISSIMO. ET INCOMPARABILI
CAESONIVS. LVCILLVS. FILIVS. CONSVLARIS

accedat & quarta: sicubi fortasse superiorum status quæstio movetur. ea est Brixiæ.

P. STATIO. P. F.
FAB. PAVLLO
POSTVMIO. IVNIORI
X. VIRO. STLITIB. IVDIC
TRIB. MIL. LEG. VII.
GEM. FELIC.
VI. VIRO. EQVIT. ROMANOR
Q. PROVINC. AFRI. TRIB. PLEB.
PRAETOR. LEG. PR. PR.
PONT. ET. BITHYN. PRO. COS.
PROVINC. BAETICAE.
TITVLO. VSVS.
D. D.

quincta hæc erit pro teste supernumerario. quando enim cum acutissimo I C. res est, cautio etiam superflua non nocebit. eo autem interrogato, etsi infinitæ produci possunt; (nihil enim in marmoribus frequentius) ulteriori tamen productioni sponte nuntium remittam. exstat Gambaræ in summo templo.

P. STATIO. P. E.
FABIO. PAULLO.
POSTVM. IVNIORI.
X. VIR. STLIT. IVDIC. TRIB. MIL.
LEG. VII. GEM. FELIC. VI. VIRO.
EQVIT. ROMAN. Q. PROVINC.
AFRIC. TRIB. PLEB. PRAETORI. LEGAT.
PROPRAET. PONTI. ET. BITHYNIAE.
PROCOS. PROVINCIAE. BAETIC.
C. COMINIVS. AVFILENVS.
MINICIANVS.
OPTIMO. ET. RARISSIMAE. FIDEI. AMICO.

veniamus ad nummos. quos, quamvis multos, recensere, nihil esset negotii duos ipsi vidimus argenteos uni ab una parte incisus erat, *Terminus*. cum hac inscriptione; Q. METELLVS. PIVS SCIP. ab altera parte, sella curulis cum cornucopiæ & bilance, atque hac inscriptione: CRASS. IVN. LEG. PROPR. alterius nummi anterior pars habebat inter lituum & urnam tropæum, cum hac inscriptione: Q. METELL. PIVS. SCIP. IMP. in posteriore erat mater Deum turrita inter spicam & caduceum, cum inscriptione: CRASSVS. IVN. LEG. PROPR. quis est qui, his testibus auditis, non statim pronunciabit rectam in Cæsaris scripturam, neque mutandam videri? nisi forte aliam idem I C. & inscriptionum illarum & nummorum interpretationem afferre poterit. Et quoniam nunc sumus in Cæsare, alium ejusdem imperatoris, melioris certe quam historici (aliorum aliter sentientium abominor invidiam) locum, ut nunc in vulgatis & quibusdam etiam calamo exaratis exemplaribus, si viris doctis credimus, corrupte legitur, indicemus. deinde ut eum ex vetere Mediolanensi legendum didicimus, subjiciamus.

mus. *Tantus subito timor*, inquit Cæsar, *omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes, animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum, a præfectis, reliquisque, qui ex urbe, amicitiæ caussa, Cæsarem secuti, non magnum periculum miserabantur; quod non magnum in re militari usum habebant.* qui locus partim ex Vaticani libri scriptura, quam diligentissimus Fulvius Ursinus indicavit, partim ex nostro Mediolanensi, sic restituendus est: *Hic primum ortus est a tribunis militum, ac præfectis, reliquisque, qui ex urbe amicitiæ caussa, secuti Cæsarem non magnum in re militari usum habebant.* aliæ illæ voces, *periculum miserabantur*, ab inferiore oratione, charta perperam, ut fit librariorum vitio evoluta, in hunc locum ascenderunt: neque tamen minus in inferiore illa oratione remanserunt. omne autem illud paulo etenim altius orationis membra repetenda sunt, ut consilii nostri sibi constet ratio, & pareat cuivis emendatio: omne, inquam, illud ita scripsit historicus: *sæpenumero sese cum iis congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum, ac præfectis, reliquisque, qui ex urbe, amicitiæ caussa, secuti Cæsarem, non magnum in re militari, usum habebant: quorum alius alia caussa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse dicerent, petebant, ut ejus voluntate discedere liceret. nonnulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant. ii neque vultum fingere, neque interdum lacrimas tenere poterant; abditi in tabernaculis, aut suum fatum querebantur, aut commune periculum miserabantur.* Hæc Cæsar. in quibus corrigendis, si quas voces vel omisi: si vel mutavi, nihil me præter librorum auctoritatem fecisse, omnibus testatum esse volo.

Mundus. Pylius. Magno maxima Pella. terræ vapor. pavor. tenuisque capillus. Nevius, Valerius Flaccus, Manilius castigati.

CAPUT IX.

HOspitium vitiorum & mendarum est Manilius. Utinam lex olim Papia hoc in genere valuisset, & hospites hujuscemodi, non tantum usu civitatis, sed etiam talibus hospitiis exclusisset. nihil nunc esset necesse duram illam & inhumanam Lacedæmoniorum ξενηλασίαν renovare; & eos peregrinos, qui semel in civitatem atque adeo certas ædes sunt admissi, ibique longo tempore habuerunt; non sine tumultu magno ejicere. quod tamen, nisi passim fiet, propediem verendum erit, ne illi, numquam interpellati, ejusmodi hospitiis nolint cedere, & se longissimi temporis præscriptione tueantur. tantumne? imo ne suæ ditionis etiam proferant pomæria. Ego ne ea res Manilio fraudi sit, quantum in me erit, cavebo. multi latebunt, sat scio, neque deprehendentur. veruntamen quicumque, vel astu, vel fraude, vel alio quovis modo denique, prodi poterunt; omnes stat extrudere: neque cujusquam misereri certum est; maxime cum illi cives ingenuos eiecerint, & se in eorum locum subrogarint versus Manilii sunt:

(1) *An fortes animæ, dignataque nomina cælo,*
Corporibus resoluta suis, terraque remissa
Huc migrant ex orbe? suumque habitantia cœlum
Aethereos vivunt annos, mundoque fruuntur?
Atque his Aeacidas, hic & veneramur Atridas,
Tydidemque ferum, terræque marisque triumphis
Naturæ victorem Ithacum, filiumque senecta
Insignem triplici, Danaumque ad Pergama reges
Castra ducum & cœli, victamque sub Hectore Trojam.

& prio-

(1) *Manilius lib. 1.*

& priores quidem illos recte imitatus est doctus, *Carminorum impp.* temporibus poeta M. Aurelius Nemesianus, Bocolicis :

(1) Quem nunc emeritæ permensum tempora vitæ
Secreti pars orbis habet, mundusque piorum.

& paullo post:

Nam si sublimes animæ cælestia templa
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur:

sic enim, *mundum*, Lucretium, Ciceronem, alios veteres scriptores & hunc ipsum Manilium, accepisse, olim prioribus illis ad Valerium Flaccum scholiis, quæ mihi puero exciderunt, monui. & Valerianos ea de re versus emendavi. quos quoniam a plerisque etiamnum vitiose scribi, & parum intelligi video, libet eorum emeodatiooem his etiam Antiquis consignatam, posteris relinquere; si forte commentarium Valerianum numquam perpolire dabitur. est autem oratio Jovis ad Herculem & fratres Tyndareos:

(2) Tendite in astra viri. me primum regia mundo
Japeti post bella, truces Phlegrææque labores
Imposuit. durum vobis iter & grave cæli
Institui. sic ecce meus, sic orbe peracto
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.

sed jam ad Maoilium. in cujus versibus prioribus distinctionum vitia, quæ sustulimus, oolumus indicare. satis ea cuivis videre voleoti sese aperient. in posterioribus vero odorari mihi videor, nescio quid exoticum latere. quis est eoim ille *Silius?* aut, ut in aliis est, utrobique repugnante syllaba, *Ilius?* certe peregrious. itaque lege Papia ejiciatur & ejus in locum restituatur, *Pylius*. Nestorem enim triseclem, Pylium fuisse, qui Homeri, aliorumque antiquorum poetarum testimooio noo cognovit, ex illo saltem Ovidiaoo discat carmine:

Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva.
Misimus: incerta est fama remissa Pylo. (a)

sequitur in eodem Maoilio: (3)

——— *nec te Mavortia virgo*
Prætercam, regesque alios quos Græcia misit,
Atque Asiæ gentes, & magno maxima bello.

& hic quiddam irreptitium est: neque ullo umquam senatusconsulto, aut plebiscito in hanc civitatem receptum: quod tamen noo ita delitescit, quin facile se prodi patiatur. est enim io postremis illis verbis. quæ ut nunc leguntur, sententia omni carent, nisi ego ipse forte sensum communem non habeo. nam & eos qui per magnum bellum, *Trojanum*, intelligunt, & illos qui de magno Scipione aut Pompejo poetam loqui volunt, satius erat porcos sacres sinceros, ut Comicus est sermo, sibi nummo comparare, eosque Larum matri immolare. igitur scribe:

Atque Asiæ gentes, & Magno maxima Pella.

de Alexandro Magno loquitur. de quo illud etiam Juvenalis est:

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

quæ emendatio magnam probationem opus non habet. mox:

Ter-

(1) *Nemesianus eclog.* 1.
(2) *Valerius Flaccus lib. Argon.* 1.
(3) *Ibid. v.* 770.

(a) Nec multo diversus est ab Auct. Nostr. Hubertin. Crescentio., qui ad hunc Ovid. loc. de Nestore ita conscribit „ ipse Nestor ioterdum Pylius dicitur „ a Pylo a Mar. & a Juven. ut & rex „ Pylius magno si quodquam credis „ Horat,

Exemplum vitæ fuit a cornice secundæ.

„ *Antiqui* senis dicitur enim vixisse „ CCC. ann. ut Ipse apud Ovid. Vixit „ annos bis centum,

———nunc tertia vivitur ætas;

Terræque pavor comprenditur igni.

emenda:

Terra vapor & comprenditur igni.

ſed facile ea vox alteri illi occupati loci gratiam faciet, neque ullam illi controverſiam movebit, ſi meminerit mutuiter hoc factum eſſe; & alibi ſe in alterius illius ſedem migraſſe: quod dico, in Nævio eſt, ubi *vapos*, pro, *pavos*, ſcribitur. Nævius Lycurgo: *jam ibi nos implicant advenientes timos pavoſque.* doctiſſimus Junius & Conlector Lucretiani Indicis, dum ſcribunt, *Timos Panos*, (1) & de *Panico timore*, accipiunt; fruſtra ſunt. quod, dum illud, *implicant*, attente conſiderabunt, numquam mihi eripient, quin verum eſſe exiſtimem. paullo poſt Manilius:

Flamma comas imitata velat; tenueſque capillos (2)
Diffuſos radiis ardentibus explicat ignes,

ſcribo, & poetam ipſum ſcripſiſſe affirmo:

——— *tenuiſque capillus*
Diffuſos radiis ardentibus explicat ignes.

ſed hoc tempore in iſtos ſatis erit ſæviiſſe. alias alios Infeſte infeſtabimus.

Nugas. percontat. Nævius, & Varro apud Nonium e vetere libro caſtigati.

CAPUT X.

INfinita & prope omnia M. Varronis omnium Romanorum, adde Græcorum, doctiſſimi nobis ſcripta perierunt, quæ ſi exſtarent; nihil eſſet neceſſe tantum ſtudium in inveſtiganda antiquitate ponere; aut alioqui in tanta veteris Romanæ reipubl. ignoratione & tenebris verſari. Quid enim ſacrum, profanum; quid domi, militiæque geſtum; quid Romanum, externum; quod ille divinis litterarum monumentis conſignatum non reliquit? Optandum eſſet certe, quando ut integris quidem aliquando illius fruamur libris, ne ſperari poteſt, unum tandem aliquem exſiſtere, qui ea quæ nobis ſeu fors, ſeu Deus aliquis librorum fragmenta ſupereſſe voluit, quaſi pauculas ex ingenti naufragio tabellas colligeret; & unum in corpus componeret, eſſet cur levius eam rerum præſtantiſſimarum jacturam ferre deberemus. quod dum exſpectatur ut fiat; unumquemque eorum, qui vel ingenio abundant & doctrina, vel a veterum grammaticorum copia ſunt parati, quicquid ad divini illius ſcriptoris illuſtrationem pertinere poteſt, in medium æquum eſt afferre. Non ſane, ut alios, quibus & majus otium, & amplius ad eam rem conficiendam in eruditione eſt adjumentum, exemplo noſtro provocemus, ſæpe antehac Varronis ſcripta emendavimus; idem non raro poſterius, quotieſcunque occaſio dabit, facturi. Itaque & nunc locum ex quadam Menippæa proferemus, &, ut Varro ſcripſit, ſcribendum docebimus: Varro Ephebo (3) περὶ ἐμμονῆς. *Crede mihi, plures dominos ſervi comedere quam canes, quod ſi Actæon occupaſſet, & ipſe prius ſuos canes comediſſet, & non negaſſet; ſaltatoribus in theatro fieret.* illud, *non negaſſet*, verba & ſententiam Varronis manifeſte corrumpit. deinde quid eſt, *ſaltatoribus in theatro fieri?* ſed ne longum faciam; cum de vitio conſtet, emendationem noſtram proponamus, quam veram certam eſſe omnes juxta mecum fatebimini. ſcripſit Varro: *Crede mihi plures dominos ſervi comedere, quam canes, quod ſi Actæon occupaſſet, & ipſe prius ſuos canes comediſſet, non nugas ſaltatoribus in theatro fieret.* *nugas*, quod huic loco depravando fuit, itidem ut, *nugax*, dixiſſe veteres, Cariſius & Priſcianus ſunt auctores. Priſcianus lib. 5. *Inveniuntur tamen alia quoque propria in formam gentilium prolata, ut Antias Hiſtoricus, & monoſyllaba, as, aſſis, mas, maris, vas maſculinum vadis, vas neutrum vaſis, & hoc fas, nefas, nugas etiam commune generum.* Cariſius lib. 1. *Cum ergo omnia genitivo diverſe efferuntur; vas vadis, mas maris, as aſſis; neu-*

(1) *Nonius.* Vapos.
(2) *Ibid. v.* 841.
(3) *Nonius.* Occupare.

tralia quidem duo, sed indeclinabilia, ut hoc fas hujus fas, nefas, nugas. hoc licet indeclinabile sit, tamen commune trium generum hic & hæc & hoc nugas; idem post. *sunt quædam nomina tota in declinatione & singulari & plurali monoptota. in quibus & communia trium generum sunt aut masculini, feminini, & neutri, nequam frugis, nihili & nugas*. & alibi Comminianus vetus Grammaticus: *Ablativus casus singularis quinque vocalibus terminatur, a. e. i. o. v. semivocalibus duabus. v. & s. exceptis pronominibus, ut ab eodem, & ab hoc, & nominibus appellativis monoptotis, ut, nequam, nugas*. quas grammaticorum ineptias prolixius commemoravimus, quod verbum hactenus obscurum. in lucem jam primi revocamus. recte sane Glossarius Latinus, *nugas*, σκαπρός, ἀσελγής. & Græcus, σκαπρός, *nugatorius, nugax, fœdus*. Nescio vero an non in Varrone rectius scriberetur: *Plures canes dominos comedere quam servi*. quod ipsa sententia, si proprius inspicitur, poscere videbitur. nolo tamen in re ambigua quicquam asseverare: præsertim cum liber Elnonensis, in quo illud, *nugas*, scriptum reperi; vulgari scripturæ suffragetur. E quo eodem libro insignem quendam Nævii locum turpiter depravatum, nunc emendabo: *Nævius libri Pœnici* lib. 2. *Blande & docte percontet Ennius, quo pacto Trojam urbem reliquisset*. nomen Enni, qui ætate Nævio fuit posterior, & ab historia Pœnica alienus, inducendum, & aliam nescio quam vocem ejus vice reponendam, recte vidit *Lipsius*. qui sane vir doctissimus conjectura erudita mehercule & ingeniosa, ac quæ adeo, absque veterum librorum indicio esset, vera, emendandum censuit: *Blande & docte precontat*. & de Ænea a Didone excepto voluit intelligi. quæ quidem loci Næviani est sententia: verba non item. scripsit Nævius: *Blande & docte percontat Æneam quo pacto Trojam urbem liqueris*. Hadrianus, dum uno apud Nonium loco vulgatam lectionem servat: altero,

Blande & docte percontaris
Tenesque pacto quo Trojam urbem liqueris,

scribendum suspicatur: vehementer fallitur. Nonius enim, *percontat*, in eo agnoscit. deinde hæc libri Elnonensis est scriptura. quod Junium nostrum, qui eodem alicubi videtur usus libro, non vidisse miror.

Statius Papinius Achilleide, de scriptura veterum librorum, restitutus.

CAPUT XI.

Lubet hic paullulum a solenni illo instituto meo deflectere, & Statii Papinii locum quendam, a variis neque leviter eruditis hominibus, quales fuerunt Turnebus, Junius, Canterus tentatum, persanare, persanatum proponere. neque tamen ullam medicinæ adhibitæ rationem dabo, aut loca affecta indicabo: tantum, quod dixi morbum tollam. & id quidem omne antiquis codicibus, ad quos sæpe provoco, testibus, imo auctoribus fiet. Jam itaque Achillem ipsum sua facta, paullo quam ante politius narrantem audiamus.

Jamque & ad ensiferos, vicina pube, tumultus
Aptabar, nec me ulla feri Mavortis imago
Præteriit. didici quo Pæones arma rotatu,
Messagetæ quo gesa rotent; quo turbine castum
Sauromatæ, falcemque Getes, arcumque Gelonus
Tenderet; & flexa Balearicus actor habena
Quo suspensa trahens libraret vulnera tortu,
Inclusum quotiens discingeret aera gyro.
Vix memorem cunctos, & si modo gessimus, actus.
Nunc docet ingenti saltu me jungere fossas,

Nunc

(1) *Non.* Percontat, & Reliquerit. (2) *Stat. extrem. Achil.*

Nunc caput aerii ſcandentem pondere montis,
Quo fugitur per plana gradu: ſimulacraque pugna
Excipere immiſſos, curvato umbone, molares;
Ardenteſque intrare caſas; peditemque volantes
Siſtere quadrijugos. memini, rapidiſſimus ibat
Imbribus aſſiduis paſtus, nivibuſque ſolutis
Sperchios, vulſaſque trabes & ſaxa ferebat:
Cum me ille immiſſum, quæ ſævior impetus undæ,
Stare jubet contra, tumidoſque repellere fluctus,
Quos vix ipſe gradu totiens obſtante tuliſſet.
Stabam equidem; nec me referebat concitus amnis
Et lata caligo viæ.

Hoc in corpore deformitates, quas ſuſtuli, & cicatrices quas obduxi, ipſa membra numero longe ſuperant. quales autem illæ ſint, & qua parte corporis, ſi qui propius noſſe deſiderat; totum corpus excutiat neceſſe eſt, & id, quod dico, verum eſſe, nunquam inficiabitur.

Aliud Phavorinum, quam vulgo exiſtimetur, de verſu quodam Virgiliano ſenſiſſe, videri: eamque in rem Caput quoddam Agellii emendatum.

CAPUT XII.

VErſus iſtos ex Georgicis Virgilii,

At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaro,

Higenus ita ſcribebat:

——— & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.

contra tamen Phavorinum philoſophum nobilem ſenſiſſe, & ei vocis illius inſolentiam diſplicuiſſe, in vulgus creditum eſt. idque ex verbis Agellii vehementer corruptis. quæ non ut publicata ſunt, ſed ut in vetuſtioribus libris preſcripta invenio, in medium proferam: ſimul totum illud Agellii caput, cognoſcendæ Phavorini ſententiæ, emendabo. *Higenus*, inquit Agellius, *non hercle ignobilis grammaticus in Commentariis, quæ in Virgilium fecit, confirmat & perſeverat, non hoc a Virgilio relictum; ſed quod ipſe invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilii;*

——— & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.

Neque id ſoli Higeno, ſed doctis etiam quibuſdam viris complacitum: quoniam videtur abſurde dici: ſapor ſenſu amaro torquet; cum ipſe; inquiunt, ſapor ſenſus ſit, non alium in ſemet ipſe ſenſum habeat: ac perinde ſit, quaſi dicatur: ſenſus ſenſu amaro torquet. ſed enim cum Phavorino Higeni commentarium legiſſem; atque illi ſtatim diſplicita eſſet inſolentia & inſuavitas illius;

——— Senſu torquebit amaro:

riſit, & Jovem lapidem, inquit, quod ſanctiſſimum jusjurandum eſt habitum, paratus ſum ego jurare, Virgilium hoc unquam ſcripſiſſe: ſed Higenum ego dicere verum arbitror. non enim primus finxit hoc verbum Virgilius inſolenter: ſed in carminibus Lucretii inventum eſt: nec aſpernatus eſt auctoritatem poetæ, ingenio & facundia præcellentis. verba ex 4. Lucretii hæc ſunt:

Denique in os falſi venit humor ſæpe ſaporis,
Cum mare verſamur propter: dilutaque contra
Cum tuimur miſceri abſynthia: tangit amaror.

Non verba autem ſola, ſed verſus prope totos, & locos quoque Lucretii plurimos ſe-
ctatum

flatum esse Virgilium videmus. Quibus verbis, ita a me emendatis, efficitur, ut & Phavorinus sententiam Higeni probarit; & hic Agellii in judicando partes sint nullæ, utrumque contra judicium, certe præter opinionem omnium eorum, qui hactenus Agellium legerunt, aut de illis Virgilii carminibus differuerunt. (a)

Capularis. deflocare. Nonius duobus locis, & Plautus in fragmentis correcti.

C A P U T XIII.

QUi M. Plauto, comico Latinissimo, &, quod vel invidente Horatio dixerim, festivissimo, sua fragmenta collegerunt, eaque illis, quæ hodie exstant, Comœdiis subjecerunt: sane quam negligenter in eo videntur fuisse. primum enim, multa, quæ Plauti non sunt, Plauto dederunt. deinde ea, quæ paucissimis litteris, sciolorum vitio, immutatis, etiamnum in scriptis Plautinis reperiuntur, pro fragmentis habuerunt, postremo, illa ipsa librorum revera Plauti fragmenta, adeo corrupta, & turpibus maculis inquinata, nobis reliquerunt, ut non magni sane retulerit, ea vel omnino periisse, vel ita depravata injuriæ temporis superfuisse. nos medii illius generis sex septem exempla in scholis Vegetianis dedimus: singulorum extremorum, singula nunc dabimus. Et prioris quidem ilud erit, quod in Milite Plautina, nescio quo loco, hæc verba desiderari, *capulo proximus*, iidem illi nuper annotarunt. decepit eos nimirum prava verborum Nonii scriptura, cujus interpretationem pro verbis Plautinis non recte acceperunt. Cum enim Marcellus hos versus Plauti, qui in Milite (1) sunt, attulisset:

Quid ais tu? itane ego tibi videor oppido Acheronticus,
Tam capularis?

(sic enim Nonium eos versus posuisse, editionum veterum indicio cognoscimus.) continuo subjecit: *id est, capulo proximus:* eam videlicet verbi illius explicationem ponens. hinc mutatione prope nulla cum in Nonio legeretur: *idem capulo proximus:* Nonii verba, ut fragmentum, attribuerunt comico de quo errorum genere frequenter in Codice Justinianeo dicendum erit. Servius (2) certe pæne geminam Plautinorum versuum interpretationem dedit, cum ita scriberet: *Plautus dixit, capularis senex, id est, vicinus capulo, qui dictus capulus, ab eo quod corpus capiat*. Ad illa etiam Plauti verba hanc suam explicationem Sex. Pompejus, opinor, accomodavit: Transeamus nunc ad alterum illud genus negligentiæ, quo fragmenta, ipsa, quæ levissima opera poterant emendari, vitiosissima tamen adscripserunt. in quibus illud primum occurrit, quod e Casina videtur excidisse.

Perii; flacco habebit jam illic homo lumbos meos.

quod, etsi vehementer est corruptum, nullius tamen artis fuerit, emendare, præsertim si Noniana verba pressius examinentur. quare juvat, ut edita sunt, apponere, &, secundum illud, apposita emendare. *Defloccare*, inquit Nonius, *est atterere, tractum a vestibus sine flacco*. Plautus Casina:

Perii; flacco habebit jam illic homo lumbos meos.

emendo:

De-

(1) *Scen.* Cohibere.

(2) *Serv. libr. Æneid. II. Non.* Deflocare.

(a) Sentiunt cum Auct. nostr. Taubman., Jacob. Pontan., & Jo: Ludov. de la Cerda, cujus hic verba producimus:
At sapor indicium faciet manifestus, & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
„ Sic legendum in Poeta, & Higyni, „ & Phavorini auctoritate apud Agell. „ lib. 1. cap. 21. Quod Agellii caput „ non intelliges, nisi legas, quæ docta „ scripsit Ludov. Carrio lib. 1. Antiq. „ lect. cap. 12.

Defloccare, est atterere: tractum a vestibus sine flocco. Plautus Casina:

Perii: defloccabit jam illic homo lumbos meos.

cujus sane castigationis elegantiam, & translationis venustatem, nemo non sentiet, qui illum linguæ & elegantiæ in verbis latinæ principem vel primoribus labiis degustaverit: id est, paullulum sapere supra pædagogorum judicium occœperit. Versus autem Plautinus ubi in Casina locum habere possit, diu anxie quæsivi, &, quod est pejus, operam perdidi, (a) plurima enim ex ea excidisse fabula, satis magno nobis argumento sunt, quæ Vir clarissimus, & singulari quodam Reip. bono, & D. O. M. in nostram ætatem beneficio, ad eruendos e situ & in lucem proferendos optimos quosque scriptores natus Joannes Sambucus, in Plantiniana editione præstitit.

Liber Manilii primus percurritur: & compluria omnis generis errata ab eo auferuntur

CAPUT XIV.

Percurram leviter hoc capite primum Manilii librum; &, ut quidque in eo mihi sese offeret minimum maximum, quod quidem ad illius illustrationem vel emendationem pertinere posse videbitur, huic chartæ illinam. Ac statim quidem initio, his versibus: (1)

Nunc mihi tu Cæsar, patriæ Princepsque Paterque
Qui regis Augustis parentem legibus orbem,
Concessumque Patri mundum Deus ipse mereris,
Das animum; viresque facis ad tanta canendum:

nimis tenue & vulgare vitium omnes hactenus editiones insedit nimis tenue & vel unus liber staret, a quo illud abesset; nunquam eam operam mihi sumendam arbitrarer, ut vel verbo monerem. scribendum itaque, poscente sententia, versu primo:

Hunc mihi tu Cæsar patriæ Princepsque Paterque.

& mox, jubente libro Gemblacensi:

——— *Viresque facis ad tanta canenda.*

priorem quidem errorem illum in omnibus omnium scriptorum libris valde ubique frequentem esse jam olim ad Valerium Flaccum annotavimus, & quibusdam locis sustulimus. mox: (2)

Jam propiusque favet mundus scrutantibus ipsum,
Et rapit aetherios per carmina pandere sensus.

scribe de veteris libri consilio,

Et cupit aetherios per carmina pandere sensus.

(1) *Manil. lib. 1. vers. 7.*

(2) *Ibid. v. 11.*

(a) Non irrationabiliter, ait nost. Carrio, in quærendo Plauti loco se operam perdidisse; multas, variasque per tempora, in lucem missas Plauti editiones adeuntibus, non est ubinam Casinæ locus denotatus appareat. id tantum est, quod ex viris eruditis nonnulli advertetunt, nempe & in Plautinis Fabulis, Asinar. videlicet 3. 3. similem adducto, alium hunc versum reperiri

Perii, jam illicce homo meos hic lumbos defloccabit

& interferendum communiter arbitrantur post CX.; cæterum & in re dubietatis plena versamur, deturbarique ipse versus potest ex Asinaria ea plane ratione, qua detruditur alterna Casina nimirum quod neutrum habeant vulgata huc usque Plauti Opera; id tamen ea mente pronunciamus, qua ingenue de more animum nostrum aperimus, sapientioribus, qui secus senserint, nunquam refragaturi.

erunt, ſcio, quibus prius illud magis probabitur, & retinendum videbitur: quibus ego aliud præter manuſcriptæ lectionis auctoritatem, quod opponam, nihil habeo, non multo poſt: (1)

——— unumque ſub orbem
Et per inane ſuis parentia finibus aſtra,
Nominaque & curſus ſignorum, pandere vires

ſcribe, niſi ſententiam his verbis nullam vis ſubeſſe;

——— imumque ſub orbem
Et per inane ſuis parentia finibus aſtra,
Nominaque, & curſus ſignorum, pondera, vires.

deinde: (2)

Naturæque dedit vires, ſeque ipſa recluſit,
Regalis animum primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum faſtigia cælo.
Quæ domuere feras gentes Oriente ſub ipſe,
Quas ferat Euphrates, in quas & Nilus inundat,
Qua mundus redit, & nigras ſupervolat urbes.

quatuor maculas, in quibus mens horum verſuum occultatur, & pæne obruitur ſuſtuleris, ſi hunc in morem emendaveris:

Et natura dedit vires, ſeque ipſa recluſit;
Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum faſtigia cælo.
Quæ domuere feras gentes Oriente ſub ipſo,
Quas ſecat Euphrates, in quas & Nilus inundat,
Qua mundus redit, & nigras ſupervolat urbes.

quibus jam nihil purius, nihil terſius. parum eſt, quod pro vulgatis illis.

Officio junxere Deum,...

&,

..... Hi tantum novere decus;
Officio vinxere Deum:...

&,

.... Hi tantum movere decus.

ſcribendum moneo:
illud autem ne ſine ſcelere quidem reticere poſſum, quod iis, qui intervallo non nimium longo conſequuntur, verſibus, Poetam a ſeipſo facit diſſentire, quam ſentiat, loqui, verſus ſunt:

Nam rudis ante illos nullo diſcrimine vitæ, (3)
In ſpeciem converſa operum ratione carebat,
Et ſtupefacta novo pendebat lumine mundi,
Tum velut amiſſis mærens, cum læta renatis;
Sideribus: varieſque dies, incertaque noctis
Tempora, nec ſimiles umbras nec ſole regreſſo
Jam propiore ſuis poterant diſcernere cauſſis.

operæ eſt videre, quam res puſilla omnem clariſſimi illius carminis lucem offuſcarit; quam illi umbram magnam vox minima obduxerit. volebat Manilius primam illam rudem ætatem, & quaſi mundi infantiam admiratam fuiſſe, neque rationem invenire potuiſſe, cur non eaſdem umbras efficeret ſol ſi nobis eſſet vicinior, quas ſi longius abeſſet, quam ſententiam verſus illi efficient, ſi legerimus:

——— nec ſimiles umbras jam ſole regreſſo,
Jam propiore ſuis poterant diſcernere cauſſis.

mox: (4)

Tum

(1) *Ibid. v.* 30.
(2) *Ibid. v.* 68.
(3) *Ibid. v.* 40.
(4) *Ibid. v.* 75.

Tumque in desertis habitabat montibus aurum:
Ignotusque novos pontus subduxerat orbes.

eadem, minimæ vocis immutatio etiam hic vitii culpam sustinet. scripsit Poeta:

Ignotusque novos pontus subduxerat orbes.

tale-fere est illud Albinovani apud Senecam, de Oceano ad eam diem non navigato:

Quid sacras violamus aquas, Divumque quietas
Turbamus sedes?

sequitur:

——— *sed quisque satis non esse putabat.*

recta videri poterat scriptura, nisi versus huic proximus, (1)

Sed cum longa dies acuit mortalia corda,

nonnullam vitii suspicionem injiceret: eamque liber Gemblacensis in nobis probaret. in quo est:

Nec vitam pelago, nec ventis credere vota
Audebat: se quisque satis novisse putabant.

subinde: (2)

Et quacumque sagax tentando repperit usus:

lege, si vis carmen proximum cum isto recte cohærere:

Et quodcunque sagax tentando repperit usus,
In commune bonum commentum læta dederunt.

Manilium e manibus depono, si prius duas in eo maculas eluero: unam, quæ Maniliani carminis venustatem corrumpit: alteram quæ etiam sententiam evertit; illa quidem hoc in versu est: (3)

Semper enim ex aliis alios proseminat usus:

cum scribi debeat: (4)

Semper enim ex aliis alia proseminat usus.

hæc vero in istis:

Nec vulgata canam: volucrum prædicere linguas;
Consultare fibras, & rumpere vocibus angues.

emenda:

Ne vulgata canam. linguas didicere volucrum;
Consultare fibras & rumpere vocibus angues.

quarum emendationum rationes quærat qui volet. mihi quidem ita certæ videntur esse, ut supervacaneum sit ea de re quicquam addere.

De duum locorum Varronis & aliquot Nonii restitutione conjectura.

CAPUT XV.

ETsi ab omni illa veteres scriptores emendandi ratione, quæ sola doctorum hominum conjectura & opinione constat, semper natura mea vehementer abhorrui, quod eam magnis illis heroibus, Hermolao Barbaro, Angelo Politiano, Hadriano Turnebo, qui litteras Barbarorum injuria prope sepultas, principes excitarunt, & quibusdam etiam amicis meis præstantibus quidem memoria & ingeniosis hominibus raro feliciter cadere meminissem: sentio tamen nonnullas me his *Antiquis* meis conjecturas inspersisse, quibus, vereor, efficietur ut amplius aliquid libri titulo, quam re ipsa efficere potuerim, promisisse videar. aliter omnino, atque Catoni accidisse legimus; cujus Originum titulus, a rerum P. R. iis libris explicatarum magnitudine, longe superatur. Neque tamen mihi temperate pos-

(1) *Ibid. v.* 77.
(2) *Ibid. v.* 83.
(3) *Ibid. v.* 90.
(4) *Ibid. v.* 92.

pnſſum, quin hoc etiam capite de duobus locis Varrronianis opinionem meam, quando a manuſcriptis libris hic deficimur, teſtatam ſcripto relinquam. Et prior quidem eſt in ſatyra Menippæa, quæ inſcribitur; Teſtamentum *περὶ διαθηκῶν*. *Sic ille puellus Veneris repente Vado cecidit cruentis olim.* ubi Junius ſcribendum putavit, *fato cecidit*; longius etiam nos a vera ſcriptura ſedurens. Ego, eıſi artem hariolandi non didicerim, tamen hoc loco hariolari neceſſe habeo. ſi rem non tango, cauſam non dico, quin eodem loco cenſear, quo illi, qui

Sibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Primum itaque illud, *repente*, vitii manifeſtum eſt; & ejus vicem minima variatione ſctibendum, *apri dente*, deinde in, *Vado*, nullus eſt error, niſi quod ejus capiti neſcio unde, aliena adbæret littera: quam ſi ſuſtuleris, verba Varronis, uti olim ſuerunt, conſtitueris. ſic enim haud dubie ſcripſit Varro.

Sic ille puellus Veneris Apri dente Ado cecidit cruentus olim.

Adonem vocat, qui aliis eſt, *Adonis*: mutatione in hujuſmodi nominibus, & apud Græcos & apud Latinos, valde ſrequenti; Fabula autem de Adonide, quem aper occiderit, iis tantum eſt ignota, qui, litteris relictis; ad ſophiſtarum ſcholas tranſierunt. (a) Alter locus eſt in *Eumenidibus*, *Endymionibus*, aut *Endamonibus*

bus

(a) Adonidem vel ipſa divina ſcriptura commemorat Ezech. 8. V. 14. *Et introduxit me per oſtium portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem, & ecce ibi Mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Eaque verba luculenter exponit Auguſt. Calm. „ cultum, ac nomen Adonidis, miſſa fabula, ſic erudite declarans:

„ Nemo tam rudis eſt, qui Adonidis hi-
„ ſtoriam, cultuſque illius rationem igno-
„ ret. Tanquam mortuus exibebatnr in
„ feretro, lugebatur, plorabatur. In his
„ feſtivitatibus obſcænæ imagines defe-
„ rebantur. Pnſt fletus, & querelas,
„ jam reſurrexiſſe nuntiabatur, læta-
„ banturque, eo quod vitæ redditus eſ-
„ ſet, atque omni effuſiſſimarum im-
„ pudicitiarum genere reſurrectionis
„ commemoratio celebrabatur. Has Cæ-
„ remonias Ethnici quoque horrebant
„ adeo, ut honeſti viri erubeſcerent,
„ neque turpia myſteria auderent reve-
„ lare. Eæ tamen adeo communes
„ erant, ut ubique ſerme gentium, lo-
„ corumque in more eſſent pnſıtæ. In
„ Ægypto initium duxere, inde ſe ſe
„ effuderunt late in Græciam, Phœni-
„ ciam, Syriam, Chaldæam &c. Cœte-
„ rum antiquæ ſunt adeo, ut de illis
„ tanquam devulgata prorſus conſuetu-
„ dine loquatur Moyſes, ubi vetat, ne
„ quis in mortui honorem ſibi inſerat
„ vulnus.

„ Hebraicus Textus pro Adonide legit
„ *Thammuz* & ex Syntaxeos ratione vide-
„ tur Thammuz nomen eſſe commune,
„ quaſi *abditum* diceres, Plutarchus de
„ Iſide, & Oriſide ait, Manethonem Au-
„ ctorem Ægyptium interpretatum ſuiſſe
„ fuiſſe nomen *Ammuz*, quod idem eſt
„ ac *Thammuz* pro *obſtruſo*, abdito, ſeu
„ propter eam caliginem, qua involu-
„ ta ſervabantur ejus myſteria, ſeu quod
„ velut abditus in feretro, vel ſub
„ mortui imaginem haberetur. Hoc no-
„ men Thammuz apud Ægyptios erat
„ familiare. Loquitur Plato in Phædro
„ de antiquo Thebarum Rege, cui no-
„ men Thammus, & Plutarchus de de-
„ fectu Oracul. de Ægyptio navarcho
„ ejuſdem nominis. Ægyptii quoque
„ Junium menſem Thammuz vocabant.
„ Quæ omnia confirmant, hoc nomen
„ Ægyptium eſſe, non ſecus ac cære-
„ monias, & cultus Adonidis ex eadem
„ regione profectas.

„ Thammuz idem erat ac Oſiris,
„ Iſidis Sponſus: Eum Phœnices,
„ ac Syri Adonidem vocabant, quod
„ nomen ſignificat Dominum meum;
„ neque illum, niſi poſteriori hoc no-
„ mine Græci appellabant. Itaque non
„ immerito S. Hieronymus, Theodore-
„ tus, ac Interpretum plerique de Ado-
„ nidis feſtivitatibus ea, quæ de Tham-
„ muz iſthic feruntur, intellexerunt.
„ Hæc ſane circumſtantia flentium mu-

„ lierum,

bus . neque enim ea de re certo ſtatuere potui , cum tribus apud Nonium locis tres etiam diverſe ſint ſcripturæ . Verba tamen ſunt : (1) *Diſcumbimus muſſati* : *Dominus matura ova ad cænam committit* . ſic hunc locum varie antea depravatum primus correxit doctiſſimus Stephanus , eumque ſecutus , apud Nonium , (2) Junius . Stephanus tamen illud , *muſſati* , ut de vitio ſuſpectum ejicere , & ſi quod verbum magis idoneum inveniſſet , in ejus locum ſubrogare cogitabat . ego vero lectionis ejus , quæ alibi eſt in Nonio ductum ſecutus videor affirmare poſſe Varronem (3) ſcripſiſſe : *Diſcumbimus multi : tum Dominus matura ova ad cænam committit* . nam vetus hæc eſt ſcriptura : *Diſcumbimus multitudo minus matura ova ad cenam committitis* . & quibuſdam in libris , *multi* , pro , *multitudo* , ſcribi alii aonotarunt . unde utraque ſervata voce recte mibi ſcripſiſſe videor , *multi : dum dominus* . quam emendationem iis , qui Varronem frequentes in manibus habuerunt , me probaturum non diffido . Ne vero hoc caput nihil habeat certi , & omnia arbitraria , alium Nonii (4) locum adducam , & , de ſcriptura libri Elnonenſis , corrigam . *Quoniam* , inquit Nonius , *nonnulli veterum* , *pro eo quod protinus eſt* , *protinam vel protenis converterunt* , *exempla de his neceſſario decerpenda ſunt* . *Afranius epiſtola commiſſa : Tum protenis recta domum digredimur* . emenda : *Afranius epiſtola* : *Commiſſatum protenis recta domum digredimur* . Epiſtolam enim Afranii non tantum Nonius , ſed etiam Feſtus (5) agnoſcit .

(1) *Non.* Dominus . Commitere . Maturum .

(2) *In Vocibus* Maturum , & Dominus .

(3) *In Voce.* Committere .

(4) *Non.* Protinus .

(5) *Feſtus* . Quid niſi & Tyria Maria.

„ lierum , atque coram Idolo ſedentium ,
„ illos in hac impellere debuit ſenten-
„ tiam . Præterea tempus , quo hæ mu-
„ lieres plorabant *Thammuz* , non dif-
„ fert ab eo , quo ſecunda *Adonidis* ſo-
„ lemnia celebrabantur , hoc eſt non
„ procul ab Autumno . Porphyrius apud
„ Euſeb. Præpar. l. 3. c. 11. ait , virtu-
„ tem producentem flores Athis nomi-
„ ne vocari , eam vero , quæ maturis jam
„ fructibus præſidet *Adonidem* dici . Hoc
„ ſub Julii finem contigit ; Auctor idem
„ teſtatur , Oſiridis feſtum diem quere-
„ lis , & fletibus ſationis tempore cele-
„ brari .

„ Rabini hiſtoricis deficientibus ar-
„ gumentis Pueriles fabulas de *Tham-*
„ *muz* commenti ſunt , atque earumdem
„ fatuas omnino deſcriptiones concin-
„ narunt . Afferit Kimchi , Idolum hoc
„ conflatile intus vacuum fuiſſe , ac ſub
„ eodem prunas accendi conſueviſſe , ut
„ cum plumbum , quo oculi repleti
„ erant ob calorem liqueſceret , facile
„ crederent Cultores ; Deum ſuum la-
„ crymas emittere . Affirmant alii Tham-
„ muz Idololatram eſſe Prophetam ,
„ quo a Rege Babylonis cœlo omnia
„ terræ Idola ad Solis imaginem con-
„ veniſſe , quam Magus ille Propheta
„ cœlum inter ac terram ſuſpenderat ,
„ ac ſimul omnes incœpere Prophetæ
„ mortem lacrymis proſequi , atque in-
„ de factum , ut ſolemnis quotannis in-
„ ſtauraretur cæremonia ſub Initium
„ menſis Thammuz , qui Junio fere re-
„ ſpondet . Alii denique putant , Tham-
„ muz animal eſſe , quod Ethnici ve-
„ nerabantur . Hæc autem omnia nulli
„ rationi innituntur .

Xantippus Lacedemoniorum dux. ταϰτιϰοί. Vegetius lib. 3. mendis aliquammultis liberatus.

CAPUT XVI.

XAntippum ducem Lacedemonium, ab Asdrubale Carthaginiensibus auxilio contra Romanos accersitum; magno illis ad victoriam momento fuisse, sub annum urbis conditæ ꟾↃꟾↃXCVIII. Polybius & alii tradiderunt. Quod etiam Renatus Vegetius, (1) de militari Lacedemoniorum disciplina differens, eleganter explicavit; nisi quædam gravissima in scriptis illius vitia, omnem sententiam perturbarent, &, ne a nobis intelligantur, impedirent. verba sunt. *Quantum autem in prœliis Lacedemoniorum disciplina profuerit; ut omittam ceteros, Xantippi declaratur exempla: qui Attilium Regulum, Romanumque exercitum sæpe victorem, cum Carthaginiensibus, non virtute, sed artis solo fera auxilio, prostratis exercitibus, cæpit ac domuit, unoque congressu triumphans bellum omne confecit.* in quibus illud non satis expeditum est, quid sit: *artis solo fera auxilio*. nam si quis emendandum arbitrabitur, *artis solo fere auxilia*, quod huic scripturæ proximum est, nescio quomodo mihi quidem non satis magnam Latini sermonis rationem habere videbitur. neque enim Latini dicere consueverunt, Romanos victores fuisse cum Carthaginiensibus, sed potius Carthaginiensium, vel de Carthaginiensibus; quare locum, ut in libris antiquissimis invenio, adscribam: & eorum scriptura, veluti penicillo, hujus scriptoris, quem ego jure maximi facio, vulnera detergebo. est itaque in illis: *Quantum in prœliis Lacedemoniorum disciplina profuerit, ut omittam cetera, Xantippi declaratur exemplo: qui Attilium Regulum Romanumque exercitum sæpe victorem, cum Carthaginiensibus non virtute, sed arte solus ferret auxilium, prostratis exercitibus, cepit ac domuit: unoque congressu triumphans bellum omne confecit.* hæc ille. qua de re Valerius quoque Maximus ita scribit: (2) *M. Attilius Regulus, ex victori speciosissimo, insidiis Asdrubalis & Xantippi Lacedemoniorum ducis, ad miserabilem captivi fortunam deductus, ac missus ad S. P. Q. R. Legatus, ut ex se & uno & sene complures Pœnorum juvenes pensarentur, in contrarium dato consilio Carthaginem repetiit, non ignarus ad quam crudeles, quamque etiam merito sibi infestos hostes reverteretur.* Illud etiam non recte eodem apud Vegetium (3) libro scribitur: *Athenienses & Lacedemonios, ac Macedonas rerum potitos prisci testantur annales*, quod erit elegantius & rectius se habebit, si ex eodem libro scripserimus: *Athenienses & Lacedemonios ante Macedonas rerum potitos prisci loquuntur annales*. pergamus porro, quicquid est vitiorum eadem illa præfatione, tollere, & lectionem librorum calamo exaratorum proferamus. *Lacedemonii artem præliorum scripsisse firmantur, usque eo, ut rem militarem, quæ virtute sola, vel certe felicitate creditur contineri, ad disciplinam peritiæque studia revocarent, ac magistros armorum, quos Atticos appellaverunt, juventutem suam usum varietatemque pugnandi præceperint edocere*. scribe: *ad disciplinam, peritiæque studia revocarint, ac magistros armorum, quos ταϰτιϰὰς appellaverunt, juventutem suam usum varietatemque pugnandi præceperint edocere*. sic supra dixit: *Lacedemonii quidem & Athenienses, aliique Græcorum in libros retulere complura, quæ ταϰτιϰὰ vocantur.* Glossarius Græcus. ταϰτιϰὸς *ordinarius, dispositus*. unum eadem præfatione reliquum est, in quo veteres libri a vulgaribus discedunt: quod tamen non magni retulerit indicasse, nisi malimus scriptorem suis verbis quam alienis loquentem audire & vulgo quidem: *Nemo provocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem fore si pugnet*. liber autem vetus, *Nemo*, inquit, *provocare, nemo audet offendere, quem intelligit superiorem esse pugnaturum*.

De-

(1) *Vegetius libr. 1. de re milit.*
(2) *Libr. 1. cap. 1.*
(3) *Veget. ibid.*

Delectari in re. atra fuligo. L. Ælius. exiger pecuniam. ex Agellio glossema ejectum. ejus defectus aliquot suppleti. Agellius & Cæcilius correcti.

CAPUT XVII.

DEcrevi capitis hujus operam dare Agellin: eumque, saltuatim ac vellicatim nonnulla corrigendo quantum poterit, meliorem facere. quod nihil esset necesse, si eum, qui ante annos decem ejusmndi correctionen parturit, qun tamen tempore elephanti parere consueverunt, vel nunc saltem suum fœtum in lucem emissurum opinaret. Agellius lib. t. cap. 1. *Comprebensa autem mensura Herculani pedis, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est atque id ita collegit, quod erat consequens, tantum fuisse Herculem corpore excelsiorem quam alios, quantum Olympicum stadium ceteris pari numero factis anteiret.* scribe & emenda e libro Buslidiann: *Comprebensa aut mensura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei mensuræ conveniret, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est: atque id ita collegit quod erat consequens, Herculem tanto fuisse corpore excelsiorem quam alios, quanto Olympicum stadium ceteris pari numero factis anteiret.* Verba autem, quæ a vulgata editinne absunt, nisi interjiciatur, ut a me factum est, sententiam orationis suspensam relinquunt, neque eam absolvunt. Eodem capite, titulus Græcus libri Plutarchi, in Buslidiano nnn est: sed hæc verba, vicem ejus supplent (1) Plutarchus *in libro qui de Herculis quali inter homines fuerit animi corporisque ingenio, & virtutibus conscripsi, scite subtiliterque ratiocinatum Pythagoram philosophum dicit, in reperienda, modulandaque, status longitudinisque ejus præstantia.* quæ itane scripserit Agellius, an potius sint a glnssemate, nihil assevero. Admoneor superiore defectu: ut alium etiam impleam, & Agellin versiculum Græcum reddam. Itaque eo capite, quod magnam partem Canterus protulit, *Arbitror* inquit Agellius, (2) *& a M. Catone insecenda & a Q. Ennio insece scriptum sine, v. littera. offendi enim in bibliotheca Patrensi librum miræ vetustatis Livii Andronici qui inscriptus est Ὀδυσσεία. in quo erat versus cum hoc verbo, sine, v. littera.*

Virum mihi Camœna insece versutum.

factus ex illo Homeri versu. illi igitur & ætatis, & fidei magna libro credo. Hactenus Agellius. Quia non videt post illa verba, *factus ex illo Homeri versu*, versum, e quo suum expresserit Livius, deesse, & primum hunc Homericæ Ulyxeæ desiderari?

ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον..... (a)

quod Canterum fugisse in tot diversis *Novarum* suarum editionibus, nnn parum miror.

Idem lib. 1. cap. 2. *Permitte, inquit, philosophorum amplissime, quoniam respondere nos tibi, quos idiotas vocas, non quimus.* scribe: *quoniam respondere, nos tibi, quos idiotas & rudes vocas, non quimus:* ibidem: *Iussitque proferri dissertationum Epicteti digestarum ab Ariano primum librum: in quo ille venerandus senex juvenes, qui se stoicos appellabant, neque frugi neque operæ probæ, sed theorematibus tantum nugalibus, & puerilum isagogarum commendationibus dilatrantes, objurgatiene justa incessivit.* lego: *jussitque proferri dessertationum Epicteti digestarum ab Ariano primum librum: in quo ille venerandus senex juvenes, qui se stoicos appellabant, neque frugis*

neque

(1) *Agell. ibid.*

(2) *Id. libr. 18. cap. 9.*

(a) Vertit Jnh. Spondanus
„ Virum dic mihi Musa versutum ....
Versioni & hoc Phaleucium potest accomndari
„ Vafrum nstende mihi Virum Camæna.

neque operæ probæ, seque in theorematis tantum nugalibus & puerilium isagogarum commentationibus delectantes, objurgatione justa incessivit. delectare se in commentationibus, ἀρχαϊσμὸς est; qualis apud Terentium:

In eo me oblecto: solum id est carum mihi. (1)

ibidem: *ultroque verborum & argutiarum fuligine ob oculos audientium jacta sanctissimæ disciplinæ nomen ementiretur.* scribe: *utraque verborum & argutiarum fuligine.* Idem lib. eodem cap. 18. *M. Varro doctissimum tunc civitatis hominem L. Lælium errasse ostendit.* scribe: *L. Ælium.* de quo prioribus observationibus satis multa diximus. de eo enim Varronis magistro locum illum accipi oportere, argumentum huic capiti præpositum declarat: si tamen & ibi *L. Ælium*, non, *Lælium*, scribatur. deinde: *quod vocabulum Græcum vetus traductum in linguam Romanam pro meraco, & quasi a se primitus latine fictum esset, resolvit in voces latinas.* liber Buslidianus: *quod vocabulum Græcum vetus traductum in linguam Romanam perinde atque latinum prius factum esset, resolveret in voces latinas*: reliquis illis ejectis. quæ lectio manifeste vera esse ostenditur, ex Varronianis verbis. quæ sunt: *nam aliquot antiquorum verborum Græcorum perinde atque essent propria nostra, reddidit caussas falsas.* toto denique capite *L. Ælius*, non, *Lelius*, scribendum moneo; transeamus ad alia, idem lib. 15. cap. 14. *Cum sese sciret in tantum crimen venisse, atque socios ad senatum questum flentes venisse sese maximas pecunias exactos esse; pecunias se maximas exactos; id nobis videbatur Græca figura dictum.* scribe: *se maximas exactos pecunias, pro eo quod est; pecunias maximas a se exactos, id nobis videbatur Græca figura dictum.* eodem capite Cæcilius Hypobolimeo Æschino:

Ego illud minus nihil exigor portorium.

corrige:

Ego illud minus nihilo exigor portorium.

id est, inquit Agellius, *nihilominus exigitur de me portorium.* (a)

E Statio Papinio menda aliquot sublata.

CAPUT XVIII.

LOcus est elegans apud Statium Papinium Achilleide, in quo Achilles Græcis ad bellum Trojanum ituris jam adjunctus, omnem fere vitæ suæ, potissimum quam sub Chirone egerat, rationem pulcherrime explicat: ita ut si quis

(1) *Adelhp. Sc.* 1.

Hæc

(a) Corrigit hunc Agellii locum Taubman. in Plaut. Trinum Act. II. Sc. IV. v. 26. *Ego illud nihilominus exigor Portorium*; Ejusdem autem *Portorii* meminit postmodum expresse ipse Plaut. in Trin. IV. IV. XV. ut salutæ mercedis

Solutum est Portitori jam *Portorium*. Nonio autem „ *Portorium* dicitur mer-
„ ces, quæ Portitoribus datur. Lucil. Li-
„ br. XXVII. Facit idem, quod illi, qui
„ inscriptum e portu exportant clancu-
„ lum, ne *Portorium* dent. „ ac de *Portorio* Turneb. Advers. I. V. *Tertium*, ait, *vectigal e mercatura erat, siquid vel importaretur, vel exportaretur quod* Portorium, *appellabant*. Illud vero de *Portorio*, est obscurum, quando primum Romæ invaluerit, dubium est an imperante Anco Martio, qui Ostiæ portum Romanis patefecit, id unum hac in re certo liquet ex *Plutarc. in Poblic.* sub Regibus *Portorium* Romanis impositum, illudque sublatum in populi commodum ab eodem Poblicola exactis Regibus, narrat idem Plutarc. Quo deinceps tempore *Portorium* remissum, quo restauratum vid. ap. *Sigon. De Jur. Civ. Rom.* I. 16. itemque penes Burmann. L. I, post Reipublicæ ætatem. exigendi *Portorii* quæ ratio fuerit Imperatoribus, occurrit inquirenti.

encomium Achillis, quod apud Græcos Theon fecit, apud Latinos velit conscribere; non aliunde scriptionis suæ argumentum petere debeat. Hic tamen ipse illustris locus adeo est depravatus, ut, quid Achilles dicat, vix, imo ne vix quidem a quoquam possit intelligi. Versus sunt: (1)

Hæc mihi prima Ceres. Hæc leti munera Bacchi
Sic dabat ille Pater. mox ille per avia secum
Lustra gradu majore Thetis, visisque docebat
Arridere feris; nec fracta ruentibus undis
Saxa, nec ad vastæ trepidare silentia silvæ.
Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetra
Et ferri properatus amor; durataque multo
Sole geluque cutis. tenero nec fluxa cubili
Membra, sed ingenti saxum commune magistro.

quinque, ut minimum, octo versibus insunt menda. quæ hac spongia, hunc in modum, elui poterunt:

Hæc mihi prima Ceres. hæc læti munera Bacchi
Sic dabat ille Pater. mox ire per avia secum
Lustra, gradu majore trahens, visisque docebat
Arridere feris; nec fracta ruentibus undis
Robora, nec vastæ trepidare silentia silvæ.
Jam tunc hasta manu, jam tunc cervice pharetra,
Et ferri properatus amor: durataque multo
Sole geluque cutis: tenero nec fusa cubili
Membra; sed ingenti saxum commune magistro:

quam illorum versuum emendationem, nemo, opinor, eorum qui Poesim non aspernantur, insuper habendam judicaverit. Eadem de re Valerius Flaccus canit:

Illum nec valido spumantia pocula Baccho
Sollicitant; veteri nec conspicienda metallo
Signa tenent. stupet in ducibus, magnumque sonantes
Haurit; & Herculeo fert cominus ora leoni.

Vorat ignem. supra est hominemque deumque fluctusque natantes. mœnia mundi. locus Manilii de Lucretio expressus. variis locis Manilius emaculatus.

CAPUT XIX.

NOn totiens Herculi cum excetra res fuit; quotiens mihi cum Manilio, cui tamen hydræ quo plura capita succido, eo plura suppullascere sentio, ne itaque lucta sit inanis, & ridicula; cum suo modo posthac agere jubebimus, si tamen ante nonnulla, eaque levia, reciderimus, aut saltem recidenda carptim indicaverimus.

Seu liquor hoc peperit, sine quo riget arida rerum (2)
Materies; ipsumque vocat, quo solvitur, ignem.

corrige:

——— *ipsumque vorat, quo solvitur, ignem.*

mox: (3)

Semper erit genus in pugna. dubiumque manebit
Quod latet, & tantum superest hominumque deumque

Lege:

——— *& tantum supra est hominem deumque.*

paullo post: (4) ——— *flu-*

(1) *Papin. extrem. Achilleid.*
(2) *Manil. lib.* I. *v.* 135.
(3) *V.* 145.
(4) *Ibid. v.* 155.

——— *fluctusque natantes*.

subinde: (1)

Tertia fors undas stravit, flatusque natantis,
Æquora perfudit toto nascentia ponto.

scribe:

At parte ex alia claro volat orbe corona,
Luce micans varia: nam stella vincitur una
Circulus in medio radians: quæ proxima fronte
Candidaque ardenti distinguit lumina flamma.

in his, versus tertius longe aliter in libro Gemblacensi concipitur, & quomodo eum procul dubio Poeta scripsit. nimirum:

——— *stella vincitur una*
Circulus: in media radians quæ maxima fronte.

nisi forte, quod suspicor, *radiat*, potius scribendum est, aut versu illi proximo, *distinguens*, non, *distinguit*. jam vero illa,

Serpentem magnis Ophiuchus nomine signis.
Dividit, & toto mergentem corpore corpus
Explicat.

si veteris libri scripturam non contemnimus, ita scribemus: (2)

Serpentem magnis Ophiuchus nomine signis
Dividit, atque etiam totum ingens corpore corpus
Explicat.

quod tamen a Poeta scriptum fuisse, in tanta lectionum varietate sibi sententia semper constante, nolim præstare: ut contra illud fide mea rectum esse jubent.

Et Phœbo sacer ales, & una gratus Jaccho
Crater.

pro quo in vulgaris notæ libris est:

Et Phœbo sacer ales & magno gratus Jaccho. (3)
Crater.

aperte versu reclamante. quod qui non viderunt, miror qua parte corpori oculos suos habuerint. dehinc interstitio non ita longo. (4)

Tunc subeunt hædi claudentes sidere pontum
Nubibus, & mundi nutrito rege capellæ.

qui versus elegantissimi minima mutatione elegantiam antea amissam recipient si ita scribantur:

Tunc subeunt hædi claudentes sidere pontum,
Nobilis & mundi nutrito rege capella:
Cujus ab uberibus magnum ille ascendit Olympum,
Lacte fero crescens ad fulmina, vimque tonandi.
Hunc ergo æternis merito sacravit in astris
Juppiter, & cœli cœlum mercede rependit.

de capra Amalthea sermo est. de qua Varro, Ovidius, Lactantius, alii multa. deinde: (5)

Ultima quæ mundo semper voluuntur in imo,
Quis innixa manent cœli fulgentia templa,
Nusquam conspectum redeuntia cardine verso
Sublimem speciem mundi, similisque figuras
Astrorum referunt.

emenda, nisi mendosos mavis:

Ultima quæ mundo semper volvuntur in imo,

Qui

(1) *V.* 322.
(2) *Ibid. v.* 335.
(3) *V.* 375.
(4) *Ibid. v.* 413.
(5) *Ibid. v.* 383.

Quis innexa maneant cæli fulgentia signa
Nusquam in conspectum redeuntia cardine verso,
Sublimis speciem mundi, similesque figuras
Astrorum referunt.

scripsi primum, *cæli fulgentia signa*: de iis enim loquitur Poeta, non de aere aut de cœlo. deinde posui, *in conspectum*: pro eo quod erat; *conspectu*. sententia postulante, & vet. cod. adjuvante. postremo emendavi, *Sublimis speciem mundi;* cum antea legeretur; *sublimem speciem mundi*. cujus emendationis rationem qui petat, idem omni ratione expers esse videatur. subjungam & alias aliquot emendationes priusquam alio propero. illud itaque mendosum est; (1)

Nusquam turba nocet: nihil illis partibus errat,
Latius & levius, mutatove ordine fertur.

& scribendum:

Nusquam turba nocet: nihil ullis partibus errat;
Laxius aut levius, mutatone ordine fertur.

ne illud quidem bene habet; (2)

Qua pateat mundum divino numine verti;
Atque ipsum esse Deum; nec forte coisse magistra,

cum vetus sit lectio:

Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra.

quam in partem apud Sallustium, Ciceronem, Livium, alios, frequenter peccatum est, ut infra:

Si fors ista dedit nobis, fors ipsa gubernet.

cum vera sit scriptura:

Si fors ista dedit; nobis fors ipsa gubernet.

Eleganter autem Manilius de placidis Epicureis differens, Lucretiana verba usurpat, quale est illud Lucretio familiarissimum; *mœnia mundi*. quo etiam lib. 3. utitur:

Cum tantas strueret moles per mœnia mundi,

Sed præstat carmen Manilii a nobis emendatum apponere, illique Lucretianos versus, quos exprimere voluit, subjicere, sic enim utroque sibi ex contentione opposito, quid noster sit affecutus, intelligetur: & Manilii quidem hæc sunt:

Ac mihi tam præsens ratio non ulla videtur,
Qua pateat mundum divino numine verti;
Atque ipsum esse deum, nec forte coisse magistra:
Ut voluit credi, qui primus mœnia mundi
Seminibus struxit minimis, inque illa resolvit;
E quis & maria & terras & sidera cæli
Ætheraque, immensos fabricantem finibus orbes
Solventemque alios constare, & cuncta reverti
In sua principia & rerum mutare figuras.

Lucretii autem illa: (3)

Quippe etenim primum terraï corpora quæque,
Propterea quod erant gravia & perplexa, coibant,
In medioque imas capiebant omnia sedes.
Quæ quanto magis inter se perplexa coibant;
Tam magis expressere ea, quæ mare, sidera, solem,
Lunamque efficerent, & magni mœnia mundi.
Omnia enim magis hæc e levibus atque rotundis
Seminibus, multoque minoribu' sunt elementis
Quam tellus.

Unam

(1) *V.* 487.
(2) *Lucret. lib.* 5.
(3) *Manil. lib.* 1. *v.* 350.

Unam atque alteram maculam in eodem Poeta deleamus: deinde manum de tabula. (1)

In quo consumit Phœbus lucemque, moramque.

emenda errorem totiens jam obvium:

In quo consummat Phœbus lucemque, moramque;

post vero, (2)

Inviaque obliqua radiorum munera flamma
Dat pariter minimum nobis.

scribe, ut Poeta scripsit:

Dat per iter minimum nobis.

deinde:

Fila trabunt alti circum comitantia cœli,
Intervallo pari servantes limite semper.

corrige:

Fila trabunt alti cursum comitantia cœli,
Intervalla pari servantis limite semper.

illud enim, *servantis*, omnino ad cælum referendum est. mox:

Non opus est magni casus, sed numinis ordo.

verba suum in ordinem restituendo, lege:

Non casus opus est magni sed numinis ordo.

qua sententia hoc caput concludimus.

Militia plebi volenti. phrasis Græcorum a Sallustio expressa. Sallustius eam in rem correctus.

CAPUT XX.

Sicut cum primo ficos propola recentes
Protulit, haud precio ingenti dat primitu' paucos:

itidem ego hoc capite facere cogito. cum enim amplissimas in Sallustium castigationes, ex variis, iisque oppido quam vetustis libris, domi paratas habeam, quas brevi velim extrudere: nunc unam duntaxat unius loci emendationem, sed illam acerrimo Adolphi Mekerchi & Iusti Lipsii judicio, pro ea quæ est in summis illis viris maxima omnis doctrinæ copia, valde probatam decrevi proponere, & hoc quasi lenocinio ad ipsas castigationes cognoscendas lectorem allicere. Verba Sallustii sunt: (3) *Neque illi senatus, quanquam adversus erat, de ullo negotio abnuere audebat: ceterum supplementum etiam lætus decreverat, quia neque plebe militiam volente putabatur Marius, aut belli usum aut studia vulgi amissurus.* (a) quibus verbis errorem subesse, nemo eorum, opinor, omnium, qui se Sallustium superioribus annis satis multi corrigere sunt professi, sentiscere potuerunt, solus Leopardus, (4) cujus doctissimæ in omne scriptorum genus emendationes tuo, Francisce Nansi, beneficio non ita pridem cœperunt videre lucem, locum mendosum esse, & hunc

(1) *Sallust. Jugurth.*
(2) *Ibid.* 551.
(3) *Sallust. Jugurth.*
(4) *Emendat. lib.* IV. *cap.* 33.

(a) Allata verba Sallust. Ascens. interpretatur: „ cæterum, idest, sed insuper, decreverat, idest decreto adjudicaverat, illi supplementum, scilicet legionum, etiam lætus, idest volens, ac lubens, quia Marius putabatur amissurus, idest quia potest amittere, aut usum belli, aut studia, idest favorem vulgi, & hoc plebe neque, idest non volente, idest refugiente militiam, idest exercitium belli. „ quæ hic adducta est declaratio ea mente, ut restituendo dubio Sallustii loco, lux clarior affulgeat.

& hunc in modum corrigendum videri monuit: *Ceterum supplementum etiam lætus decreverat, & quia plebi neque militia volenti erat, putabatur Marius aut belli usum, aut studia vulgi amissurus.* cujus hominis eruditissimi censuræ libenter meum adjicerem suffragium, nisi & Priscianus (1) Græcæ illi Demosthenicæ phrasi, (2) *ἂν βουλομένοις ᾖ τούτοις ἀκούειν* „ volentibus autem his audire „ hanc Latinam Sallustii subjiceret, *neque plebi militia volenti putabatur*: & alioqui, verum ut dicam, nescio quomodo illa correctione nimis plebeja & quasi de trivio ea doctissimi historici efficeretur oratio. Rivium, Aldum, atque ipsum adeo Nannium, verborum in libris veteribus mutationem observasse ullam, valde miror. Ego vero nullum hactenus librum manuscriptum videre potui, (vidi autem plurimos, & duos in iis, multos jam annos Collegio Buslidiano, in quo literatissimus Nannius eloquentiam profitebatur, publicitus asservatos) qui in hujus oratinnis scriptura, cum publicatis exemplaribus consentiret, & non potius ab iis longissime discederet, quorum variantes scripturas, cum in castigationibus Sallustianis recensuerim, quid attinet repetere? ad veram lectionem proxime accedit Buslidianus alter; in quo est: *Neque plebe, militia volenti putabatur, & Marius aut belli usum, aut studia vulgi amissurus*, cui si litterulam addideris, quam interpretum detraxit inscitia, Sallustio sua verba reddideris; scripsit ille, quod & Priscianus notavit: *quia neque plebei militia volenti putabatur, & Marius aut belli usum, aut studia vulgi amissurus*, utroque orationis membro vox, *esse*, reticetur; & illud, *putabatur*, repetitur. postremo *plebei*, pro, *plebi*, vetuste scribitur, quorum ignoratio scriptorem optimum depravavit. Locutionis illius exempla in Tacito, Livio, Macrobio, & hoc ipso Sallustio occurrent plurima, neque tamen alia illa æque proba & antiqua loquendi ratio, *volentia plebi*, apud Sallustium ejusque imitatorem Tacitum, in istam, de qua loquimur, phrasim, quod alios tentare video, potest mutari. qua de re capite proximo. differetur.

(1) *Priscian. lib. 17.*

(2) *In Orat.* περὶ στεφάνου. *De Corona.*

LUDOVICI CARRIONIS

EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM.

LIRER PRIMUS.

LUDOVICI CARRIONIS

EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM.

LIBER PRIMUS.

Saturnus & Serapis quando ab Aegyptiis, quando a Romanis in Deos recepti. defectus in Macrobio suppletus. Septimus, Octavus, Decimus, prænomina. Decimus Laberius Mimographus e Livio & Dionysio obiter item e Macrobio mendæ aliquammultæ sublatæ.

CAPUT I.

IN ceteris nostræ Patrumque nostrorum ætatis Scriptoribus, non negligenter in corrigendo Macrobio (quid enim vetat a boni nominis, & ominis scriptore ioitium facere?) fuit Joachimus Camerarius gentis Germanicæ doctissimus; mirum ut sit, locos tam multos tamque insignite pravos, in veterum etiam exemplarium copia, fuisse prætermissos. De uno atque altero quid sentiendum sit pronuntiabo. de reliquis judicandi ceteris *Siremps lex esto*; ut veteres loquebantur. *In hujus*, inquit Avienus, (1) *Saturni cultu, quem Deorum Principem dicitis, ritus videtur ab Aegyptiorum relogiosissima gente in arcana templorum usque ad Alexandri Macedonis occasum defuisse: post quem Tyrannide Ptolemæorum pressi hos quoque Deos in cultum recipere, Alexandrinorum more apud quos colebantur præcipue, coacti sunt: ita tamen imperio paruerunt, ut non omnino religionis suæ observata confunderent. nam quia nunquam fas fuit Aegyptiis pecudibus aut sanguine sed precibus & Thure solo placare deos, his autem advenis hostiæ erant ex more mactandæ; fana eorum extra pomœrium locaverunt: ut & illi sacrificii sibi solemni cruore colerentur, nec tamen urbana Templa pecudum morte polluerentur*. Verba adscripsi ut vulgo & apud Joachimum leguntur, in quibus illud primum offendi; *ritus videtur ab Aegyptiorum gente in arcana templorum defuisse*. Neque satis Latine id dici posse judico. Deinde, cum solum Saturnum nominet, quos hic Deos commemorat, qui in cultum ab Ægyptiis recepti sint? qui sunt duo isti advenæ, quibus hostiæ mactantur ex more? certe Saturnum & Serapim esse vel illa, quæ consequuntur proxime, arguunt: *Nullum itaque Aegypti oppidum intra muros suos aut Saturni aut Serapis fanum recepit. Horum alterum vix ægreque a vobis admissum audio: Saturnum vero vel maximo inter ceteros honore celebratis*. Sed vero Avienum ipsumque adeo Macrobium advocatione more majorum postulata, audeo defendere omnique culpa liberare. defectum suppleamus modo; & errorem qui locum obsedit, indicemus: cujus fontem vocem *videtur*, hoc litterarum scriptam compendio; *v̄r*, fuisse, præsto, quo *vester* notari non minus quam, *videtur*, a festinantibus librariis consuevit. Hoc primum. jam vero nota accepta, cum reliqua supplendæ sententiæ viderentur deesse, additamentum verbi illius, *defuisse*, quod in membranis non est, ab istis librorum corruptoribus extorsit: idque in antiquissimis editionibus, ne quis errorem χθὲς καὶ πρώην natum esse suspicetur. igitur verum est scribere: *In hujus Saturni cultu, quem Deorum Principem dicitis, ritus vester*

(1) *Ap. Macrob. Lib. 1. Saturn. cap. 7. ut vulgo.*

vel'ter ab Aegyptiorum religiosissima gente dissentit. Nam illi neque Saturnum neque ipsum Serapim receperant in arcana templorum usque ad Alexandri Macedonis occasum. Sententia sane quam elegante, & quam a libro vetere clarissimi I. C. Petri Pithœi amici nostri esse libenter testificor, in quo illa etiam melius, quam vulgo; *in bujus Saturni*, non, in hoc: item, *sacrificii solemnis sibi*, non, *solemni*, quod quis non difficulter viderit. Serapis itaque post Alexandri Macedonis occasum ab Ægyptiis in templa receptus est, quanquam, cum Ægyptii Plutonem Sarapidem nominarent Plutonis Colossum Sinope, jussu Ptolemæi Soteris, Alexandriam deportatum, Sarapim Alexandrini nominarint: sic enim scribit Plutarchus. (1) (*a*) Πτολεμαῖος δὲ ὁ σωτὴρ ἀνεῖλε τὸν ἐν Σινώπῃ τοῦ Πλούτωνος κολοσσὸν, οὐκ ἐπιστάμενος οὐδὲ ἑωρακὼς πρότερον οἷος μορφὴν κελεύοντα κομίσαι τὴν ταχίστην αὐτὸν εἰς Ἀλεξάνδρειαν. ἀγνοοῦντι δ' αὐτῷ καὶ ἀπορῶντι ποῦ καθίδρυται, καὶ διηγουμένῳ τοῖς φίλοις τὴν ὄψιν. εὑρέθη πολυπλανὴς ἄνθρωπος, ὄνομα Σωσίβιος, ἐν Σινώπῃ φάμενος ἑωρακέναι τοιοῦτον κολοσσὸν, οἷον ὁ βασιλεὺς ἰδεῖν ἔδοξεν. ἔπεμψεν οὖν Σωτέλη καὶ Διόνυσον, οἳ χρόνῳ πόλλῳ καὶ μόλις, οὐκ ἄνευ μέντοι θείας προνοίας, ἤγαγον ἐκκλέψαντες. ἐπεὶ δὲ κομισθεὶς ὤφθη συμβαλόντες οἱ περὶ Τιμόθεον τὸν ἐξηγητὴν καὶ Μανέθωνα τὸν Σεβεννύτην Πλούτωνος ὂν ἄγαλμα, τῷ Κερβέρῳ τεκμαιρόμενοι καὶ τῷ δράκοντι, πείθουσι τὸν Πτολεμαῖον, ὡς ἑτέρου θεῶν οὐδενὸς ἀλλὰ Σαράπιδός ἐστιν. οὐ γὰρ ἐκεῖθεν, οὕτως ὀνομαζόμενος ἧκεν, ἀλλ' εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σάραπιν. Romani vero post Pisonem & Gabinium Consules Serapim & Isidem in Deorum suorum retulerunt numerum, hoc est, anno circiter ab V. C. IↃCXVI ut scribit Arnobius. (2) Pergamus, & in eodem Macrobio Poetæ mimographo prænomen reddamus; quod non solum temporis injuria pene totum abolevit, sed certorum hominum quidvis temere contaminantium maculavit confidentia, simul aliud e Macrobio vitium tollemus. Laberium, quem alii Titum, quidam Tajum, nonnulli etiam Lucium prænominant, Decimum fuisse primus doceo; sic enim idem Macrobius. (3) *Cum iratus esse P. Clodius Decimo Valerio diceretur, quod ei nummum petenti non dedisset, Quid amplius, inquit, mihi facturus es, nisi ut Dyrrachium eam & redeam? alludens ad Ciceronis exsilium*. Hic mihi vide an *Decimo Laberio*, syllaba transposita non potius legendum arbitreris: quo argumento? statim verbis nullis interjectis subjicit Avienus: *sed quia paullo ante & Aurelius Symmachus & ego nunc Laberii fecimus mentionem*. Atqui, nisi ista de Laberio accipiantur, non est quod alibi in Avieni sermone Laberii nomen inquirendo te fatiges. de Symmacho; meminerat is (4) Laberii paullo superius. quid? quod de mimographo agi

vel

(1) *Lib.* Περὶ Ἴσιδος Καὶ Ὀσίριδος. *lib. de Iside & Osiride.*

(2) *Lib. 2. adverſ. Gent.*

(3) *Lib. 2. Cap. 7. Saturn.*

(4) *Lib. 2. Cap. 3.*

(*a*) „ Ptolemæus autem Soter sustulit „ Plutonis Colossum, qui Sinope erat, „ quum neque nosset, neque vidisset „ unquam talem, quali forma prius „ imaginatus fuerat se videre, ac juberi „ eum quamprimum Alexandriam perferre: ignoranti vero, & anxie inquirenti ubi situs esset, amicisque visum „ narranti, oblatus est quidam late vagatus homo, nomine Sosibius, qui Sinope talem Colossum vidisse diceret, qualem (se vidisse per quietem) Rex „ imaginatus fuerat. Misit igitur Sotelem & Dionysum qui longo tempore & vix quidem non fine Divina providentia furtim (ablatum Colossum) perduxerunt. Quem quidem „ adductum contemplati sunt Timotheus Interpres & Manetho Sebennita, ac Plutonis esse Simulacrum „ collegerunt, a Cerbero & Dracone „ conjecturis ductis, Ptolemæoque „ persuaserunt non esse alius Dei, „ quam Serapidis. Non enim isthinc „ hoc nomen gerens venerat, sed allatus Alexandriam, Serapidis nomen, quo Ægyptii Plutonem afficiunt, nactus est.

vel ex eo paret, qoud *mimum* petenti dicitur recusasse? sic enim libri veteres, non *nummum*. & quis ille Valerius mimographus, quis ille Clodius qui a mimographo nummum sibi dari postulet? Decimum prænomeo esse, uti Q. Sext. Sept. Oct. historiæ rerumque Romanarum noo ignari norunt. de Q. & Sexto res etiam in vulgus, noo ignota. Septimum ab Æquicolis esse, quorum primus fuerit Rex Septimus Modius, testatur Epitome Valeriana, sive illa est Julii Paridis, sive nescio cujus C. Titii Probi. *Octavum* non ita temere quempiam invenias nominari. observo tameo in antiquissimis Livii membranis Mamilium illum Tusculanum Latioorum ducem, aliquot etiam apud Dionysium in regio exemplari locis, *Octavum* dici, oon, *Octavium*; quanquam vulgo plerumque vocetur Οκτωιὸς. Sed Latinorum nomioum rationem a Græcis velle petere, apud quos illa & varie scribuntur & corrupte; vix hominis est sani. hoc tamen affirmo, tam apud Livium quam apud Dionysium *Octavum* debere nominari. Jam de Decimo ita Varro: *In prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia: ut a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris, ut Quintus, Sextus, Decimus*. & auctor Rhetoricorum ad Herennium: *Ne forte in numero locorum falli possimus, quintum quemque locum placet notari; quod genus si in quinto loco manum auream collocemus, & si in decimo aliquem notum cui prænomen sit decimo*. sic cum Junius Juvenalis Decimus esset vocandus, superioris sæculi imperitiaDecius vocatus est, uti hic ipse etiam Laberius: quorum utrumque apud Crinitum est videre. Lubet huic rei confirmandæ Plutarchi de prænominibus locum elegantem apponere, quod huc non parum faciat & io Italicis editionibus sit corruptus, verba sunt. (1) ἐστιν ὁ Σπόριος τ̃ ποιῶτων ὀνομάτων, ὡς ὁ Σέξστος καὶ ὁ Δέκιμος καὶ ὁ Γάϊος. τὰ δὲ πρῶτα τῶν ὀνομάτων οὐχ ὁλογραφοῦσιν, ἀλλ' ἢ δι' ἑνὸς γράμματος, ὡς τὸν Τίτον καὶ τὸν Λεύκιον, καὶ τὸν Μάρκον. ἢ διὰ δυοῖν, ὡς τὸν Τιβέριον καὶ τὸν Γναῖον. ἢ διὰ τριῶν, ὡς τὸν Σέξστον καὶ τὸν Σερούϊον. ἔστιν οὖν καὶ ὁ Σπόριος τῶν διὰ δυοῖν γραφομένων τοῦ σ. καὶ τοῦ π. Neque enim ullum huic simile est prænomeo; & Verrius in nomioibus recensetur.

Rica. Oraria. Hetæra sive ἑταῖρα. Ebriolus. ebriolatus. ebriolare. Hilaria. bria. Nonius, Lucilius, Turpilius, Plautus. Laberius, Nonius diversis locis emendati. Turpilii versus suis numeris redditi.

CAPUT II.

Rica *est*, inquit Nonius, *quod nos sudarium dicimus*, (2) (*b*) & paullo post: *Novius Pedio; mollicinam, crocotam, chirodotam, ricam, ricinium* sic enim illa

(1) *Lib. 8. de ling. Lat.*

(2) *ἐν τῖς Κεφαλαίων καταγραφῖς. In Problematum Solutione.*

(3) *In voce Rica.*

(*a*) „ Est Spurius prænomen ut Sextus, „ Decimus, Cajus: profecto oon integra scribuot Romaoi prænomioa, sed „ aut per unam litteram, ut Titum, „ Lucium, Marcum: T. L. M. aut per „ duas, ut Tiberium, Cneum, Ti. Cn., „ aut per tres ut Sextum, Servium, Sex. „ Ser. Est igitur & Spurius ex iis quæ „ per duas litteras notantur Sp.

(*b*) Quid sit *Rica* nec adeo certum est, neque inter veteres adeo convenit, ut dubietati non sit locus. Præter Nonium de illa sic Festus: „ Rica est vestimentum qoadratum fimbriatum purpureum, quo Flamioicæ pro palliolo, „ mitrave utebantur, ut verius existimat. „ Titionius. Rica & lana succida alba „ vestitus: Alii dicunt pallium esset riplex, „ quod conficiunt virgioes ingenuæ Patrimæ, Matrimæ, quod cæruleo colore „ iosectum lavetur aqua pura. Alii quo „ Flaminica cingat Pileum „ neque mul-

to

legenda sunt, eumque iis quæ sequuntur, connectenda. docet idem Nonius in vocibus, *mollicina*, & *crocotula*. male illi, qui sequentia ab istis separarunt, &, quasi ricinii interpretationem subjiceret Nonius, pleraque exempla eam in rem depravarunt. nam & illud Lucilii ex Satyrarum libro secundo,

Ricini aurati cice & oraria mitræ.

prorsus corruptum est, & Nonius non ita longe posterius ricinium quid sit conatur explicare: prima vox in libris veteribus est in litura. alia quin hunc in modum sint legenda,

Ricini aurati, ricæ, oraria, mitra.

id quidem non est dubium, *oraria* vocat, quibus os obvelabatur, quemadmodum glossæ cotidianæ interpretantur. jam illa Turpilii apud eundem Nonium, eadem in voce, non multo sese habent melius, immo vero aliquanto deterius. titulus libri est Hetæra, sive, ἑταῖρα. neque enim Veliternam docuit Turpilius sed Titinias, ut a Grammaticis accepimus. eodem genere titulus libri Laberiani mutavit & in alium degeneravit. qui enim alicubi est apud Nonium (1) *Citbera*, alibi apud eundem *Cbere*, *in tbere*, *Citberis*, *Citbara* (hæc enim verborum monstra passim leguntur) plane disertimque in sanctioribus prescribitur, *Hetæra*. itaque apud Nonium legendum est, ut interim Laberii quoque versum emaculemus, *Ebriolare*, *ebrium facere*, &, *ebriolatus*, *ebrius factus*. Laberius Hetæra:

Ebriolati mentem hilariam accipiunt.

Sic enim est in optimo & vetustissimo Parisiensi libro. *hilaris* & *hilarius* eadem dicuntur forma, qua *vulgaris*, *vulgarius*, *singularius*. & cetera horum de genere ad

(1) *In voce* Portisculum. *In voce Ebriolare*.

---

to post: „ Ricæ, & riculæ vocantur parva recinia ut palliola ad usum capitis facta. Granius quidem ait esse „ muliebre cingulum capitis, pro quo „ vitta Flaminica uteretur „: ac istud si verum sit, non videtur a Varr. de Ling. lat. IV. 29. juste appellata: „ Rica a ritu, quod Romano ritu sacrificium fœminæ cum faciunt capita velant. Unde itidem tamen videmus, „ capitis esse velamentum. „ A Ricinio *Ricam* non dividit Salmas: in Vopisc. 28., *Rica* postmodum significationem ita subnectens: „ Rica autem, & ricinium prope res eadem. *Ricinium* „ omne vestimentum quadratum. Rica „ quoque Pompejo, *vestimentum quadratum*, *fimbriatum*, *purpureum*, *quo* „ *Flaminicæ pro pallio utebantur*. Alio „ loco Ricas, & riculas, parva ricinia „ interpretatur, ut palliola ad usum capitis facta. utrumque enim, & ricinium, & rica, pallium erat, quo „ mulieres caput operiebant. Rica proprium gestamen Flaminicæ: quod & „ purpureum erat, & nisi fallor, flammeum etiam vocabatur. Festus: *Flammeo amicitur nubens ominis boni causa*, „ *quod eo assidue utebatur Flaminica, cui non* „ *licebat facere divortium*. Vides Flaminicam, perpetuo fuisse cum Flammeo. „ Rica igitur, & *Flammeum* idem. „ Hæc autem multiplex Auctorum diversitas ea potest via conciliari quam ibid. non multo infra ostendit ipse Salmas: his verbis. „ Ricas non tantum Flaminicis, sed etiam aliis mulieribus „ attribuit Varro, quæ sacrificium „ cum facerent capita velabant. Nam „ omne vestimentum, quo capita „ velabant Mulieres, ricinium, & „ ricam, & pallium vocarunt veteres. Eoque nomine & pileos, & „ mitras, & diademata, & sudaria, „ & tiaras, & capitis vincula, & „ taenias, & lora, & fascias, & quidquid est stringendo, alligando, tegendoque capiti, & capillis colligandis, „ stringendisque comis, comprehenderunt „. Quæ sane omnia Lectoris judicio placere sic volumus, ut haud ægre, si hæc ille non approbet, sententiam, quam attulimus, neque ipsi simus approbaturi.

ad eumdem modum. sed cur non Plauto de eodem oleo & atramento, quando inibi sumus, remedium quod possumus afferimus, & apud eundem Nonium reliquias illius castigamus; sic ergo ibi est.

Homo ebriacus somno sanari solet.

Sed vox illa, *ebriacus*, vix est ut Latina esse videatur, & Nonius *ebriolare* & *ebriolatus* hic agnovit. tu scribe:

Homo ebriolatus somne sanari solet.

Qui, *ebriatus*, utrobique scribi volunt, videant illi ne, dum hæc scribunt, una syllaba sint amplius, quam vox sit ipsa in Plauto, judicio illorum, restituenda. *ebriolus*, Plautus aliique dixerunt inde suo sibi more Laberius ipseque adeo Plautus finxerunt, *ebriolatus* Plautus Curculione.

Tristes atque ebrioli incedunt..... (1)

& alibi.

Tun' etiam cum nocturnis oculis odium me vocas
Ebriola? (2)

Quanquam, si quis contendat pertinacius, *ebriacus*, retinendum; cum eo non pugnaverim. nam ut, a *bria*, *ebrius*, & *ebria*: si Sosipatrum audimus: ita ab *ebria* non omnino absurde videtur formari posse, *ebriacus*. quod hodieque Hispani in idiotismo retinent. sed longius a Turpilio recessi. ad illum igitur revertar. verba sunt. *Ducit me secum. postquam ad ædem venimus. veneratur deos. interea aspexit virginem gestantem in capite riculam indutam ostrinam.* pro, *gestantem*, scribe, *adstantem*: & versus in suos numeros repone.

Ducit me secum. postquam ad ædem venimus,
Veneratur deos. interea aspexit virginem
Adstantem, in capite ostrinam indutam riculam.

Turpilium autem Hetæram his numeris docuisse alia ex eadem illa fabula fragmenta vincunt. quale illud apud Nonium: (3)

Simulat me a sese amari quæsti gratia.

Sic & illum versum emenda, & iisdem corruptum.

Rhodiensi-st. istbuc commigravit jam diu.

Alia mitto: & sane his eum titulo fabulæ perbelle convenit; quam tu postribulum, ut Pomponius, vel molitricem aut meretricem ut Cæcilius, appelles licet. nam Novius Hetæræ nomen servavit, si vulgares Nonii libros (4) spectas; sed vetustissimæ editiones Turpilio donant. & nos certe illis subscribimus; cum Novii Hetæra, nusquam alibi, quod sciam, nominetur.

Rica quid sit, diversæ opiniones. Fabius Pictor apud Gellium, item ipse Gellius alibi ea in voce corriguntur. quid capital? vera scriptura apud Callistratum & Menandrum ex Pandectis Pisanis, item apud Silium Italicum ex vetere libro reponitur. res capitalis. Silius & Gellius vitiis purgantur.

CAPUT III.

Constitueram capite superiore, quod de rica commentari decreveram, universum comprehendere, & insignem Gellii locum suo nitori reddere, sed dum clavus clavum, quod dici solet, non cessat trudere: video recensendis & emendandis veterum Poetarum versibus ita caput excrevisse, ut, si harunce commentationum habere velim rationem, omnimodis habeam necesse orationis filum præcidere & novum, caput auspicari. Igitur *Ricam* Varro libro de lingua Latina quarto a ritu vult esse dictam, quod ritu Romano sacrificium feminæ cum faciunt capita velant, at Fe-

(1) *Sen.* Date viam.
(2) *Sten.* Placide egredere.
(3) *In Voce* Quæsti.
(4) *In voce* Artivit.

Facile deridemus. ſcimus capital eſſe iraſcier.

Tractum a jure: (1) in quo eſt; *ſi quis adverſum ea fecerit: capital eſto.* Calliſtratus libro quinto de cognitionibus. *Alia quoque lege agraria, quam D. Nerva tulit, cavetur ut, ſi ſervus ſervæve inſciente domino, dolo malo, fecerit, ei capital eſſe; niſi dominus dominave multam ſatisfacere maluerit.* Arrius Menander libro tertio de re militari, *Si quis*, inquit, *commilitonem vulneravit; ſi quidem lapide, militia rejicitur: ſi gladio: capital admittit*; ſic enim uti ubique Pandectæ Florentinæ, non, *capitale eſſe*, neque, *caput amittit*, ut apud Accurſium. Cicero libro ſecundo de legibus; *Quique non paruerit; capital eſto.* Sic cum bello Punico ſecundo expreſſa lege vetitum eſſet, ut ex more militari Romano ceteris fere bellis omnibus, ne quis ſingulari cum hoſtibus certamine extra ordinem injuſſu Imperatoris congrederetur, ſcribit noſter Silius id capital fuiſſe. ſed verba Silii ita ubique ſunt corrupta, ut nec veſtigium nec vola ſententiæ illius quam dixi, in iis compareat. de Claudio Aſello cum Taurea Campano congreſſuro loquitur.

Una mora Æneadæ, (2) poſtquam vox attigit aures;
Dum daret auſpicium uſque in certamina ductor,
Prævetitum capiti pœna committere Martem
Sponte viris.

Sic poſtremæ editiones. nam ulteriores ſane rectius. & quidem Lugdunenſis, quæ ſub primam typographiæ infantiam eſt nata, ita publicavit:

Dum daret auſpicium uſque in certamina ductor.
Prævetitum pœna capitis. &c.

Aldina vero, a quo fonte pleræque in Silium mendæ defluxerunt,

Prævetitum capiti pœna.

Pariſienſis & item Marſi,

Prævetitum namque capiti.

Quæ ab antiqua & Germana Silii ſcriptura non procul recedit. quæ fuit:

Prævetitum namque & capital committere Martem
Sponte viris.

Lugdunenſis ſcriptura hujus eſt interpretatio, neque tamen ea re Silii verſus omnino habent recte, aliud eſt quo perſanentur, nam illud.

—— *uſque in certamina ductor,*

cui bono? quod Caſſius quærebat. optimus liber jam inde a tempore Caroli Magni ſcriptus vehementer hic turbat: neque in editionibus una Vicetina excepta, quicquam auxilii in illo eſt;

Una mora Æneadæ, uſque in certamina ductor
Dum daret auſpicium uſque in certamina ductor.

more Librariis illis pervulgato ſæpe ſuperiora in locum inferiorem & e contra traducendi. at in Vicetina:

Dum daret auſpicium ſuus in certamina ductor.

neque tamen in Gellio illud, *ea res ei hominis capitalis eſſet*, mutandum pertendo. nam & libri calamo exarati ita habent: & alibi non memini ſcribi, *aliquam rem alicui capital eſſe: capitalem* ſæpe. atque etiam a jure eſt. ſic capitalis rei damnatus Sex. Cæcilio Africano libro quinto quæſtionum is intelligitur, cui pœna more

(1) *L. 2. §. ult. D.* De Termino mot. *L. 6. §.* qui in acie D. de re Militari.

(2) *Lib. 13.*

dos, in allatum Plauti locum audiri poteſt Labinus ita loquutus.

„ *Capitale facinus*: Profert hunc verſum Nonius, & *Capital* interpretatur „ *Capitis periculum*; non placet; debuit „ potius ſic: Ex quo *Capitis periculum* „ *impendet*. Melius, Feſtus: *Capital*, „ inquit, *inquit facinus, quod Capitis pœ-* „ *na luitur*.

aut aquæ & ignis ſit interdictio: Ulpiano vero libro quadrageſimo octavo ad edictum, (1) cui mors vel civitatis amiſſio vel ſervitus contingit. amplectetur igitur unusquiſque quod volet; dum tamen Silio & Gellio quæ notavimus oobis vera non videri, quod in judiciis eſt ſolemne, ſed omnino eſſe vera ſciat nos aſſeverare.

Granius Flaccus Licinianus. ejus libri. gens Grania. vox apud Jureconſultum Paullum, Lucilium & Cenſorinum repoſita. Granius præco, dicta. *Gellius, Macrobius, Cicero ſæpius emendati. Proteſilaodamia Nævii. Priſcianus; Nonius, Nævius varie correcti.*

CAPUT IV.

GRanius, qui proximo ſuperiore capite *ricam* interpretatur, eſt Granius Flaccus Licinianus: cujus & multi fuerunt libri, & frequenter a veteribus in teſtimonium laudati. rem ipſam auctorem dabo. primum omnium comperio illum ſcripſiſſe libros de jure Papiriano, ut in Gellio notavimus; quos adducit Paullus libro decimo ad legem Juliam & Papiam. (2) deinde compoſuit librum de indigitamentis ad Cæſarem; teſtatur Cenſorinus illuſtri illo de die Natali volumine: ſed nomen apud eum in macula eſt & C. pro, *Granius* vocatur, quemadmodum in Accurſianis apud Paullum ſcribitur. cum & in Pandectis Piſanis (3) & in optimis Cenſorini exemplaribus *Granius*, aut certe paullo diverſius, vitio librariorum legatur *Gravius*. ex eo libro ſunt pleraque omnia quæ afferuntur ab Arnobio. ſic enim libro tertio ſcribit. *Ariſtoteles; ut Gravius memorat; vir ingenio præpotens atque in doctrina præcipuus Minervam eſſe Lunam probabilibus argumentis explicat & litterata auctoritate demonſtrat.* & infra: *Novenſiles Piſo Deos eſſe credidit novem in Sabinis apud Trebiam conſtitutos. hos Granius muſas putat conſenſum accommodans Aelio.* &: *Si enim Piſonis ſententia vera eſt: Aelius & Granius mentiuntur ſi quod dicitur ab his certum eſt: peritiſſimus errat Varro.* addidi; *Licinianus.* probat Macrobius, (4) qui in Saturnalibus ex Granii Liciniani libro ſecundo affert. *Nundinæ Jovis feriæ ſunt, ſiquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem ſolet immolare. ſed lege Hortenſia effectum, ut faſtæ eſſent: uti ruſtici, qui nundinandi cauſſa in urbem veniebant, lites componerent. nefaſto enim die prætori fari non licebat.* Hæc Granius, & alibi Macrobius Granium Flaccum nominat. eſt igitur ut dixi, Granius Flaccus Licinianus. & certe antiqua eſt gens Grania. in qua variæ familiæ. videlicet, Flacci, Baſſi, Cordi, alii. de Cordis exſtat inſcriptio.

M. GRANIO. M. F.	OPPIDIAE.
M. N. CORDO. FRAT.	C. F. RVFAE.
TR. MIL. PRAEF. EQVIT.	MATRI.
PRAEF. FABR. II. VIRO.	
TER. QVINQ. AED. Q. CVR.	
AQVAE. DVCENDAE. ALLIFIS.	
D. D.	

Gentis antiquitatem arguit Granius præco. de quo verſus ille Lucilii eſt libro undecimo. (5)

Conjicere in verſus dictum Præconis volebam
GranI.

Ita enim in Gellio ſcribendum eſt, non, *Grani*. Graoii hujus dicacis meminit Cicero libro de Oratore ſecundo. *Qui igitur*, inquit, *diſtingueremus a Craſſo*, *a*

Ca-

(1) *Lib. 13. Bonor. Poſſeſſ.*
(2) *L. 144. de verb. ſignif.*
(3) *Dicta l. 144.*
(4) *Macrob. lib. 1. cap. 16.*
(5) *Gell. libr. 4. cap. 17.*

Catulo, a ceteris familiaribus nostris Granium aut Vargulam amicum mem n? non mehercule in mentem mihi venit. sunt enim dicaces. Granio quidem nemo dic.n ior. opinor primum; ne quotiescunque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere. s unt enim Julii Cæsaris cum Cotta, Crasso, Antonio, aliis, sermones. & quod pr opius ad rem facit, de præcone Granio, cujus meminit Lucilius idem in Bruto s cribit Cicero, apud quem Atticus *Ita*, inquit, *tacitus Tribunatus* (*Crassi*) *ut, nisi in eo magistratu cænavisset apud præconem Granium, idque nobis narravisset Luciliu s, Tribunum plebis nesciremus fuisse*. & hoc ipsum fortasse dictum Granii in Crass i Tribunatum fuit, quod Lucilius volebat in versum, ut ipse loquitur, conjic ere. nam illum in P. Nasicam, in M. Drusum, in L. Crassum, in M. Anton ium multa sæpe asperius dixisse qui negabit, Ciceronis testimonio convincetur: cujus alibi sunt hæc: (1) *Consuli P. Nasicæ præco Granius medio in foro, cum ille edict o justitio domum descendens rogasset Granium quid tristis esset, an quod auctiones ess ent, Immo vero*, inquit, *quod legiones. idem Tribuno plebis potentissimo homini M. Druso, sed multa in remp. molienti, cum ille eum salutasset, ut fit, dixissetque, Qu id agis Grani? immo vero tu Druse quid agis? ille L. Crassi. ille M. Antonii volu ntatem asperioribus facetiis sæpe perstrinxit impune. Dicta* voco, ut & Lucilius, q uæ nunc dicteria solemus appellare. nam & Cicero *dicta* in libris de Oratore, ut supra auditum est & locis aliis mille nominavit. qua in voce operæ esse exist imo aliorum etiam scriptorum locos aliquot emendare: præsertim eos, qui verb i ipsius declarent notionem. *Jocus*, (2) inquit Macrobius, *in oratione non exstat. mihi ex libro Furii Bibaculi notus est, & inter alia ejus dicteria celebratur*. tu, q uisquis es qui hæc leges, scribe, & nostra editione scribemus, *inter alia ejus celeb ratur*. Addit Macrobius: *sed in hoc verbo non casu incidi, sed volens feci*. liber Cl. V. & humanissimi Falceti a. a. a. F. F. apud Gallos præfecti, item Pithœi nostri: *sed in hoc verbum non casu incidi*. pergit Macrobius *jocos enim veteres nost ri dicteria appellabant*. idem libri: *dicta appellabant*. & vere Cicero libro secun do de Oratore. *Dicta illa brevia non habuit*. Livius libro septimo: *In dictis non minus libertatis quam suæ dignitatis memor*. & idem Cicero libro ad Cornelium Nep otem secundo sic scribit: *Itaque nostri cum omnia, quæ dixissemus, dicta essent, quæ facete & breviter & acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicteria volu erunt*. sed & hic veteres codices habent; *dicta*. quod sane tam cum verbis Cicer onis convenit, quam aliud illud, toto ordine, quod ille ajebat, disconvenit, po stremo *Novius vero Pomponiusque*, inquit Macrobius, *jocos non raro dicteria nominant*. scribe; *dicta* apud Nævium, nisi forte Novius est; invenio eum in modum voce m illam accipi in Protesilao *Clam ineunt. irruunt, cachinnos, joca, risus risitant*. Protesilaum dixi, errore vulgari. neque enim vel Nævius vel Novius *Protesila um* docuerunt, sed *Protesilaodamiam*. Itaque & apud Priscianum libro sexto, ubi legitur; *Nævius in Protesilao, Laodamia complexa somno corpora, operiuntur ac su avi quie dicantur*: legendum est. *Nævius Protesilaodamia: Complexa somno corpora: operiuntur*, & apud Marcellum, (3) pro, Nævius Protesilao, *Demta gracilentis*, vel, ut Junius, *Demi a*, plane scribendum; *Nævius Protesilaodamia*: titulo fabulæ a. mariti & uxoris nomine composito. sed jam ad *dicta*. igitur ex veterum librorum manifestis vestigiis Nævianum priorem illum locum emenda Nævius Protesilaodamia *Irruunt cachinnos, joca, dicta, risitantes*. sed jam ohe.

Escen-

(1) *In Orat. pro Cn. Planc.*
(2) *Libr. 2. Saturn. cap. 2.*
(3) *In voce* Gracilitudo.

Escendo. escriptum Festi epitome aucta. Sallustius loco illustri, idem & Gellius aliis aliquot. Fabius Pictor & Cicero uno correcti.

CAPUT V.

VErba sunt Sallustii Iugurthino: *Ex copia tubicinum & cornicinum numero quinque quam velocissimos delegit, & cum iis, præsidio qui forent, quatuor centuriones. omnisque Liguri parere jubet: eique negotio diem proximum constituit. sed, ubi ex præcepto tempus visum, paratis compositisque omnibus ad locum pergit. coterum illi, qui centuriis prærant, prædocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus ususque per saxa facilius foret. super terga, gladii scuta, verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia, simul & offensa quo levius streperent.* locus est illustris. in cujus emendatione si liberet, quod scævis istis ingeniis placere video, magnifice liceret me efferre. nam is est scriptor, qui omnium in manibus versatur; & qui, a paucis istis viginti annis, totidem fere correctorum manus sibi senserit admoveri, ut interea istos spicilegos racematores mittam Plautinæ prosapiæ; qui gentis suæ modo ex alienis palmitibus uvas sibi collegerunt, ex aliena messe suum in horreum partito more segetes coegerunt. verba Sallustii paullo altius repetivi, ut aliorum facilius de iis sit judicium. ait; *illi qui centuriis prærant.* recte si vulgari trutina res expendatur. videlicet centuriones, qui præsidio forent, apposuisse Liguri. sed, aut vehementer fallor judicii, aut non soli Centuriones castellum erant ascensuri, neque soli ornatum & arma mutaverant, præsertim cum adesset Ligus. liber calamo exaratus, quem D. Benigni Divionensis olim fuisse accepimus, olim etiam habuit, *ceterum illi, qui escensuri erant, prædocti ab duce arma ornatumque mutaverant.* olim, inquam. nam aliter jam in eo legi, meque hanc scripturam ex obscuris & pæne delitis antiquæ scripturæ notis Biturigis primum eruisse te testem facio V. C. Cujaci, te doctissime Scaliger. Sallustium cum multis libris manuscriptis vetustissimis Lovanii ante annos multos cum cura comparavi. in quis optimi Gemblacensis & Buslidianus. nam Thosanum, aliosque illi similes vix quinquaginta ab hinc annis scriptos codices non nauci; quos ego primus cum editionibus contendi, & quorum lectiones mea debent fide niti, quanti merentur facio, neque nominatos volo. igitur in illis optimis verba illa, *qui centuria prærant*, in litura delitebant, & absque Divionensi fuisset, a me quidem, credo etiam ab aliis, inde nequivissent erui. Paullus Diaconus, sive ex Festo, sive suo sibi more Festum depravans *escendere* fuerat interpretatus *egredi*, nisi ea interpretatio mala librariorum manu ejus e libris fuisset ejecta. sic in epitomis, quæ variis in bibliothecis sunt, manu descriptis legitur. *Escendere, egredi.* quæ verba a publicatis libris abesse miror. dolerem etiam, nisi liquido jurare possim, eampse tam angustam arctissimisque finibus conclusam interpretationem multis optimorum scriptorum locis, quibus parum videbatur convenire, corrumpendis fuisse. unum adduxi in quo me, si liberet, uti dixi, venditare possim. sed quoniam hæc res diligentiæ potius est & judicii, quam eruditionis aut ingenii, nos eas artes comicis militibus, iisque ipsis, qui quam illi vaniores sunt, libenter relinquemus: qui de loci istius vitio ne suspicari quidem potuerunt. falluntur, qui *exscendere*, non, *escendere* scribendum docent. neque enim minus, quando ad has nugas Grammaticas est descendendum, ab e & *scando*, fit *escendo*: quam ab *ex* & *scando*, quod illi volunt, *exscendo*. quid? quod *escriptum* pro, *exscriptum* veteres etiam dixerunt? quod cum in vetustissimis libris apud Gellium (1) reperissem; religio fuit mutare.

Lubet modo paucos alios locos huic, quem supra emendavi, proximos, qui eadem in voce turbarunt, apponere, ac primo quidem ulteriora attingemus: mox recef-

(1) *In lemmate libr. 7. cap. 16.*

recessim ad proximos continentia revertemur. *Exploratis omnibus*, inquit Sallustius, (1) *quæ mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, uti ascenderat, sed tentans omnia & circumspiciens*. scribunt membranæ: *escenderat*. quanquam ne hinc quidem communis illa meliorum librorum pestis manus corruptrix affuit. *Igitur prægrediens Ligus saxa & siqua vetustate radices eminebant laqueis vinciebat; quibus allevati milites facilius ascenderent*. & hic, (2) *escenderent*, boni illi viri noluerunt hærere. sed de his aliisque talibus in Critico Sallustiano scribemus; Cicero quoque in Oratione contra concionem Q. Metelli *Escendi*, inquit, *in concionem concursus populi factus est*. sic enim in veteribus puræ & liquentis fidei membranis invenies. Fabius Pictor (3) libro primo annalium. *Scalas, nisi quæ Græcæ appellantur, ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est*. hic in optimo optimi amici nostri P. Danielis juris & omnis antiquitatis sane quam periti libro, *escendere*, (4) disertim scribitur, alibi etiam: (5) *Muratum est Corona, qua donatur ab Imperatore, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit*. & hic, *escendit*, agnoscunt membranæ. de aliis alias.

Ales ab Indis. ales imitatrix. ire exsequias. ceriti. e Silio tres versus uno loco ejecti item alii duo alibi exturbati. Silius, Gellius, & Ovidius emaculati.

CAPUT VI.

INitium Elegiæ est apud Ovidium: (6)

Psittacus Eois ales mihi missus ab Indis
Occidit. exsequias ferte frequenter aves.

hos versus nemo quidem, quod sciam, non, integros esse existimavit: nemo de vitio vel leviter suspectos habuit: &, absque illo Cl. Puteani fragmento esset, nunquam quisquam illis fortasse quæstionem status movisset; nunc cum longe aliter, neque paullo, quantum ego quidem judicare valeo, melius in eo sit, nihil obstat, quominus hujusmodi juratorum nixi sacramento, litem contestemur; testimonia recitentur.

Psittacus Eois imitatrix ales ab Indis
Occidit. exsequias ite frequenter aves.

ait; *imitatrix ales*. perperam ego ibi, *ales mihi missus*: neque enim, opinor, ab Indis Ovidio mittebatur: & alioqui quis non videt, Psittacum elegantissime *avem imitatricem* dici? qui quidem apud Martialem dicat:

Psittacus a vobis aliorum nomina discam.

Nam si cui illud; *imitatrix ales*, nequaquam Latine, quod audio, dici posse videatur, & *alitem* non nisi virili genere credat efferri; quod tamen secus sese habere non difficulter probari potest: suo arbitrio, *imitator ales*, scribat. quæ enim est ultima vocis illius, *imitator*, littera, ut in aliis multis, sic in hoc verbo syllabæ productionem facile tuebitur. jam, *ales ab Indis*, ita dicitur, ut, *mulier ab Andro*, aut sine præpositione, *vinum Chio*, *vinum Lesbo*: quod Græcum esse loquendi genus nemo jam nescit sic in A. Gellio (7) nuper corrigere de veterum librorum sententia memini. *Cognito repente insperato gaudio exspirasse animam refert Aristoteles philosophus Polycratam nobilem mulierem Naxo insula* pro eo, quod vulgatur; *e Naxo insula*. postremo, *ferre exsequias*, ita in Latina lingua est vitiosum, ut vel ea re sola ædiliciæ cognitioni locus esse debeat; scio Plinium utrumque, (8) item alios meliores loquendi magistros, *ducere funus*, consuevisse dicere; at al-

(1) *Sallust. ibid.*
(2) *Id ibid.*
(3) *Gell. libr.* 18. *cap.* 7.
(4) *Id. lib.* 10. *cap.* 15.
(5) *Lib.* 5. *cap.* 6.
(6) *Libr.* 2. *amor. eleg.* 6.
(7) *Lib.* 5. *cap.* 15.
(8) *Hist. Natur. libr.* 8. *cap.* 42. & *epist. libr.* 3. *epist.* 16.

Corithi interea ſtridunt, ductiſque ſagittis
Pendentes ſaliunt nymphis obeuntibus arva.

Egregius hic eſt fucus a nebulone neſcio quo lectori factus: quem, niſi veteres editiones conſulis, non temere deprehendes. in omnium antiquiſſima eſt:

Turba ruit, ſtriduntque ſagittiferique corriti.

Adjecto aſteriſco vitii indice. apud Marſum vero;

Turba ruunt. ſtridunt ſagittiferique coriti.

Reliqui duo verſus & hic & illic deſunt. vox, *coritus*, ignorata depravandi & inſubis his verſibus loci ſupplendi fuit. Nonius, *coriſcos*, ſive, quod in aliis eſt, *coricos*, interpretatur leve miſſile in modum ſagittarum, eamque in rem hoc Virgilii affert:

Coricique leves humeris & letifer arcus.

Oppido quam inſulſe, rectius Servius ad idem illud Virgilii.

——— *quis tela ſagita,*
Coritique leves humeris & Letifer arcus. (a)

Coriti, inquit, *ſunt proprie arcuum thecæ. dicuntur etiam ſagittarum, quas & pharetras vocamus.* eleganter propterea Silius *coritos ſagittiferos dixit*, quos ante pharetras appellarat, ut ab arcuum thecis ſepararet. nam ex membranis hæc ita ſunt ſcribenda:

Turba ruunt ſtriduntque ſagittiferi coriti.

Affectavit videlicet Poeta rei exprimendæ & litterarum ſtridorem & verſus ſpondiaci clauſulam: quam rem ignoratam alia illa carmina bonis iſtis hominibus extudiſſe veriſimile eſt. igitur deleantur: & ſcribatur;

Omnis Najadum plenis comitata pharetris
Turba ruunt: ſtriduntque ſagittiferi coriti.
Tum per ſaxa feræ perque ipſa cubila fuſæ
Per valles fluvioſque atque antra virentia muſco
Multæ ſtrage jacent.

ſed & alia ſubjungam, ut ex aliis etiam menda tollatur:

——— *ex-*

(a) Neque diverſus in hoc Maron: carmine adducendo Taubman: ita legit Æneid. x. 169.

Coritique leves humeris, & letifer arcus.

exponitque ſubinde. „ Gr. Γωρυ-„ τός. Ovid. Triſt. 5. el. 8. de gente Sarmatica:

„ In quibus eſt nemo, qui non Coryton, & arcum
„ Telaque vipereo lurida felle gerat.
„ Et Stat. Libr. 9. Theb.
„ ——— Cœleſtibus implet
„ Coryton telis ———

„ Ad quod Luctarius interpres: Corytos „ dicitur ſagittarum theca, ſive pharetra „ Leves autem pharetræ iſtæ dici etiam „ poſſunt etiam ſi ſagittis refertæ ſunt, ſi „ ab artificibus bene geſtantur. Alii tamen „ *Coryton* thecam ipſius arcus exponunt: „ ut eſt apud Hom. Odyſſ. Φ. v. 54. & „ quoniam ibidem Γωρυτός Ulyſſis Φαει-„ νός, ideſt *lucidus* appellatur, ſuſpica-„ tur Erythr. Poetam ſcripſiſſe aut *Co-„ ryti leves h. aut Goryti leveſque hum.* „ quem vide „ Et in eundem locum Jac: Pont. „ Coryti, ut explanat Ser-„ vius ſunt thecæ arcuum, quanquam „ & ſagittarum, alias pharetræ. Sed „ Lipſius Antiqu. lib: 1. cap. 2. „ hoc legit, *Coricique leves* emendans „ hunc locum Nonii in *catapulta*, Si-„ ſenna Hiſtoriar. lib. 3. Prætera cata-„ pultas 16. 4. baliſtas, 20. plauſtra co-„ riis; ac minoribus ſagittis onuſta. „ quid corii nomen, inquit, inter ge-„ nera telorum? lego, plauſtra coricis. „ Ita appellarunt levia miſſilia, in mo-„ rem ſagittarum. Virgil.

Coritique leves humeris, ac letiſer arcus.

„ Quid tibi videtur lector?

eumdem esse Cajum existimant, cum eo, qui a Pomponio libro singulari (1) Enchiridii memoratur: membranæ disertim Gavium perscribunt, & fortasse an iidem sint hi libri, quos alibi commentarios nuncupant. addit Macrobius libros de Diis ab eodem Basso compositos, sed & in Macrobio (2) & in ipso Gellio (3) prænomen in lituris occultatur. de libris calamo descriptis loquor. meliores *Gavius* aut *Gabius* repræsentant. nec procul a scriptura vera, quod est in Fabii Fulgentii Planciadæ expositione sermonum antiquorum cum testimoniis, *Galbius Bassus*: cujus & Satyra laudatur. tu in tot corruptis Gellii & Macrobii locis, item in Fulgentio scribe, meo periculo, Gabius sive potius Gavius Bassus. Gaviam gentem novit, qui crucem Gaviam omnibus eloquentiæ viribus a Cicerone exagitatam quæ sit non ignorat: & posteriore sæculo nomina transisse in prænomina satis apud omnes constat. sic Cæsius Bassus, Salejus Bassus doctrina celebres fuerunt. Et profecto aut vehementer fallor judicii, aut Gavius Bassus fuit, qui Trajano imperante oræ Ponticæ fuit Præfectus, neque enim raro facit Gellius ut scriptorum suæ ætatis æqualium aut alioqui paullo superiorum meminerit, quod in Lælio Felice I. C. notavimus. Plinius lib. decimo epistolarum. (4) *Gabium Bassum, Domine, Præfectum oræ Ponticæ, integrum, probum, industrium, atque inter ista reverentissimum mei expertus voto pariter & suffragio prosequor ea fide, quam tibi debeo.* tota denique epistola non agit aliud. ipse Trajanus Gavii Bassi meminit. postremo Plinii epistola est eodem libro decimo, (5) quæ suo loco mota inter amœbeas reponi debet: in qua ita est, *Gabius Bassus Præfectus oræ Ponticæ & reverentissime & officiosissime, Domine, venit ad me, & compluribus diebus fuit mecum; quantum perspicere potui, vir egregius & indulgentia tua dignus.* loco motam esse facile videbit, qui Trajani responsum jus Civitatis Constantinopolitanæ prius, deinde Alexandrinæ Basso tribuentis, ipsiusque Plinii gratias agentis epistolam diligentius examinaverit.

Lucretii de rerum natura libri, & Ennii annales quibus versibus apud Ovidium tacite designentur. Ennius cur apud Propertium hirsuta corona veletur: Catulli passer, quid apud Martialem. Ovidius emendatus.

CAPUT VIII.

MUltæ sunt etiamnum in Ovidio mendæ: & sane plures in omnes pœne illius Poetæ editiones inoleverunt, quam a doctis illis, ingenio etiam & judicio præstantibus Criticis, memoria nostra sint sublatæ. Vel illud quale est, quod nuper in Tristibus legitur (6)

Sumpserit annales (nihil est hirsutius illis)
Facta sit unde Parens Ilia nempe leget.
Sumpserit Æneadem. genitrix ubi prima requiret.
Æneadum genetrix unde sit alma Venus.

In quibus versibus interpretandis, omnes sudarunt: plerique delirarunt? illorum deliria passim est videre & ridere; posteriores duos correxerunt, ut alteri corruptioni locum vix reliquerint: dum quidam, *Æneidem*, alii paullo exactius versuum modulos pensitantes, *Æneaden*, scripserunt: quasi videlicet de Vergilio ageretur. emendo:

Sumserit, ÆNEADUM GENETRIX *ubi prima: requiret*
ÆNEADUM GENETRIX *unde sit* ALMA VENUS.

Dixerat Ovidius:

Nil igitur matrona legat. quia carmine ab omni

(1) *Libr. de orig. jur.*
(2) *Macrob. libr. 1. Saturn. cap. 9.*
(3) *Gell. libr. 3. cap. 9. & 18.*
(4) *Epist. 18.*
(5) *Epist. 38.*
(6) *Libr. 2. v. 259.*

Ad delinquendum doctior esse potest.

Subjungat deinde: quocumque tandem argumento carmen sit factum, facile in eo est inventura, quo

Ad vitium mores instruat illa suos.

Itaque nec Ennium nec T. Lucretium satis tuto ab illis legi posse; priores duo versus, Annales Ennii designant: posteriores vero, libros Lucretii, quod, ait:

——— *nihil est hirsutius illis*: (1)

Eodem, credo, genere dixerat Propertius:

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona

Mi folia ex edera porrige Bacche tua.

Nimirum Ennii Annales hirsutos respicit: & alioquin Ennium ab stirpe Romanorum originem exorsum, statim ab initio Iliæ meminisse nemo nescit, nisi siquis Ennii fragmenta non vidit, aut quæ sint leges historiæ prorsus ignorat. De Lucretio ne mu quidem facerem, nisi res apud omnes ita turbaret. Lucretii duo primi versus, & pueri norunt, illi sunt: (2)

Æneadum Genetrix Divumque hominumque voluptas

Alma Venus.

Vides igitur Ovidium hoc tantum voluisse: Si mulier Annales Ennii in manus sumserit; statim occurret Ilia a Marte compressa: sin eum librum, in cujus versu primo est Æneadum Genetrix, hoc est, primum librum Lucretii; necesse erit ad primorum illius versuum intelligentiam eam scire, Anchisen cum Venere congressum fuisse, atque inde etiam nequitiæ & libidinis occasionem arripiet. adde quod Ovidius eodem libro, eodem etiam loco, Ennium & Lucretium alia in re non dissimiliter conjungit sic:

Utque suo Martem, cecinit gravis Ennius ore,

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Explicat ut caussas rapidi Lucretius ignis,

Caussarumque triplex vaticinatur opus.

Illud hinc quoque datur intelligi, non aliud olim Lucretiani operis fuisse principium quam nunc sit, contra quam superioris ætatis tradiderunt Grammatici, nam a librorum initiis libros fere designabant, uti etiam leges 12. & alias, ne quis forte consuetudinem in scholis nostris ita leges allegandi novam aut ineptam esse suspicetur. ut apud Ciceronem; SI. IN. JUS. VOCATUS. ATQUE. EAT. sic & versus Catulli, quorum primi sunt,

Passer deliciæ meæ puellæ,

(Nam carmen illud votivum ad Corn. Nepotem, extra ordinem est) Martialis passerem vocavit. sic enim cecinit:

Nec torva lege fronte sed remissa

Lascivis madidos jocis libellos:

Sic forsan tener ausus est Catullus

Magno mittere passerem Maroni.

Nec aliam Martialis epigramma admittere interpretationem, quicquid Politianus, Turnebus, alii etiam illis argutiores comminiscantur res ipsa loquitur, & quæ præcedunt manifesto convincunt; ut tergiversationi locus non sit ullus.

Pontificium. eadem vox Gellio, Arnobio reddita. e Theodosiano Codice glossema sublatum. Arnobius libro primo varie castigatus.

CAPUT IX.

QUid esset *Pontificium*, quidve illius vocis notione comprehenderetur, Alciatus aliique viri docti jam olim docuerunt; & eam in rem tam Imperatorum

(1) Libr. 4. Eleg. 1.

(2) Libr. 1.

torum e Codice Theodosiano, quam Symmachi, Prosperi, aliorumque scriptorum testimonia advocarunt; quidam etiam illorum Gelliana illa; (1) *Sunt enim non pauci qui sententiam suam una in parte defixerunt, & re semel statuta deliberataque ab eo, cujus id negotium potissimum esset nequaquam putaverint contra dictum ejus faciendum*; Ita in veteribus editionibus exstare, neque correctionem admittere observarunt: *ab eo cujus id negotium Pontificiumque esset*. eruditionem admiror, diligentiam laudo, opinionem probo; & omne quod in me est, alterius etiam eruditi scriptoris, cui a nullo eam in rem testimonium denuntiatum est, auctoritate adjutum ibo. Arnobius, (2) *Ut enim*, inquit, *Dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates; neque eorum ab aliquo quod ejus non sit potestatis ac licentiæ postulatis: ita unius Pontificis Christi est dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere*. eleganter liber scriptus; e quo reliquos, qui sunt in manibus, profluxisse vel ideo mihi eripi non potest, quod, quæ est in Romana eaque omnium prima librorum illorum publicatione paginarum aliquot alienum in locum transpositio, eamdem hoc in libro constet esse: quemadmodum de Pandectarum Florentinorum auctoritate non multo secius maximus Ant. Augustinus (3) Tarraconensis Pontifex judicavit. Hoc amplius. Romana editio maximo Principi Francisco Gallorum Regi fuit dedicata: & hic ipse liber de quo loquor, in Regia Lutetiæ Bibliotheca visitur; ut veri non sit dissimile Roma librum calamo exaratum & primitus impressum Regi litterarum & omnis humanitatis apud Gallos Parenti missum & donatum fuisse. is igitur liber habet eleganter: *Unius Pontificium Christi est dare animis salutem*. sic Symmachus, *Pontificio*, inquit, (4) *iterati honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudii dedisti*; addam & illud, in rescripto Impp. Gratiani, Valentiniani & Theodosii in Codice Theodosiano, (5) glossema huic esse voci adjectum: eamque vocem pro verbo principali accipi, sic enim ibi est: *Omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fide communionis dissentiunt, ut manifesto hæreticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum Pontificium potestatem permitti*. nam illud, *potestatem*, quod alii juverunt apposita copula, *potestatemque*, scribentes, reliquiæ membranarum, quas a juvene & majorum suorum & suis virtutibus nobili Joann. Baptista Eiselerio Viennensi Biturigis accepi dono, prorsus ignorant, & vero glossema esse quis non videt? sic enim, ut vidistis, Arnobius *Pontificium* est interpretatus *licentiam*, &, *potestatem* (a) Sed ad Arnobium revertamur: in eo igitur illud valde mendosum est, quod ita statim ab initio legitur: *Numquid suas animas exspiraverunt venti, emortuisque flaminibus neque cælum coartatur in nubila, nec madu ata imbribus arva succescunt?* quæ scriptura a Gelenio est. nam in prima editione erat; *nec madidari ex imbribus arva succedunt*.

(1) Libr. 1. Cap. 13.
(2) Libr. 12. advers. Gent.
(3) Libr. 1. Opin. Cap. 1.
(4) Libr. 3. Epi. 17.
(5) Libr. 16. Tit. 1. L. 3.

(a) Non invitis sane id, quod Pontificium est, *licentiam*, potestatem, itemque *jus* licet ex Arnob. non solum, verum ex legum Ecclesiasticarum, Civiliumque, & Auctorum consensu perspectum habere, eodem tamen jure *Pontificium* assumitur pro *dignitate Pontificis*, sive dignoscitur esse, *titulus honorarius, quo Pontifex, seu Episcopus compellatur*. Avitus Viennensis Epist. 15. *Probatæ summæque pietatis est, ut de caussis ad Pontificium vestrum pertinentibus meum quoque consilium consulendum esse ducatis*. Occurrit non semel in Epistolis Nicolai I. PP. Joannis VIII. & aliorum. Juretus vero *Notis ad Symmacum* lib. 7. Epist. 27. Pontificium se perinde habere affirmat, ac officii cujuslibet, supremumque cujusque potestatis munus.

dunt. fuerunt qui legendum putarent; *nec madidata imbribus arva siccescunt*. videtur sane in vetere libro scriptum fuisse; nec madidarier imbribus arva succedunt: & in alio plane est, *succedit*. ut legendum videatur; *nec madidarier imbribus arva succedit*. nova nonnihil locutione, sed ab Arnobii non tamen aliena. Jam vero quod sequitur; *commendata semina tellus recusat accipere, aut frondescere arbores nolunt? sapor frugibus esuleutis exustis liquoribus imitatus est?* etsi lectorem prætereuntem fallit, prope est ut rectum esse videatur: ex antiquis tamen libris pravitatem ejus deprehendere & emendare nullius est negotii: *sapor frugibus esculentis & vitis liquoribus imitatus est?* aut, ut in aliis est, *& vini liquoribus*. illa denique, *& sua lege custodiunt ipsi homines. Denique quos per inhabitabiles terræ oras* &c. recta interpunctione Vir doctus & humanus Theodorus Canterus emendavit; *& sua lege custodiunt. ipsi homines denique, quos per inhabitales terra oras sparsit prima incipiensque nativitas*. quomodo & nos emendandum esse jam pridem suspicati sumus.

Intentus remis. portisculus. jussor. jussum. præceptum. κέλευσμα. παράγγελμα. Ennius & Laberius restituti. Virgilium versus Ennianos imitatum esse videri.

CAPUT X.

QUærebat ex me nuper Aureliani in ædibus viri optimi & utriusque linguæ eximie periti Arn. Grisperii adolescens quipiam litteras veteres doctus & in Poetarum lectione cum studio versatus, quid versus ille Virgilii (1) sibi vellet,

Considunt transtris; intentaque brachia remis
Intenti expectant signum......

Nam & posteriores ingentium illorum Commentariorum consarcinatores plane nihil dicere & Servium ipsum aliud dicere, qui ita scribat: *Intenti, eodem sermone in diversis usus est rebus. aliter enim brachia, aliter intendimus mentem*. quasi gemina sint illa verba, & ad eosdem referantur. quod sane a Virgilii consuetudine oppido quam alienum est. sic ille dicebat. Respondi cujus tum in mentem veniebat, neque illam Servii esse interpretationem videri; neque versus ipsos ab interpunctione satis valere; eaque tantilla re Interpretibus quasi nebulas quasdam ob oculos offusas esse. scripsisse haud dubie Vergilium:

——— *intentaque brachia remis*
Intenti expectant signum.

Videlicet intenta brachia & jam remigio parata aliud non exspectasse, quam dum is, qui remis intentus erat, signum daret. solere enim tuba remigibus aut alio quovis signo dato initium remigandi fieri in vulgus notum; sic est infra:

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, ...

Is qui signum dabat etiam posterius modum dabat classi ejusque cursum vel incitabat vel sustinebat; sive id fiebat malleo, ut tradit Festus, (2) sive pertica ut Nonius. Portisculus dicebatur Latinis κελευστὴς Græcis ut est in Glossis & apud Polybium libro primo. poterit idem *jussor* vocari. sic enim glossæ: κελευστὴς, *jussor*: & Sallustius in historiis; *impediebant jussa nautarum clamores nauticos* dixit Virgilius & notavit Servius *celeuma quasi præceptum* dici; eædem glossæ: *jussum* κέλευσμα. eadem igitur Latinis sunt ea in re, *jussum*, & *præceptum*: Græcis, κέλευσμα καὶ παράγγελμα. Glossæ: παράγγελμα. *præceptum*: Polybius: ἄρχεσθαι τε καὶ λήγειν τῶν κινήσεων πρὸς τὰ τοῦ κελευστοῦ παραγγέλματα. (*a*) addebam hos versus Virgilium aliis quidem verbis sed tamen ab Ennio videri mutuatum: eumque locum unum

(1) Libr. 5. Æneid.

(2) Fest. Non. & Gloss. *Portisculus*.

(*a*) „ Inire & retinere impetus ad Jussoris præcepta. „

unum ex iis esse, quorum nomine Viris clarissimis, qui post Macrobium, Poetæ furta diligenter indicarunt, nulla debeantur μήνυτρα. nam quin illa Ennii habuerit in mentem ex Annalium libro octavo,

——— tonsamque tenentes
Parerent, exspectarent, Portisculus signum
Cum dare cupisset,

Et quis potest dubitare? versus Ennii leguntur apud Nonium, (1) sed nimium quantum corrupti: *thus ante tenentes*. Junius e cujus fontibus multi suos in hortos aquam derivarunt, dum emendat, *tum sancte tenentes*, Junius est, nec illi satisfaciunt, qui, *tunsam ante tenentes*, reponunt. Hæc veterum librorum scriptura est. denique legitur; ut ad prima redeamus, *intentus remis*, est Virgilio, qui Ennio *Portisculus*, placet Laberio, eadem in voce, vitium tollere.

Nec palmarum pulsus nec Portisculi

Tu scribe & in numeros repone:

Nec palmurarum pulsus nec Portisculi.

Quanquam, *palmam*, idem significare nullus negaverim.

Terra movit recta locutio. locus Gellii emendatus. Symmachi epistola jam tum primum publicata; uti & fragmentum Sallustii. Si Deus, si Dea. sive. tu Deus. sive Dea. Simmonicus Serenus apud Macrobium, item Arnobius leviter castigati.

CAPUT XI.

T*Erram movisse*, in veterum obnunciationibus, solemne erat dicere: ejusque rei causa feriæ edicto imperabantur; *Si Deo, si Deæ*. ut tradit Gellius, (2) & certum Dei nomen, cui ferias servari oporteret, quiescebant edicere: ne videlicet alium pro alio nominando, aut sexum confundendo, falsa religione populum alligarent. dico, *si Deo. si Deæ*. sic enim habent membranæ; non; *sive deo sive deæ*. quemadmodum etiam libro quinto rerum reconditarum Sammonici Sereni, in carmine quo Dii evocantur, scriptum fuisse testatur Macrobius. (3) SI DEUS. SI. DEA. ES. CUI POPULUS. CIVITAS. QUE. KARTHAGINIENSIS. EST. IN TUTELA. TU. QUE. MAXIME ILE QUI. URBIS. HUJUS. POPOLI. QUE. TUTELAM. RECEPISTI. (sic emendandum, non; *Si dea est*: item, *tuque maxime*, non, *teque maxime*; postremo, *recepisti*, non, *recepistis*.) quamquam non ignoro Romanos in precibus, SIVE TU. DEUS. SIVE. DEA. consuevisse dicere. sic enim Arnobius, (4) *Non enim Deus mas est; sed nomen ejus generis masculini est, quod idem vos dicere religione in vestra non quitis. nam consuestis in precibus*, SIVE. TU. DEUS. ES. SIVE. DEA. *dicere. quæ dubitationis exceptio dare vos Dis sexum disjunctione ex ipsa declarat*. ita vetus Arnobii liber: nam vulgo est: SIVE. TU. DEA. & Livius lib. 8. *Precatus deinde si divus si diva esset, qui Soli præpetem misisset, volens propitius adesset*: redeo ad terræmotum. In lemmate capitis 28. libri secundi apud Gellium est, *cum terra movetur viribus*. ineptissime. rectius membranæ: *cum terra movet*. Scio multis iisque viris non indoctis illud, *terra movet*. non rectum videri, & in scriptoribus, in quibus exstat, oportere mutari, quam nos loquendi rationem in Critico Sallustiano linguæ Latinæ asseremus, multa enim in Sallustio illius locutionis sunt exempla, quale est illud: *Jam repente visus lenire Tagus*: in historiis quod meam in colligendis Sallustianæ historiæ fragmentis fugit diligentiam, uti etiam nonnulla alia, quæ mox in lucem proferentur. de veris fragmentis loquor, non de iis, quæ, pro fragmentis a Servio laudatis, ab aliis prolata sunt: nam ea neque Sallustiana sunt: neque in Servio Danielis nostri uspiam com-

(1) *In Voce* Portisculus.
(2) *Libr. 2. Cap.* 28.
(3) *Libr. 3. Satuan. Cap. 9.*
(2) *Libr. 3. adverſ. Gent.*

comparent. ſed de iis, ut dixi, latius in Critico; nunc epiſtolam Symmachi, in qua hujus rei fit mentio, ſtatui publicare: quod Juretus, vir accurate doctus, qui bonam Symmacho navavit operam, in eam non inciderit: (a) ſimul a bonis & doctis hominibus, quos ſolos moramur, gratiam, opinor, non vulgarem inibo:

Symmachus ***

Summa afficior gratia, quod animadverto litteras meas tibi inſubitas non videri, & in gravido non habeo hanc apud te eſſe de noſtris epiſtulis cenſionem; Laudari quippe ab laudato viro rara eſt meſſis ingenii; Verum ut hoc mihi lætitiæ fuit: ita illud ludificandi gratia opinor adjectum. ſi quod in meis verſibus ſorduiſſet, id ut mei ſtyli cura liminaret. Næ ego ſum ſtultus, ac nihili, ſi os ſublimatum mihi eſſe non ſentio. quid enim corrigi vel a me poteſt, vel in te ſas eſt? unus ætate noſtra monetam Latiaris eloquii Tulliana incude finxiſti; quicquid in portis lapidum, apud oratores grave, in Annalibus fidele, inter grammaticos eruditum, in philoſophis miſticum, ſolus hanſiſti, juſtus hæres veterum litterarum. Ne mihi verba dederis: novi ego quid valeat a contagio ſcis Minervam, apprime calles Epicam diſciplinam, non minus pedeſtrem lituum doctus inflare. An tandem orandi æque magnus & canendi meæ te opis indignum mentiare? haud æquum facis: neque me juvat falſa jactatio. Interea ſi nobis vacuas aures datis, dicam quid diebus ſuperioribus egerimus. Baiis remotus ab arbitris otiabar. eo poſtquam rumor allatus eſt terræ filios convenire: oppido cavimus ne ſobriam ſolitudinem noſtram ſodalitas plebeja fuſcaret: ac primo Neapolim, dehinc brevi intervallo Beneventum me recepi. ibi ſummo cultu omnium plauſuque ſuſceptus tanto honore celebrabar, ut jam gravarer officiis; ſedulitas enim, quæ non compenſatur, oneroſa eſt: & urbs cum maxima ſit: ſinguli ejus optimates viſi ſunt mihi urbe majores, amantes litterarum morumque mirabiles. Deum magna pars veneratur; privatam pecuniam pro civitatis ornatu certatim fatigant; nam poſtquam terram movit: nihil bene illis reliqui factum eſt: ſed fractæ opes infractos animos repererunt; pro ſe quiſque operam boni civis affectat. nox diei jungitur ad laborem. Unde nobis ſumma cura fuit abire ocius quam volebam: ne aut mihi diu dediti ab opere deſiderent: aut eos occupatio geminata diſtenderet. itaque Bajarum ſinum rurſus acceſſi: nam Bajæ id temporis jam ſilebant. Hinc nos munere ſalutationis impertio, doque nuntium propere nos, Deo volente, eſſe redituros. Fors fuat hujuſcemodi permiſſi, veſtra tamen indulgentia, affatim ſæpe tribuat, quaſi diutius adſuturis. Hæc Symmachus.

Superior Symmachi epiſtola correcta. inſubidus. limare. os ſublinere. terra movet: adagio: Sus Minervam. Natalicium. Cenſorinus Varro & Gellius paſſim emendati.

CAPUT XII.

Sentio me in ſuperiore illa Symmachi epiſtola nonnulla ſcripſiſſe, quæ nec plane rudibus & idiotis, nec mediocriter eruditis poſſint ſatisfacere: & tamen Fidem teſtor, non eampſe certius ex membranis fideliuſque, quam a me ſit deſcripta, potuiſſe exprimere; errores qui ſunt indicabo, & quid de iis corrigendis mei ſit judicii lectori pateſaciam; primum illud moneo, *litteras inſubitas*, Latinum non eſſe, &, *inſubidas*, debere ſcribi. quod verbum apud Macrobium & Gellium in paucis librorum editionibus, paucis etiam locis, idem manſit; in pleriſque, vitio correctorum, mutavit. membranis credatur modo; a quibus harum eſſe emendationum auctoritatem volo. manſit apud Macrobium in Saturnalibus, (1) ſic enim ait: *Ipſam vero videndi naturam non inſubide introſpexit Epicurus*. manſit apud Gellium (2) his in verbis: *Multa atque immodica de philoſophiæ doctrinis intem-*

(1) *Libr. 5.*

(2) *Libr. 1. Cap. 2.*

(a) Conjecit in Auctar. Symmachianum VI. loco Epiſtolam Symmachi Juretus, inluſtravitque ficus ac cæteras; Ann. deinde Chriſt. 1604. vulgata eſt editio Pariſiis.

tempestive atque insubide differebat, & fortasse an alibi. Mutavit in eodem Gellio (1). (. nam de Macrobio nihil jam dicam .) & in vicinum migravit : primum enim ubi legitur: *Nihil est prorsus istis insipidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent ttidem mala:* tu scribe : *insubidius*. deinde in præclaro illo , si Dis placet, Gellii de Seneca testimonio ita est: *Sed jam verborum Senecæ piget. hæc tamen inepti & insipidi & insulsi hominis jocosa non prætenibo* . ex membranis corrige , *hæc tamen & inepti & insubidi hominis loca non prætenibo*. reliquis expunctis . ad hæc alibi: *verba e versibus ejus hæc sunt*:

——— *urbisne invisere Cæsar*

Terrarumque velis curam.

Verte enim & muta, ut urbes dicas, insipidius nescio quid facies & pinguius. scribe : *insubidius* . postremo , libro octavo decimo , (2) *Quæ isti*, inquit , *qui se Isocratios videri volunt , in collocandis verbis immodice faciunt & rancide , quam sint insipida & inertia & puerilia , facetissime hercle significat in quinto Satyrarum Lucilius*. & hic emenda: *insubida & inertia* de aliis alias viderimus . Sequitur in Symmacho: *si quid in meis versibus sordnisset , id ut mei ut mei styli cura liminaret*. duplex hic error. neque enim petebat, quisquis is tandem fuit, ut Symmachus suos sibi versus castigaret , sed suos petenti . itaque scribe ; *si quid in tuis versibus sordnisset*, deinde illud, *liminaret*, quo tandem? omnino legendum; *cura limaret*, sic dixit Cicero , libro primo de Oratore , *Neque hæc ita dico ut ars aliquid limare non possit*, dehinc *sublimatum* , nescio an civitas Romana pro suo velit agnoscere. certe Ennium Medea, *sublimat* , dixisse hoc versu docet Nonius:

Sol qui candentem in cœlo sublimat facem,

Et Catonem Originum libro secundo, *sublimavit*, Festus. sed hoc nihil ad rem; tu scribe; *os sublitum*: nisi forte scripsit Symmachus; *os sublinitum*. quod vix est ut credam . sic Plautus Aulularia ; (3)

Fide censebam maxumam multo fidem

Esse: ea sublevit os mihi pænissume.

Sic enim versus illi, tam apud Nonium, quam apud ipsum Plautum ex veteribus libris & Sosipatro sunt scribendi nisi quod, *sublinit* , in antiquis Plauti exemplaribus videtur fuisse quo sane genere cum illo Symmachi, *sublinitum* , conveniret. sic etiam Captivis. (4)

Ita mihi stolido suis os oblevere officiis.

Nonius a ridiculo quodam genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, tractum esse existimat. sic enim in omnibus Nonii exemplaribus est, neque illa verba , & *fuligine inficiuntur*, quæ Budæus adddenda judicabat, usquam in iis sunt . & sane videtur Nonius versus hos Virgilii respexisse. (5)

——— *jamque videnti*

Sanguineis frontem moris & tempora pingit. (*a*)

Quanquam hic Sileno vigilanti pingat ; illic dormientibus fieri velit Nonius. Jam vero illud, qui sibi vult, *a contagio scis Minervam?* tu scribe ; *adagio*; *sus Minervam*. Donatus in Terentium ; (6) *Et dicta & proverbia & adagiones* . *quod rem agant*,

(1) *Libr. 6. Cap.* 1.
(2) *Cap.* 8.
(3) *Sc.* Fidei censebam.
(4) *Sc.* Quo illum nunc. sub finem.
(5) *In Sileno*.
(6) *In Eunuch. Sc.* Magnas vero.

(*a*) Hoc exprimi argumento signum Divinitatis , ita contendit Taubm . ad hunc Virgil. locum : „ Servius ob hoc „ dictum putat : quod *Robeus* color Deo- „ rum sit : unde & triumphantes fa- „ cie miniata , & in Capitolio Juppi- „ ter in quadrigis miniatis conspiciatur. „ Vel sumptum è ludibrio illo solemni, „ quo Bacchi faciem ficubus, & moris „ pingere solebant, interim cum *Morichum* appellitantes. „

agant, facetis hominibus adſcribuntur. & Terentius Varro (1) de lingua Latina: *Apud Valerium Soranum*, Vetus adagio eſt, o P. Scypio *quod verbum uſque eo evanuit Græcum, παροιμία, pro eo poſitum, magis ſit apertum. nam idem, quod vocant Græci παροιμίαν, ut auribus lupum teneo, canis caninam non eſt, adagio eſt, & litera commutata abagio: dicta ab eo quod ambit orationem, neque in aliqua una re conſiſtit ſola*. ita leviter locus ille corrigendus eſt. Hujuſmodi igitur adagio eſt. SUS *Minervam* ad eundem modum, quod in Cenſorino eſt: *Itaque a me vel docendi ſtudio vel oſtentandi voto non fieri prædico, ne in me vetus elogium jure dicatur: Sus Minervam docet*. optimæ membranæ eleganter exprimunt: *idque a me vel docendi ſtudio vel oſtentandi voto fieri non prædico: ne in me, ut vetus adagium eſt, jure dicatur, Sus Minervam*. plerumque enim in veterum ſcriptis adagia illa, quo breviora ſunt, eo acutiora: ut vox, *docet*, plane ſit tollenda. Itaque illud, *elogium*, addito alio ſuperſcripto & elogio: *temere alienam ſedem invaſiſſe videri* edicto, UNDE VI. ejiciamus. eodem autem modo Cicero dixit, aut potius apud Ciceronem Varro in Academicis, (2) *Quid ago, aut ſumne ſanus, qui hæc vos doceo? nam etſi non ſus Minervam, ut ajunt: tamen ineptè quiſquis docet*. & ſane Feſtus non aliud, quam, *ſus Minervam*, dum interpretatur, videtur agnoſcere. ſequitur in Symmacho: *meæ te opis indignum mentiare*. hic nemo non videt, *meæ te opis indigum*, oportere ſcribi. illud non æque, quomodo ſit corrigendum, poteſt liquere: *ne ſobriam ſolitudinem noſtram ſodalitas plebeja fuſcaret*. fortaſſe non male ſcripſeris: *ebrietas plebeja*. quanquam nihil aſſevero. poſtremo (nam alia alibi tangemus) ex iis quæ jam dicta ſunt, ſatis patet cuivis, non, *terram movit*, ſed, *terra movit*, eſſe legendum. ſic in S. C. nunciatum eſt Senatui in ſacrario in Regia *haſtas Martias moviſſe*: & *terram moviſſe*, nuntiari ſolet: eaque res procuratur, ut ait Gellius. (3) illud addatur pro, *nihil bene illis*, legi debere: *nihil pæne illis*, & extrema epiſtola, *a futuris*: non, *aſſuturis*. errore vulgari. optat ut ſæpe hujuſcemodi promiſſorum affatim Deus tribuat: ſic enim futurum ut diutius ab illis abſit. quod quoniam dure, neque ſatis erga illos benivole dici videbatur, injicit; *veſtra tamen indulgentia*. credo omnem illam epiſtolam jam menda vacare, defectu non item. neque enim vox illa, quæ debet inſeri ante, *as nihili*, e membranis potuit erui. unum illud non magnæ rei in Cenſorino monebo, eodem pæne loco. *natalicii*. veteres libros habere, non, *natalitii*. convenit cum ſcriptura Pandectarum Florentinorum. quo, pertinent verba Ulpiani lib. quadrageſimo tertio (4) ad edictum: *Inter donum & munus hoc intereſt, quod inter genus & ſpeciem. nam genus eſſe donum Labeo a donando dictum, munus ſpeciem. nam munus eſſe donum cum cauſſa, ut puta, natalicium, nuptalicium*, apageſis mbratores iſtos, qui jureconſultos ludunt potius quam ſunt; & infinitis variarum ſcripturarum ineptiis Digeſtorum & Codicis & hic & alibi margines complent. ſed de iis alias erit dicendi locus. nam quod ſequitur; *aut hic aperte*, quod eſt in Pithœano codice, *en hic aperto*, aut in Colonienſi, *aut enbica parte*, ſcribendum eſſe, *aut ex ethica parte*, reliquaque omnia, quæ hodie in Cenſorino emendantur, ita me olim emendanda videri docuiſſe, ante quadriennium Coloniæ Agrippinæ, teſtes facio Virum optimum ſanctis moribus præditum Melchiorem Hittorpium, & juvenem omni virtutis laude florentem Johannem Baruicium. a quibus hominibus amiciſſimis, ſi mentirer, vanitatis nollem argui.

Chry-

(1) *Libr. Sext.*
(2) *Libr. 1.*
(3) *Libr. 4. Cap. 6.*
(4) *Leg. 194. De Verb. ſignif.*

Chrysippi de fato sententia. in Cicerone verba, quæ desiderabantur, reposita. Gellius castigatus.

CAPUT XIII.

MUlta ex eruditissimis illis M. Tullii de fato libris, sive majorum nostrorum incuria, sive nescio qua alia re, constat excidisse: & obelisci defectuum non paucorum sunt testes; quædam tamen in iis sunt, quæ videntur suppleri posse, veterum scriptorum auxilio: qui raras quasdam ex ingenti illo naufragio conservarunt tabulas, quale est quod nuper observavi. Erant qui fato volebant regi omnia, & ea re peccata & delicta necessitati cuidam, quæ ex fato oriretur, non voluntati hominum imputabant, & contra Chrysippus rerum humanarum omnia fato apta & connexa volvi non inficiabatur; ingenia tamen ipsa mentium proinde fato obnoxia esse contendebat; ut ipsorum qualitas esset & proprietas. *quemadmodum*, inquit, *si quis cylindrum protruserit*, primi quidem casus & motionis dat causam, sed tamen posterius non cessat lapis ille volvi: non tam quod alter id ille faciat, quam quod ita formæ volubilitas habet & modus. Cicero cum ostendisset & eos qui concedebant ante ire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quod prima illa & continens caussa non moveat assensionem, & Chrysippum patefacta atque explicata sententia sua ad eundem exitum venire, & illos non re sed verbis duntaxat diffidere, rationem subjunxit, qua hujusmodi philosophorum ratiocinatio posset examinari, quam esse obscurissimam & implicatissimam, & a qua neque Epicurus neque Chrysippus ipse sese potuerint expedire, testabatur: tandem concludebat his verbis: *denique hoc modo hanc causam disceptari oportet: non ab atomis errantibus & de via declinantibus auxilium petere*. sed locus, ut dixi, verbis aliquot & fortasse sententiis (quis enim his in rebus certi quid adferre se posse asseverabit?) locus, inquam, vacuefactus est. Hoc tamen liquet dejerare verbis illis: *Hoc modo hanc caussam disceptari oportet*, alia fuisse adjuncta, adeoque cum his connexa, quæ exsistant apud Gellium, & in fragmentorum numerum a viris doctis, malo delectu, sint relata. verba sunt. (1) *Chrysippus æstuans laboransque quonam pacto explicet & fato omnia fieri & esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo*. scripsit Cicero: *Chrysippus æstuans laboransque quonam pacto explicet & fato fieri omnia & esse aliquid in nobis intricatur. hoc modo hanc caussam disceptari oportet, non ab atomis errantibus & de via declinantibus auxilium petere*. scilicet aut postrema ista verba e noctibus Atticis excidisse, quod sæpiusnumero extremis illarum capitibus accidisse docuimus, aut voces illas duas, *hoc modo*, quæ mihi hujus observationis indicium fuerunt, ab alio fuisse adjecta, ut sequentis orationis designarent initium, certe & eo apud Ciceronem loco hæc reponenda sunt, & Gellius hoc vel illo pacto corrigendus.

Santra. Pierii emendatio rejecta. C. Quintius Atta. πολύχρυς. *Scaurus Diomedes, Nonius & Gellius correcti. planipes.*

CAPUT XIV.

REcte notat Pierius, (2) homo diligens & in antiquorum scriptis summa cum religione & fide versatus, verba Terentii Scauri, quibus de pulchri orthographia differit, & defectu laborare, & scribi vitiose: neque tamen qua suppleri ratione possint aut corrigi satis invenit. Terentii hæc sunt. *Et pulchrum, quamvis in consuetudine adspiretur, nihilominus tamen ratio exiliter & enuntiandum & scribendum esse persuadet; ne una omnino dictio adversus Latini sermonis naturam media*

(1) *Libr. 6. Cap. 2. in fin.*

(2) *Ad secundum Georg. Virgil.*

dia adspiretur; quamvis antea a Græcis putet esse translatum, quasi πολύχρουν. tentabat Pierius legere; *Pulchram, quamvis consuetudine aspiretur: nihilominus tamen ratio exiliter & enuntiandum & scribendum persuadet: ne una omnino dictio adversus Latini sermonis naturam media adspiretur, quamvis alii a Græcis putent esse translatum quasi πολλόν χρῶμα.* sed aliud latet: & nobilis scriptoris nomen cubat in vitio: quod jam eruemus: &, quod in Antiquis sæpe fecimus, optimum scriptorem eo in loco vita redonabimus, prius tamen illud; *ratio exiliter enuntiandum & scribendum esse persuadet*; ita in membranis esse moneo: *nihilominus tamen ratio, h, litteræ renuntiandum, & pulcrum scribendum esse persuadet*. Santram de antiquitate verborum scripsisse Festi & Nonii (1) testimonio cognoscimus; uti etiam alia, ipsius Gellii & Nonii. idem hic quoque nominabatur, & *pulchrum* prope Græcum esse existimabat. sic enim in membranis amici nostri Petri Danielis est, *quamvis Santra a Græcis putet esse translatum, quasi πολύχρουν*. neque illud, χρουν, in, πολλόν χρῶμα, mutari debet: scimus quid Grecis πολύχροος sit πολύχοος, nimirum multicolor: si ita licet loqui. quod fortassis apud antiquos in pulchritudinis notis fuerit. hinc Santra *polchrum* sive *pulchrum* in Latium accersebat. sequitur ut de Quintio Atta dicamus: cujus scripta infelici nescio quo fato, penitus interciderunt: pauca, quæ poterant superesse, ab aliis fide non satis bona sunt occupata. *Quintium* dico: sic enim Festus visus est nominare, dum scribit, *Attas* appellari, *qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt, & attingunt magis terram, quam ambulant. quod cognomen Quintio Poetæ adhæsit*, meminit illius & Horatius; (2)

Recte necne crocum floresque perambulat Attæ
Fabula, si dubitem: clament periisse pudorem
Cuncti pæne Patres ....

de quo plura in notis ad Porphyrionem: quem multo pleniorem & integriorem habemus; & aliquando, cum Dis volentibus, in lucem dabimus. nunc versus aliorum nominibus occupatos Attæ vindicemus. Attam Togatas docuisse idem nos monuit Porphyrio, &, in aliis, *materteram*. eumdem etiam & *Conciliatricis* & *Ædiliciæ* auctorem esse, nos monemus, nam quod apud Gellium (3) est invulgatum, *Accius in Concilatrice*;

Ursum se momordisse autumat.

&, *pepugero æque Accius in Ædilicia dicit*;

Sed si pepugero metues;

idem omnes codices antiquitus calamo exarati repræsentant; Atta *in Conciliatrice*; item, Atta *in Ædilicia*, & prius quidem illud etiam apud Nonium corrupte legitur: acc. *Homliatrice ursum*: cum sit legendum: Atta *Conciliatrice: ursum* &c. Ædiliciam vero Attæ etiam Diomedes nominat, siquidem optimo optimi grammatici exemplari credimus, in quo ita est: (4) *Quarta est species planipedis, qui Græce dicitur μῖμος. ideo autem Latine planipes dictus, quod actores planis pedibus, id est nudis, in proscenium introirent*, non, ut tragici actores, cum cothurnis, neque, ut comici, cum soccis: sive quod olim non in suggestu *scena*, *sed in plano orchestra positis instrumentis mimicis actitabant. cujus planipedis Atta togatarum scriptor ita in Ædilicia fabula meminit*. vulgo hæc multo aliter. nam & verba pleraque desunt: &, *Attius*, pro, *Atta*, nominatur. ipse quoque versus Attæ plane corruptus est, sic enim scribitur:

Datum inest aurum: exultat planipes.

cum scribi debeat,

Daturin' estis aurum? exsultat planipes.

nam in membranis est,

Datur

(1) *In vocibus* Nuncupata Ricinium; *& alibi. In voce* Septifariam, *In*; Muginari, Crinis, lupari, Auspicari.

(2) *Libr.* 2. *Epist.* 1.

(3) *Libr.* 7. *Cap.* 9.

(4) *Libr.* 3.

Datur inest scaurum.

unde facile illud fuit eruere:

Daturn' estis aurum.

Crinitus certe reliquique Itali Attam in Conciliatore & Ædilibus, errore non dissimili nominant. Nomen & cognomen Poetæ invenimus, prænomen quæramus. ait idem Diomedes: *togatas tabernarias in scenam duct.averunt præcipue duo, Afranius & Q. Ennius.* primum liber vetus: *detaverunt*, non, *ductaverunt*. & recte. deinde pro eo quod est, *Q. Ennius*, idem liber: *C.* sive quod idem, *C. Quinctius* neque ambiguum, quin de Atta sit accipiendum, quando eum vel primum Togatarum scriptorem fuisse satis apud omnes constat. Fuerit is igitur, de quo agimus, Poeta C. Quintius Atta. cui prænomen nostra opera esse restitutum, non mediocriter lætamur.

Sinus Pæstanus & Vibonensis, defectus in Macrobio indicatus. Cicero epistolis ad Atticum correctus. pedibus equis.

CAPUT XV.

Moveor superiore Macrobiani loci castigatione, ut alium etiam prodigiose maculatum, neque dum ab alio, quod quidem sciam, animadversum judicem: ejusque correctionem proponam: quam olim sub manu natam in Victorino suburbano eruditissimi & elegantissimi Poetæ I. Antonii Baifii, eidem Baifio & humanissimo exactissimique judicii viro Nicolao Fabro me probare memini qui quidem locus est ejusmodi, ut qui exinde prodigium abigat, quo est infestius, ἀλεξίκακος vocetur meritissime. verba proponam. (1)

Transmittunt cursus campos atque agmina cervi

Pulverulenta fuga glomerant,

quod ait, speciose, transmittunt, pro, transeunt, sic & Lucretius in secundo.

Et circumvolitant equites, mediosque repente

Transmittunt valido quatientes impete campos:

Sed & Urbanus Pestonensis sic ait. Pedibus equos transmisimus, quod est, transivimus. verba hæc Macrobii, an portenta? cur non hic exclamatur; *Hercules tuam fidem?* Quis hic Urbanus Pæstonensis, quem boni illi viri in indices suos retulerunt, & nescio quem scriptorem veterem voluerunt esse? cujus nomen in his litteris neque scriptum neque fictum neque pictum exstat uspiam, neque tamen, ne quis erret, aliter libri vetustissimi: prope ut absit, quin illius ipsius rhapsodi, cujus alia etiamnum scimus flagitia restare ingentia, peccatum esse debeat existimari. monstrum hominis in extremas sane terras deportandum, quod quidem ex duobus finibus marinis constent: quale nec Herodotus nec Lucianus in historia nec Plinius in terris esse prodiderunt, & tamen, quod magis mireris, est a Cicerone. sic enim apud illum est in libris ad Atticum: (2) *Illud satis opportune duo sinus fuerunt*, quos transmitti oportet, *Pæstanus & Vibonensis: utrumque pedibus & equis transmisimus. veni igitur ad Siccam octavo die e Pompejano: cum unum diem Veliæ constitissem.* videtis Ciceronem Pæstanum (*a*) & Vibonensem sinus nominare: item verba, quæ apud Macrobium sunt, e Ciceronianis esse adumbrata, Macrobius corrigatur modo, nam quod illic est, *pedibus equos transmisimus*, quod sen-

(1) *Libr. 6. Saturn. Cap. 4.* (2) *Libr. 16. Epist. 6.*

(*a*) Ad rem nostram satis apposite suo in *Orb. Delin*: noster Alphons. a Varrea hæc tradit: „Sinus Paestanus, & „ Posidoniates dictus, nunc sinus Salernitanus, *il Golfo di Salerno*, versus „ Salernum, & Oram Prov. Principatus „ Citerioris, cujus Pars Orientalis dicitur „ *Il Golfo di Agropoli* a Nautis.

ſententiam habet nullam: rectius hic eſt, *pedibus & equis*. rectius, aut certe minus prave, nam rectum ne eſſe exiſtimem facit varietas ſcripturarum, quarum una habet, *pedibus & equis*; altera, *pedibus*: equis, tertia. etiam Torneſiani Codicis, omnium optimi, pedibus equis. haud dubie vera. nam Lambinus qui illud, & equis, plane delet, eſt fruſtra. vult Cicero ſe ſinibus, propter maris receſſum, ſiccis pedibus vicem equorum uſum fuiſſe. qua de re cum ad doctiſſimum Virum Simeonem Boſium retuliſſem: is ante mortem bonis & doctis omnibus vehementer luctuoſam, neſario ſcelere a ſceleratiſſimis hominibus clam illatam, paucis diebus, inter cetera hunc in modum reſcripſit. *Locum epiſtolarum ad Atticum relegi, & cum antiquis meis iterum contuli. nihil variant. nec mendi quicquam ſubeſſe puto. nam*, equis, pedibus, *eſt quod Græci ajunt*: πεζῇ ϰαὶ σὺν ἵππῳ, *hoc eſt, terreſtri itinere: cui opponitur* ϰατὰ θάλατταν. *dictum eis autem* ἀσυνδέτως; *ut illud alterum*, equis viris. *hinc Macrobii locus, quod tu recte judicas, emendandus. Epiſtolas ad Atticum ea occaſione relegi & recenſui. multa addidi, quæ præterieram, præter ea quæ in libro tuo annotaram: & tu ad Plautinum miſeras: in quibus hæc haud inſcita, necdum a quoquam ſatis intellecta: de perſcriptionibus plurium nominibus, & parariis; de ſervorum, qui populo placuerant, coacta manumiſſione: de Gentis populis: de matrum teſtamentis ante S. C. Orphitianum: de legibus Viaria & alimentaria Curionis: de prædiatoribus: de ἠρακλειδείῳ Ciceronis: de Varronis πέπλῳ: & alia pleraque ſed & in epiſtolis ad Q. Fratrem & ad Brutum multa emendavi: non pauca explicavi. omnia propediem ad te mittam, ut tu porro ad tuum Plantinum. Vigiliarum editionem in aliud tempus rejiciam.* hæc Felix Boſius. quæ ea re appoſui, ut hominis mihi omnium longe amiciſſimi memoriam, non dico æternitati conſecrarem (neque enim hæc ſunt ejuſmodi ut æternitatem illis polliceri debeamus; & alioqui ipſe ſuis ſuorumque amicorum ſcriptis immortalitatem, ſi qua ſperari poteſt, nunc eſt conſecutus) ſed tamen ut qualicumque hoc ſcripto gratam mihi ſemper futuram eſſe publice teſtarer: & vulturios iſtos, quos jam nunc laboribus illius mercede ampla plagiariis propoſita cupide inhiare palam eſt, iſtorum locorum commemoratione ab ejuſmodi rapina deterream. de verbis inter nos conſtat; de diſtinctione non uſquequaque. ille ἀσυνδέτως putat dici, ego συνεκδοχικῶς, ut *pedes* pro *equis* fuerint. ut ut eſt: aut Macrobii error eſt: aut certe, quod valde credo, in Macrobio lacuna manet. quæ his, niſi fortaſſe major eſt, verbis poteſt ſuppleri. ſed & Cicero ad Atticum ait: *Paſtanus & Vibonenſis. utrumque equis pedibus tranſmiſimus*. tu, Puteane, cui rerum maximarum commiſſa ſunt judicia, ut voles, ut ſenties, judicabis.

Mœra. Cenſorini defectus ſuppletus. locus Sidonii emendatus & examinatus. centrum. proportio, diaſtema. clima, indoloria. fatidicus. Septimius Serenus, Sammonicus Serenus,

CAPUT XVI.

CEnſorinus, inluſtri illo de die Natali volumine, *Quo tempore*, inquit, *partus concipitur, Sol in aliquo ſigno ſit neceſſe eſt, & in aliqua ejus particula, quem locum conceptionis vulgo appellant. ſunt autem hæ particulæ in unoquoque ſigno tricenæ: totius vero Zodiaci* 360. hæc recte Cenſorinus. ſic & Manilius & reliquus mathematicorum ordo apud Romanos tradiderunt. quod vero ſequitur; *has Meras Græci vocant*, ſive ut in aliis eſt, *Meridas*; & *hæ particulæ nobis velut fata ſunt*: id non tantum vitioſum eſt, ſed etiam aliorum aliquot verborum laborat defectu. quem primum tollemus. deinde vitium, quod eſt, ſanabimus. ſcribe: *has Græci Mœras cognominarunt: eo videlicet quod Deas fatales Mœras nuncupant: & eæ particulæ nobis veluti fata ſunt*. Parcas ſive fata Μοίρας Græcis dici, uti etiam partes, in Gellio monuimus. illud tantum addam, in Gloſſario bene fatidi-

tidieum diei, qui sit Μοιρολόγος, *μάντις, ὅτι τὴν τύχην λέγει καὶ τὴν μοῖραν*, Elegans eadem de re Sidonii Apollinaris locus est: qui quidem perculiariter ad Censorinum pertinet. verba non pigebit adscribere: sic enim fiet ut Sidonius huic emendationi nostræ fundus & subscriptor esse videatur: & Sidonii verba corrigantur. *Videris* (inquit in epistola ad Polemium Platonicum, qui ante fuerat Præfectus prætorio Galliarum, ut tradit Sidonius lib. 14. epist. 14. (1) *utrum aures quorumdam per imperitiam temere mentionem centri, proportionis, diastematum, Climatum, vel mirarum epithalamio conducibilem non putent. illud certe consulari viro vere magno quæstorio viro Domnulo, spectabili viro Leone ducibus, audacter affirmo, musicam & astrologiam, qua sunt infra arithmeticam consequentia membra philosophiæ, nullatenus posse sine hisce nominibus indicari*. hæc autem, ut dixi, ad Censorinum sunt referenda. *proportionis* apud eum frequens est mentio, sed plerumque vox est corrupta, & in proximam migravit. primum enim, ubi agie de Pythagoræ commento, quo ille musicorum pthongos ad rationem numerorum deprehendit convenire, ita scribit: *nam chordas æque crassas parique longitudine diversis ponderibus tetendit. quibus sæpe pulsis pthongis ad illam symphoniam concordantibus, pondera mutabat inter se collata: & identidem frequenter expertus postremo deprehendit, tunc duas chordas concinere id, quod est diatessaron, cum earum pondera inter se collata, eam rationem haberent, quam tria ad quatuor, quem pthongum arithmetici Græci ἐπίτριτον vocant. ad eam symphoniam, quæ diapente dicitur, ubi invenitur ponderum discrimen in sesquitertia portione, quam duo faciunt ad tria collata, quod Hemiolion appellant*. (2) paullo ista diversius Boetius, & Macrobius, ubi hae de re agetur, tradiderunt. nunc, quod in manib. est tractemus. ait Censorinus: *diversis ponderibus*, recte. & male illi, qui emendant: *equis ponderibus*. dixit eadem de re Macrobius: (3) *intestina ovium vel boum nervos variis ponderibus illigatis tetendit*. sequitur. *pthongis ad illam symphoniam concordantibus pondera mutabat*. tu ex mente Censorini & membranis scribe: *nec phthongis ad ullam symphoniam concordantibus pondera mutabat*. manifesta veritas. deinde voces illas, *inter se collata*, dele. sunt enim ex iis, quæ proxime consequuntur; hunc in locum tralata quod sæpe hoc in scriptore contigisse moneo. mox scribe, *& id identidem frequenter expertus*. repetitio syllabæ ejusque vitio creando fuit. postremo emenda: *at eam symphoniam, quæ diapente dicitur, ibi invenit, ubi ponderum discrimen est in sescupla proportione: quam duo faciunt ad tria collata*. sic enim totus ille locus insignite pravus corrigendus est; post vero: *ibique esse portionem supertertiam*: scribe: *proportionem*. uti etiam mox: *ubi sescupla proportio est*, non *portio*: & *duplam*, sive, *dupli proportionem*, non *portionem*, &, *ut ibi quinque & triginta diebus infans membratus: ita hic pro proportione*. non, *ita hic proportio est*, nec, *ita hic portione diebus fere quadraginta*. sed satis de proportione, veniamus ad diastema: cujus ita frequenter meminit Censorinus; ut vel unum exemplum adducendo operam nolim perdere. de climate, verba illius sunt. *Fuerunt qui non idem putarent ubique observandum, sed varie per diversas regiones, prout in singulis sit cæli ad circulum finitorem inclinatio quod vocatur lima*. Sed quæ illæ *miræ* Sidonianæ, quæ nusquam, quod quidem sciam, in rerum natura reperiuntur? tu corrige; *mærarum*: correctione non dubia. quod ex iis, quæ supra dixi, datur intelligi. Alia etiam in eadem Sidonii epistola, non satis affabre ab istis librorum excusoribus sunt delineata, nos limam nostram, ut nonnihil poliantur, adhibebimus. *Quod si aliquis*, inquit, *secus atque assero rem se habere censuerit: de quidem absens obrectatoribus manus. sed noverint discrepantia sentientes sententiam meam sine M. Varrone, sine Sereno, sine Septimio, sine Sammonico, sine Censorino, qui de die Natali illustre volumen confecit, non posse damnari*. senserunt his in verbis aliquid vitii latere ali-

(1) *Post Carm.* 13.
(2) *Libr.* 1. *de Musica.*
(3) *Libr.* 2. *in somnium Scipionis.*

viri docti: quoniam nimirum, qui hic Serenus seorsum & separatim dicitur; alicubi Serenus Sammonicus nominetur neque tamen ad emendationem quod afferrent, repererunt; poterant sane facile, litteræ unius mutatione minima, verisimiliter aliquid dicere; nimirum, quod mihi olim in mentem veniebat, legendum videri; Sereno *sive Septimio sive Sammonico*; cum duo Sereni scriptores veteres nominentur, *Septimius* & *Sammonicus*. sed jam sententiam muto, quod, præter librum medicinum, Q. Septimium Serenum aliud scripsisse, aliorum Scriptorum testimonio, nondum didici: &, in eo ipso libro nullum fit his de rebus verbum. igitur veteres meas membranas optimas sequor: in quibus disertim legitur: *Sereno non Septimio sed Sammonico*. Sammonicum libros mathematicos scripsisse vel ipse docet Sidonius, (1) dum in epistola ad Pontium Leontium Santonicum ita scribit: *Nam ita his, ut sic dixerim, membris philosophia claret, ut videatur mihi Julium Firmicum, Sammonicum, Saturnium, in libris mathesews peritissimos conditores, absque interprete, ingenio tantum suffragante didicisse*. illius etiam rerum reconditarum libros advocat Macrobius in Saturnalibus, & nos supra laudavimus. Addit Sidonius; (2) *Cicero essentiam nec non & indoloriam nominavit*. *essentiam* Ciceroni, testimonio Senecæ, doctissimus & eloquentissimus Muretus in politissimis illis Variarum libris nuper vindicavit: (3) idemque pro, *indoloria*, apud Sidonium *indolentiam*; scribendum judicavit. nihil mutant libri: nisi quod in optimis est quibusque; *indoliam*: & tamen in glossis est: *indolevia*, ἀναλγητα: ut in alia notione videatur accepisse: nisi forte ἀναλγησία legi debet: quod tenuiter suspicamur: quam Cicero, Lactantius, alii, *indolentiam* sunt interpretati. Mureti tamen sententiæ, membranæ Sidonii, ut dixi, veteres quodammodo suffragantur.

Caucasus. aquata fronte. Pelorus. Iberus. Athlas. Cyrnus. Durius equorum & aurigarum nomina equæ Zephyro flante concipiunt. elegans versuum Silii castigatio. Tellones. Plinius emendatus.

C A P U T XVII.

Silio nuper versus aliquot ademimus, quod quidem illi, quantum valeo judicare, fecimus volenti. nunc e contra uno atque altero, illum redonabimus; ut rationes accepti & expensi in tabulis parientur. neque tamen, ne fallaris, male de meo liberalis ero; quod alios eodem in Poeta fecisse video: sed ea quæ olim aut vi aut clam aut precario illi fuerunt ablata, ex edicto restituam. ac primum quidem illud in certamine Circensi; (4)

Cyniphio rector radiabat fronte Peloro
Camphasus, ipse asper nec qui cervicis amaret
Applausæ blandos sonitus.

non recte habet. nam Silius singulis equis singulos rectores tribuebat. quod hic deficit. primus equus Callaicus Lampo a Cyrno agebatur: alter Astur Panchates rectorem non habet. &, verum ut fatear, non satis Latina sunt illa:

Cyniphio Rector radiabat fronte Peloro
Camphasus.

redde Asturi rectorem suum Iberum; & scribe:

Cyniphio Rector cocco radiabat Iberus.
Tertius æquata currebat fronte Peloro
Caucasus.

tertius equus erat Caucasus; quartus vero Pelorus. Caucasus dico, non, Camphasus. nam quemadmodum a Peloro Siciliæ promontorio uni, sic alteri a Cau-caso

(1) *In Carminibus.*
(2) *Epest. 59.*
(3) *Libr. 15. cap. ult.*
(4) *Libr. 16.*

caſo Aſiæ monte nomen mutuatus eſt. Caucaſum regebat Athlas; Durius Peloro præerat magiſter: & uterque pari curſu agebatur. hoc enim eſt, quod ait;

——— *æquata fronte Peloro*
Caucaſus.

docent, quæ ſunt infra;

At poſtremus Athlas ſed non & ſegnior ibat
Poſtremo Durio. pacis de more putares
Æquata fronte & concordi currere freno.

Jam vero Iberum Aſturi præpoſitum fuiſſe ex iis manifeſtum eſt

Senſit, & exhauſtas qui proximus ibat Iberus
Callaicas cernit vires.

Sed & illa prava ſunt, & hunc in morem corrigenda:

Senſit ut exhauſtas, qui proximus ibat, Iberus
Callaicas Cyrni vires, nec, ut ante, ſalire
Præcipitem currum, & fumantes verbere cogi
Aſſiduo violenter equos: ceu monte procella
Cum ſubita ex alto ruit, uſque ad colla repente
Cornipedum protentus, & in capita ardua pendens
Concitat ardentem quod ferret lora ſecundus
Panchaten: voceſque addit cum verbere mixtas.

Illud autem quam illuſtre, quod, cum Plinius aliique ſcriptores memoriæ prodiderint equas eſſe, quæ ſine ulla admiſſura e ſolo vento Favonio circa Olyſſiponem oppidum & Tagum amnem concipiant, idem tribuat Silius Peloro, quem apud Vettones aductum fingit? nam amnis Durius , ex maximis Hiſpaniæ, ortus in Pelendonibus & juxta Numantiam lapſus dein per Arenaicos Vaccæoſque, diſterminatis ab Aſturia Vettonibus, a Luſitania Gallæcis, ibi quoque Turdulos a Bracaris arcet, ut ait Plinius. (1) verſus Siliis ſunt:

At docilis freni & melior parere Pelorus
Non unquam effuſum ſinuabit devius axem:
Sed lævo interior ſtringebat tramite metam,
Inſignis multa cervice, & plurimus idem
Ludentis per colla jubæ. mirabile dictu.
Unus erat levis. ut Zephyri nova flamina campis
Vectonum eductum Genitrix effuderat Harpe.

ſenſu nullo: vetus liber optime;

Nullus erat Pater; ad Zephyri nova flamina campis
Vettonum eductum genetrix effuderat Harpe.

Conſtat in Luſitana circa Olyſſiponem oppidum & Tagum amnem, inquit Plinius, (2) *equas favonio flante obverſas animalem concipere ſpiritum: idque partum ita fieri & gigni perniciſſimum, ſed triennium vita non excedere.* eadem de re Solinus: (3) *Ibi oppidum Ulyſippo, ab Ulyſſe conditum. ibi Tagus flumen. Tagum ob harenas auriferas ceteris amnibus pratulerunt. in proximis Ulyſſiponis equæ laſciviunt mira fœcunditate. nam ſpirante vento Favonio concipiunt, & ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur.* & alibi: (4) *edunt equæ ex ventis conceptos. ſed hi nunquam triennium ævum trahunt.* Martianus Capella (5) de Olyſſipone agens, *In ejus*, inquit, *confinio equarum fœtura ventis maritantibus inoleſcit. volucres pulli curſus ipſo ſpirante Favonio.* quod non tantum Columella probat, ſed etiam Virgilius. (6) hujus ſunt illa:

Ore omnes verſa in Zephyrum ſtant rupibus altis
Exceptantque leves auras, & ſæpe ſine ullis
Conjugiis, vento gravidæ, mirabile dictis

Saxa

(1) *Libr.* 4. *Cap.* 20.
(2) *Libr.* 8. *matur. Hiſt. Cap.* 42.
(3) *Cap.* 26.
(4) *Cap.* 47.
(5) *Libr.* 5.
(6) *Geoagic. Libr.* 3.

Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles
Diffugiunt.

ubi Servius: *Varro dicit* (1) *in Hiſpania ulteriore verno tempore equas nimio ardore commotas contra frigidos ventos ora patefacere ad ſedandum calorem, & eas exinde concipere & edere pullos, licet veloces, diu tamen minime duraturos. nam brevis admodum vitæ ſunt.* Columella vero ſic ſcribit: *Cum ſit notiſſimum etiam in ſacro monte Hiſpaniæ, qui procurrit in Occidentem juxta Oceanum, frequenter equas ſine coitu ventrem pertuliſſe fœtumque educaſſe: qui tamen inutilis eſt: quod triennio prinſquam adoleſcat, morte abſumitur.* ſed quorſum tot exempla in rem incredibilem ſed tamen veram comprobandam neceſſe eſt comparare? ipſe Silius infra ſatis id manifeſte docet; cui, ut Hiſpano & teſti oculato neceſſe eſt credere, ſic enim ſcribit:

Attonitus tum ſpe tanta: Genitore, Peloro,
Te Zephyro eductum, nunc, nunc, oſtendere tempus.
Diſcant, qui pecudum ducunt ab origine nomen,
Quantum divini præcellat ſeminis ortus.
Victor dena dabis: ſtatueſque altaria Patri.

addit Plinius. *In eadem Hiſpania gens Callaica & Aſturica equini generis, quos Thieldones appellamus, minori forma appellatos aſturcones gignunt. quibus non vulgaris in curſu gradus, ſed mollis alterno crurum* (2) *greſſu explicatio.* vides qua ratione & Callaicum & Aſturem in equis Poeta numeret. ſunt enim Callaici, idem. qui etiam olim Gallæci, ſive, quod hodie Hiſpani ſervant, Gallici, poſteriore longa a quibus devictis D. Brutus Gallæcus dictus: Straboni, καλλαικός. uti etiam Gallæci, καλλαῖκοι nam ab Aſturibus aſturcones dictos teſtis eſt etiam Martialis ipſe Hiſpanus.

Hic brevis ad numerum rapidus qui colligit ungues,
Venit ab armiferis gentibus Aſtur equus. (a)

quod vero addit Plinius; *quos Thieldones vocamus:* id in pleriſque libris ſcriptis manu quos viderim (vidi autem tredecim) eſt; *Thiellones:* in aliis etiam: *Thellones.* & rectum eſt, *Thellones*, ſeu potius, *Tellones.* nam & hodie lingua Germanica ſeu Celtica, quam veterum Gallorum linguam fuiſſe ſatis conſtat: ut plane ſint ridiculi qui dum illius linguæ rident antiquitatem ſuam ſibi maternam linguam irridere ſe non intelligunt; Germanica, inquam, lingua aſturcones *Telleners* vocantur, ſive Tellen, quod purum putum eſt Germanicum, ſeu, ut dixi, vetus Gallicum. eſt enim a, *tellen*; quod eſt illis numerare, quod nimirum ita tolutim incedant, ut alternorum crurum explicatio poſſit numerari. ſi mihi non creditur: at Martiali credatur: qui, ut dixi, ita ſcribit:

....Ad numerum rapidos qui colligit ungues.

quod, quid aliud eſt, linguæ illius periti conſulantur modo, quam *de paſſen ende ganchen tellen?* Hiſpani hodie, quo proprie nominent, non habent. itaque aliis verbis circumſcribunt *cavallo ambulador.* at Gallos Togatos communi Gallorum nomine, Tellones, vocaſſe, quid mirum? ſed de his aliiſque ſimilibus latius in Dialogis Papianis diſſeretur.

Cn.

(1) *Libr. De Re Ruſt. 6. Cap.* 28.
(2) *Legunt nonnulli:* Alterno crurum explicatu glomeratio. *Plin. Natur. Hiſt. Libr. 8. Cap.* 42.

(a) Ad hunc Martialis locum Calderin. equum, qui dicitur hic Aſtur; eum eſſe interpretatur, qui ex Aſturia venit, Aſturconem propterea compellatum; immutat autem lectionem, & ſic legit.

Hic brevis, ad numerum rapidos
qui colligit ungues
Venit ab auriferis gentibus Aſtur
equus.

nomen autem Hiſpanis eſſe voluit Calderin. *Auriferis* ex auri copia, tametſi ex armorum præſtantia *armiferi* poſſint quoque nuncupari.

Cn. Plancus. C. Asinius Pollio. libri epistolarum Ciceronis singuli quomodo appellentur. Gellius correctus. verba, quæ pro fragmento Ciceroniano habebantur, suo loco recensita. idem in Planto factum.

CAPUT XVIII.

SUnt nonnulla a Grammaticis e veterum Scriptorum libris enotata, quæ in ipsis Scriptoribus vel statim non comparent, vel paucis immutatis vocibus apud Grammaticos aliter quam in operibus leguntur perscripta; ideoque etiam pro fragmentis habentur, & a Viris doctis in fragmentorum numerum referuntur, quod de locis aliquot Plautinis aliquando monui: de Sallustianis compluribus ad historias annotavi, idem etiam in Ciceronis usu venisse non ita nuper observavi; adducit Gellius in Epistola ad L. Plancum hæc: *nam neque deesse Reip. volo, neque superesse.* quæ verba inter Epistolarum fragmenta homines eruditos, qui illorum collectioni præfuerunt, rejecisse constat. scilicet vulgariam scripturam, & antiquum morem, librum quemque epistolarum designandi, ignoratum bonis viris imposuisse. sed præstat verba ipsa Gellii afferre, & emendare: deinde, ubi superiora illa exstent, commonefacere. *Ita*; inquit Gellius, *scriptum est in libro Epistolarum M. Ciceronis ad L. Plancum & in epistola M. Asinii Pollionis ad Ciceronem his verbis.* hic mihi primum corrige duo prænomina: quorum utrumque e membranis quibusdam abest; & *Cn. Plancum* voca, quem *L. Plancum* perperam vides appellari; item *C. Asinium Pollionem*, qui hic, *Marcus*, dicitur, deinde copulam illam, *&*, dele, ac scribe: *in libro Epistolarum M. Ciceronis ad Cn. Plancum. in epistola C. Asinii Pollionis ad Ciceronem*. postremo nota, cum omnes isti epistolarum libri vocentur ad familiares, unumquemque tamen librum speciatim certa appellatione ab aliis dignosci, & ab ejus nomine mutuari nomen ad quem prima libri illius est epistola: etiamsi ad alios eodem libro non pauciores fortassis exstent epistolæ. vix enim est ut credam, certum numerum singulis libris fuisse appositum. itaque Nonius, aliique Grammatici librum epistolarum Ciceronis ad Memmium, ad Hirtium, ad Cæsarem, ad alios laudant sæpe; primum vero, secundum, tertium, ac deinceps nunquam. igitur est hic, quo de agitur, liber Epistolarum ad Gn. Plancum: qui vulgo decimus appellatur: in eoque libro tres leguntur *C. Asinii Pollionis ad Ciceronem* epistolæ, in quarum tertia postrema ita scribitur: *proximis litteris consilium meum expedietur. nam neque deesse neque superesse Reip. volo*. videtis, quod initio dixeram, frustra pro fragmentis habita fuisse; & mendosos Gellii codices viros doctos in errorem traxisse. sed, quoniam Plauti incidit mentio, leviter fragmentorum ejus numerum uno minuam; eique certum hospitium designabo. Servius extremo libro octavo Æneidos; *Discinctos*, inquit, *vel habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat: quod Plautus ridet in Pœnulo dicens: Quæ est illa avis? cum Afrum vidisset vestem demissam trahentem: aut discinctos dixit inhabiles militiæ. omnes enim qui militant, cincti sunt.* hæc Servius. quod autem vulgo in Germanicis editionibus legeretur; *Quæ est illa avis*: id Germanos movit ut hæc nusquam apud Plautum crederent exstare, pro fragmento haberent. est vero in Pœnulo, Scena: *Ain' tu dixe*: ubi Milphio:

Sed quænam illæc anus est, quæ huc cum tunicis advenit?

Junius Gracchanus. Varro de lingua Latina emendatus. quot mensium primus annus Romæ fuerit. Fulvius Flaccus. Ulpiani vera scriptura. Censorinus & Gellius emaculati. Macrobius correctus.

CAPUT XIX.

Quod sæpe in Antiquorum commentariis & in his Emendationum libris usu mihi venire video, ut veteribus scriptoribus sua nomina vindicem assertor, aut illorum libros ab aliis occupatos ipsorum omnibus vindex asseram: id etiam nunc merito libenter faciam; idque in illius disciplinæ gratiam, quæ me omnem ætatem sibi mancipatum habuit. Igitur, quod apud Censorinum est: *Annum vertentem Romæ Licinius quidem Macer & postea Fenestella statim ab initio viginti duorum mensium scripserunt, sed magis Junio Graccho & Fulvio & Varroni & Suetonio & aliis credendum est, qui decem mensium putaverunt fuisse, ut tunc Albanis erat, orti unde Romani*. id varie mendosum est. nemo enim, ut opinor, fuit, qui annum Romanum statim ab initio viginti duos habuisse menses tradiderit. Plerique omnes, ut Plutarchus, (1) Ovidius, (2) Varro, Fulvius, Junius, Suetonius, decem illi menses tribuerunt: uti etiam nostri Jureconsulti dum de luctus tempore differuerunt, pauci vero fuerunt, qui non a Numa duos menses additos fuisse contenderint, sed statim ab initio duodecim prodiderint habuisse. in quorum numero Licinius fuit Macer, & Fenestella. itaque scribe; *statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt*. Censorinus magis prioribus illis, uti etiam Plutarchus, credendum esse existimat. ille, quod Albani, a quibus sunt Romani, nonnisi decem menses habuerunt: hic, quod December ultimus mensis fuerit, qui nomine suo mensium numerum satis aperiat liquido. in prioribus illis nominat Junium Gracchum; qui, quis sit, ignoro. optimæ membranæ *Graecbum* quidem repræsentant, sed cum litura. in qua *Graecbanum* latere cuilibet attentius inspicienti satis apparet, idem vitium etiamnum in Varronis de lingua Latina libris remansit: neque a viris doctissimis est observatum. sic enim ille: *Primus a Marte, secundus, ut Fulvius Flaccus scribit & Junius Graccbus, a Venere*. est enim legendum. *Junius Gracchanus*. quod & veteres editiones agnoscunt. adde quod Ulpianus libro singulari de Officio Quæstoris Junium Gracchanum appellat, (3) his verbis: *Gracchanus denique Junius libro septimo de potestatibus etiam ipsam Romulum & Numam Pompilium binos quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce sed populi suffragio crearent, refert*. quæ verba Andreas Dominicus Floccus, cujus is est liber qui de magistratibus & sacerdotiis Romanorum L. Fenestellæ inscribitur, in sua transtulit. sic enim apud vulgatum est Fenestellam, nam Floccum ad manum non habeo. *Gratianus autem in eo libro, quem de temporibus scripsit, etiam Romulam & Numam duos habuisse ipsam quæstores, quos non sua voce sed populi suffragio creatos scriptum reliquit*. sed ut apud Fenestellam (4) male est, *Gratianum*, pro *Graccbanum*; sic etiam apud Ulpianum in libris Accursianis. nam Pisani, *Graccbanus*, præferunt. illud vero ambiguum, fuerintne Gracchani libri de temporibus, an autem de potestatibus. nisi quod Florentinorum librorum apud me quidem aliis illis præponderat auctoritas; certe qui *Junius* eadem in lege nominatur, non est alius, quam unus Gracchanus, qui cum Fenestella & Trebatio conjungitur, sic enim habent verba: *& a genere quærendi quæstores initio dictos & Junius & Trebatius & Fenestella scribunt*. probat idem ille Floccus; qui sic scribit: *Quæstorem vero ærarii & urbana pecuniæ curam agere, Provincias partim exigendis vectigalibus sortiri plerumque ut Gratianus dixit, epistolis in senatu legendis occupari*. nam & hic, Grac-

(1) *In Numa*
(2) *Fast.* 1.
(3) *L. Un. De offic. Quæst.*
(4) *Cap.* 3.

Gracchanus, debet legi. neque controverti potest, quin vel solus ille Fenestellæ locus ab Ulpiano adductus eam in hominum mentes opinionem inseverit, qua liber ille Fenestellæ falso sit tributus. amplius dicam. audeo affirmare, quicquid Varro in libro de lingua Latina, de Junio loquitur, de eodem hoc Gracchano accipiendum esse, de aliis posterius. veniamus ad Fulvium. est is, ni fallor, Fulvius Flaccus Flamen Martialis, cujus meminit idem Varro libro quinto in Meditrinalibus; & idem cum illo, quem supra eum Gracchano conjunxit: nisi Fluvium Nobiliorem malimus esse: quem Fastos scripsisse Macrobius, aliique testantur: quod sane non opinor, & alibi Fulvium Flaccum appellat. scribe deinde: *ut tunc Albanis erat, unde orti Romani*. Quod Varronem allegat: id vere facit: sed totum illum excidit ex libro eodem quinto Varronis, ubi de quatuor anni tempoibus agebat. quid? quod idem Junius præfectum urbi Latinarum caussa relictum, senatum habere posse negat? quoniam nemo senatum habere potest, nisi habeat jus dicendæ sententiæ in senatu, nemo autem illud habere possit; nisi senator sit: præfectum autem urbi Latinarum caussa fieri posse etiam eum, qui senatoriæ ætatis non sit: itaque posse etiam esse non senatorem, posse etiam esse qui jus sententiæ dicendæ in senatu non habeat: &, ad extremum quod ex eo consequitur, Præfectum urbi Latinarum caussa, senatum habere non posse, qui senator non sit. adde quod M. Varro libro quarto Epistolicarum quæstionum & Atejus Capito conjectaneorum ducentesimo quinquagesimo nono hujusmodi Præfecto jus esse senatus habendi dicant, eaque de re assensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Junii Varro refert. sic enim Gellii libro quartodecimo (1) veteres libri corrigendum esse docent: cum vulgo sit: *Mutii*. hæc enim ad liberos de potestatibus pertinere, nec dubium est nec occultum. & primus moneo in jure nostro non alium Junium, quam Junium Gracchanum, in testimonium vocari: ne in Varrone quidem: illumque *Junium Brutum*, esse subditicium, uti in Pandectis, *Gratianum*. iidem etiam sunt *Junius* & *Fulvius*; qui simili in re a Macrobio nominantur: si modo, uti scribi debet, Macrobii locus perscribatur. sed verba apponam: ut. a quo scriptore liber habet initium, in eodem desinat. (2) *Macer quidam Licinius ejus rei originem Romulo assignat. Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum caussa id invenisse contendit. Junius Servium Tullium regem primum interkalasse commemorat: a quo & nundinas institutas Varroni placet. Tuditanus refert, libro tertio magistratuum, Decemviros, qui decem tabulis duas addiderunt, de interkalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores. Flavius* (tu scribe; *Fulvius*) *id egisse Marcium Consulem dicit ab urbe condita anno* IↃ. LXII. *inito mox bello Aetolico*. tu scribe; *Manium consulem*. erat enim consul eo anno *M. Acilius Glabrio* cum *P. Cornelio Scipione Nasica*: Fastorum omnium & veterum scriptorum tam Latinorum quam Græcorum unanimi consensu. pergit Macrobius: *sed hoc arguit Varro; scribendo antiquissimam legem fuisse in columna ærea, L. Pinario & (a) Furio Coss. cui mentio interkalaris adscribitur*. emenda: *L. Pinario & L. Furio Coss.* item scribe: *sed hunc arguit Varro:* non, *hos*. anno urbis conditæ CCXXCI. Coss. fuerunt, L. Pinarius

(1) *Cap.* 8.

(2) *Libr.* 1. *Satur. Cap.* 13.

(*a*) L. Pinarium, Furiumque Conlegam una simul Consulatu perfunctos Ann. V. C. CCXXCI. cum Nostr. alii quoque non pauci conveniunt Auctores, quanquam Chronolog. Liviana (Sigonio adtributa) ann. superiore CCLXXX. cum Pinario eundem Furium Consulem statuat, quod verum sit, nec ne viderint Annalium Historicorum periti; nostri quoad est, duo addimus, unum videlicet memorati Consulatus administrationem non tantum ad Ann. CCXXCI. revocari nonnunquam; verum per nonnullos ad CCXXCII. usque produci: Stat a primis Sigonius, cujus, Commentar. in Fast. & Triump. Rom. ad

rius Mamercinus & L. Furius Medullinus Fusus . quanquam Diodorus *P. Furium*, non, *Lucium* nominet. sed in Macrobio veteres libros sequi malui.

LU.

ad Coss. CCXXCI. hæc ferme sunt verba : Deinceps Coss. nominant Livius, „ Dionys. & Cassiodorus L. Pinarium , „ L. Furium . Diodorus L. Pinarium „ Mamercinum , P. Furium Φίφφωνα , „ mendose ut puto . Horum Coss. me„ minit Macrob. Lib. I. Saturn. . Sic : „ *Varro scripsit* antiquissimam fuisse le„ gem in Columna *Aerea a L. Pinario*, „ *P. Furio Cons. cui mentio interKalaris* „ *adscribitur : Fusum familiare hoc tem„ pore Furiorum cognomen restituit P. Fu„ rio* „ . Pro se habet altera sententia cæteros inter Onuphr. Panvinium Commentar. in libr. 1. Fastorum ad Ann. U. C. vel ista conscribentem : „ L. Pinarius „ Mamercinus , & P. Furius Φίφωνα „ mendose (ut existimo) Coss. hoc anno „ memorantur a Diodoro : Dionysius, „ Livius , & Cassiodorus cognomina om„ mittunt : Ego L. Pinarium Publii Vi„ ri Consularis Filium facio , icciro „ alterum cognomen Gentilicium, Ru„ fum , videlicet adjunxi . P. vero Fu„ rio Medullinum ego peculiare Gentis „ cognomen , Fusum vero Fasti Græ„ cis , & Tabulæ Capitolinæ adjiciunt „ . quod advertimus alterum est P. prænomen addi communiter Furio , eaque de caussa L. uti placet Carrion jure videtur posse ablegari : in utroque tamen ex aliena sententia procedimus Lectoris accurati judicium inter varietatem Disputationis ultro menti nostræ præferentes .

LUDOVICI CARRIONIS
EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM.
LIRER SECUNDUS.

LUDOVICI CARRIONIS

EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM.

LIBER SECUNDUS.

Annus Dei. Solaris. canicularis. Chaldaicus, ὁ θεῦ ἐνιαυτὸς κυνικός. ἡλιακός. θεός Sol. Minucius Rufus Consul. Censorini postrema editio locis aliquammultis castigata. versus ex Medea Euripidi translatus ab Ennio.

CAPUT I.

VIdi Censorioum, mi Faber, (*a*) ex nostra receosione, ut titulus præfert; Lutetiæ publicatum. quæris quid sentiam? desioo ridere, seu potius mirari, Turnebum, Lambioum, alios totiens tot tantisque conviciis operarum pertinaciam, quam negligentiam potius urgentes; &, quod fieri vix posse existimabam, ut tam multa in illorum scriptis librarii tam fœde peccareot, id jam libenter illis utraque maou do. nam etsi Censorinum multis partibus meliorem, auctiorem, correctioremque esse, quam fuerit hactenus, negari non potest; sunt tamen etiamoum in eo veteres quædam mendæ reliquæ, & novæ nescio quomodo succreverunt: ut interim de vitiata scribendi ratiooe, corrupta distinctione, accentuum coofusione, aliisque caleographiæ vitiis nihil dicam. quale enim illud est, quod, cum pro *dienteris*, (1) substituissem, *Dei annus*; illi pro suo captu diei annum nescio quem excogitarunt? sic ibi est vulgo; *anni illius magni, qui, ut supra dictum est, solaris & canicularis & dieteris vocatur, nunc agi vertentem annum centesimum*, primum enim *annum magnum* vocari *dieterida* nusquam supra dixit aut cogitavit Censorinus. deinde ne illud quidem, quod in Parisiensi legitur, *diei annus*, usquam in superioribus poterit inveoiri. & quis est tandem *annus diei?* aut quid cum aono solari habet commune? volebat Ceosorinus, quod supra Græce dixerat, Latine ounc proferre. sic eoim ibi est; *hic annus etiam heliacus a quibusdam dicitur, & ab aliis* (2) ἐνιαυτός. sensu nullo. mooeot viri docti suis in libris esse, θεοφενιατός, aut, unde ridicule veritas illis erui videri posse, ἐτονενιλυτός, quo nihil est ineptius. neque debebat homioes eruditos res tantilla turbare; præsertim cum antiquiores Cisalpinæ editiones haberent, uti etiam membranæ; ὁ θεῦ ἐνιαυτός. igitur sic locum illum edidimus, aut certe edi voluimus. *Ad Ægyptiorum vero annum magnum luna non pertinet: quem Græce κυνικόν. Latine canicularem vocamus: propterea quod initium illius sumitur, cum primo die ejus mensis, quem vocant Ægyptii Θώθ, caniculæ sidus exoritur. nam eorum annus civilis solos habet dies trecentos sexaginta quinque, sine ullo interkalari; itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus est quam naturale quadriennium: eoque fit ut anno bis millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, ad idem revolvatur principium hic annus etiam ἡλιακός a quibusdam dicitur,*

& ab

(1) *Pag. 49. v. 1.*

(2) *Pag. 40. v. 3.*

(*a*) Hic scilicet v. c. Nicolao Fabro a Carr. libe inscribitur.

& αἱ ἄλλοι ὁ Θεοῦ ἐνιαυτός. quæ verba Censorinus posterius repetit & quodammodo interpretatur. *quare*, inquit, *scire etiam licet anni illius magni, qui ut supra dictum est, solaris & canicularis & Dei annus vocatur, nunc agi vertentem annum centesimum.* & vero quis est ille Dei annus, si non Solis? nam præterquam quod satis constat omnes Deos ad Solem referri. qua de re late Macrobius: (1) illud notandum est, primos homines Græcos, teste Platone, (2) existimasse Deos esse Solem, lunam, terram, astra, cœlum, eosque primum nominasse θεοὺς, quod perpetuo cursu viderent ferri & sane Euripidis illud e Medea, ubi Ægeus veneficæ illi interminatur,

Εἰ σ' ἡ ποιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ, (a)

sic vertit Ennius:

Si te secundo lumine hic adspexero.

quid? quod apud Herodotum non solum illa voce Phœbum, qui tamen & ipse sol est, veluti in Polymnia; *τῷ θεῷ εἰρῆσθαι.* (b) deinde inferius; *τῷ θεῷ πειθομένους,* (c) sed clare solem ipsum nonnullis in locis designari monuit vir doctissimus Florens Christianus. (3) illud etiam quam absurdum; quod, cum in anno Chaldaico verba nonnulla vulgo notassem deesse, eaque de membranis suppleri voluissem: illi, quasi dedita opera, eadem illa scientes omiserunt? erat vulgo; (4) *sterilitates morbosque circumire:* scripseram ego, *huic anno Chaldaico nomen est, quem genethliaci non ad solis lunæque cursus sed ad observationes alias habent accommodatum, quod in eo dicunt tempestates frugumque proventus, item morbos sterilitatesque circumire.* at illi homines male sani, *salubritates*, rejecerunt, morbis videlicet contenti. deinde notas numerorum pro notis acceperunt, & XVI. pro, XIV. excuderunt, simul etiam Consulis nomen corruperunt. Mimicium pro Minucio nominantes. sic enim illa scribenda sunt. (5) *sextos autem fecit Tib. Claudius se.* IV. *& L. Vitellio* III. *Coss. anno* IↃCCC. *septimos Domitianus se* XVI. *& L. Minutio Rufo Coss. anno* IↃ. CCCXLI. cum sit editum; *se* XVI. *& L. Mimicio Rufo Cons.* quanquam hi Coss. in Fastis Brugensibus sub anno IↃ CCCXL. recensentur, quartodecimo tamen Domitiani consulatu. at in Cassiodori Chronico ultimus Domitiani cum Rufo consulatu nominatur Domitiani sextus & Rufi quartus, a quo vetus Censorini scriptura, quæ est in membranis Coloniensibus & collatione Pithœana, non longe recedit; *Sex IV.* prior numerus ad Domitianum, alter ad Rufum referatur. sed de Cassiodoro non facilis est dijudicatio, cum infinita in eo corrupta esse reapse compererim. nolo commemorare in eadem editione esse, *bini*, (6) pro *bimi*, *alterius*, (7) pro, *alternis*, & alia iis simillima; duo tantum etiam numerorum vitia annotabo, reliqua parcam apponere, illud itaque; *scriptum est quatuor prima secula annorum fuisse centum, quintum viginti trium.* (8) scribendum est: *quintum centum viginti trium*, neque enim ullum Etruscorum sæculum tantillo temporis intervallo terminabatur; deinde; (9) *cum & annus imparem dierum trecentorum quadraginta quinque numerum aliquando cumulaverit, & mensi lunari ad dies unde triginta aliquid addiderit*, nota pro nota fefellit operas. XL. pro, LX. quis enim nescit annum naturalem CCCLXV. diebus constare; illique numero sex horas, aut paullo minus, quod certo definiri non potest, superesse? de aliis alibi.

Au-

(1) *Lib. 1. Saturn. cap. 17.*
(2) *In Cratylo.*
(3) *Pag. 272. Steph. Edit.*
(4) *Pag. 39.*
(5) *Pag. 34.*
(6) *Pag. 37. v. 15.*
(7) *Pag. 37. v. 15.*
(8) *Pag. 32. v. 25.*
(9) *Pag. 26. l. 22.*

(a) Producti versus sensum Ennius declaravit, contra vero heic nos litteram interpretamur.
„ Si te efficax Dei jubar adspexerit.
(b) „ Deo dicere.„
(c) „ Deo obedientes.„

Augustus Cæsar natus sub Capricorno. Genitura & Genesis est nativitas non conceptio. schema. Suetonius correctus. Manilius poeta ab imperitia, inconstantiæ, levitatis & temeritatis culpa contra criticos defensus. idem varie ex membranis emendatus.

CAPUT II.

SUot qui in Manilio Poeta erudito, quique Augusto (*ætate estrema*) regnante floruit, quod suum Imperatorem sub Capricorno oatum esse tradiderit, non tantum ἀλογιστίαν verum etiam temeritatem & levitatem notaverunt: eamque flagro castigandam oimis saoe calide monuerunt. quibus ego hominibus ceteroqui doctissimis nequeo assentiri. parcant illi verum amanti. dicam quod sentio. Augustum sub Capricorno genitum disertim scribit Suetonius. sic enim apud illum est: *In secessu Apolloniæ Theogenis mathematici pergulam comite Agrippa ascenderat. Cum Agrippæ, qui prior consulebat, magna & pæne incredibilia prædicerentur: reticere ipse genituram suam, nec velle edere perseverabat, metu ac pudore ne minor inveniretur, qua tamen, post multas adhortationes, vix & cunctanter edita, exsilivit Theogenes, adoravitque eum. tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit. nummumque argenteum nota sideris Gapricorni, sub quo natus est, percusserit.* Hic viri docti per *genituram* non τὴν ἀποκύησιν, sed τὴν σποράν noo oativitatem sed conceptionem volunt accipi. parum, ne dicam dolo, verisimiliter. non enim, qui se Chaldæos sive Genethliacos appellabant, tam motum positumque stellarum respiciebaot, qui esset eo tempore, quo infans conciperetur in utero, quam eo quo in lucem veniret; quod in iis Phavorinus philosophus ridebat: nimirum quod, cum alia stellarum positura esset tempore cooceptionis, alia tempore nativitatis, hujus tamen unius ratione habita de omni cetero vitæ tempore certi quid auderent pronunciare. Verba sunt apud Gellium: (1) *Nam si isto modo,* inquit, *cæpta fieri observatio est, ut animadverteretur quo habitu quaque forma quæque positura stellarum aliquis nasceretur: tum deinceps ab ineunte vita fortuna ejus & mores & ingenium & circumstantia rerum negotiorumque & ad postremum finis etiam vitæ spectaretur, eaque omnia, ut usuvenerant, litteris mandarentur. &c.* & paullo post. *Atque illud etiam cuimodi esset considerandum putabat, quod aliud stellarum agmen foret, quo primum tempore conciperetur homo in utero, aliud postea cum in decem mensibus proximis in lucem ederetur.* Deinde Suetonius se non de conceptiooe, sed de die natali agere satis aperte indicat postremis illis verbis: *nummumque argenteum nota sideris Capricorni, sub quo natus est, percusserit.* (2) (*a*) sic enim cum loquitur, diem illius natalem respicit. *Natus est,* inquit, (3) *Augustus M. Tullio Cicerone & C. Antonio Coss. IX. Kal. Octobr.* & alibi (4) eadem de re: *Fuit & qui suaderet, appellationem mensis Augusti in Septembrem transferendam: quod hoc genitus Augustus. illo defunctus esset.* neque, opinor, erit, qui hæc de conceptione in ute-

(1) *Libr. 14. cap. 1.*
(2) *In August. cap. 94.*
(3) *Ibid. cap. 5*
(4) *Ibid. cap. 2.*

(*a*) Veteri superstitionis ritu; inducta est senteotia, quæ crederet hoooris, ac dignitatis indicio serviisse Capricorni Horoscopum, illudque monet io hunc Sueton. locum Phil: Beroald. ex Firm. his verbis „Præteræa Auctor. est Jul. Fir. in „ VIII. mathese. quod quicumque habue„ rit horoscopum in prima parte Capri„ corni erit Rex, aut Imperator. Iti„ dem in parte Capricorni habentes horo„ scopum, erunt magni potentes, ma„ ximam gladii potestatem habentes „. suam ergo pro maxima parte dignitatem Augustus ostendit per id ferme tempus, quo *nummum argenteum* nota fyderis Capricorni quo natus est percussit.

utero capienda existimabit. neque enim conceptus fuit IX. Kalen. Octobr. sed natus: si illi ipsi Imperatori credimus. qui ad Cajum IX. Kal. Octobr. scribit, se eo die quartum & saxagesimum natalem celebrare, & communem seniorum omnium κλιμακτῆρα superasse. atqui neque natalis conceptionis die celebratur, neque climactericorum annorum numerus a die conceptionis sed ab ipso natali sumit initium. ad hoc, si sub libra natus est, quin illius potius notæ sideris percussit nummum, quam Capricorni? præsertim cum, ut dixi, natalem diem Chaldæi maxime spectarent. qua ratione & Cicero (1) natalicia Chaldæorum prædicta vocitavit. neque alio pertinet illud Juvenalis,

Nota mathematicis genesis tua .....

& Censorini: (2) *Septem stellæ inter cælum & terram vagæ mortalium geneses moderantur.* item: *Fuerunt etiam qui utrumque reciperent numerum, unde quinquagesimum & octogensimum unum: & minorem nocturnis genesibus, majorem diuinis adscriberent.* Cur Capricorno potius quam libræ & signa ab Parthis recepta & captam Armeniam & alia pleraque læta & prospera numismatibus cusis tulit accepta? quod in Goltzii nostri Augusto frequenter comparet. sed verum est profecto, quod dixi, sub Capricorno non esse conceptum sed in lucem editum Augustum. quod jam Manilianis versibus probabimus, si prius e Suetonio mendum sustulerimus. quod enim ibi est, *ut thema suum vulgaverit*: id varie variis in ediditionibus perscribitur, in quibusdam est; *stemma*. in aliis, *sthemma*: alibi aliter. & liquet mihi scripsisse Suetonium; *schema* ut enim sua geometræ habent schemata: sic schema vocant astrologi horoscopi dispositionem, sive figuram; quam Suetonius supra *genituram*, uti etiam Spartianus in Severo nominavit. neque raro voces illæ inter se mutant locum. quod in Martiale legebatur;

Cæsaris atque Jovis confer nunc stemma juventus:

recte emendarunt viri docti:

——— *confer nunc schema juvencos.*

quod tamen in vetustioribus etiam editionibus exstare moneo. Venio ad Manilium. quem neque natalem Augusti ignorasse (quid enim minus est verisimile, quam Poetam, qui eo vixerit tempore, quo hæc vel pueris fuerunt nota: & matheseos, si quod isti volunt, non nimium peritus aut certe, quod negari non potest, fuerit studiosus, cum his de rebus ad Augustum cogitaret scribere, hæc ignorare potuisse?) nec igitur ignorasse, nec a seipso adulandi caussa dissensisse, facile probavero. versus audiantur modo. dixerat Manilius.

Quin etiam propriis inter se legibus astra
Conveniunt, ut certa gerant commercia rerum:
Inque vicem præstant visus, atque auribus hærent.

deinde subjungit, qua signa quibus signis. ut aures aut oculos aut utrumque commedent, &, inter cetera: (3)

Nec non Arcitenens magno parere Leoni
Auribus, atque oculis signum fundentis Aquari
Conspicere assuevit: solamque ex omnibus astris
Diligit Erigonen contra, Capricornus in ipsam.
Convertit visus. quid enim mirabitur ille
Majus, in Augusti felix quæ fulserit ortum)

Hæc viri docti ita acceperunt. quasi diceret Manilius Capricornum Virginem intueri; quod ratione antisciorum fieri non potest, & Augustum Cæsarem sub Virgine esse natum, cujus postea natalem Libræ dicaverit. utrumque falsum. neutrum voluit Manilius. nam & sub Capricorno natum esse Augustum & Capricornum non Virginem intneri sed seipsum tradit. levis quædam duabus in vocibus

(1) *Libr. 2. De Divinat.*
(2) *Pag. 26. v. 65.*
(3) *Libr. 2.*

bus menda homioes doctos in hunc errorem & oimiam reprehendendi temeritatem induxit. scripsit Manilius

——— *contra Capricornus in ipsum*
Convertit visus. quid enim mirabitur ille
Majus, in Augusti felix cum fulserit ortum.
Auribus & summi captat fastigia Cancri.

Sic optimæ membranæ Gemblaceoses: ooo *ipsam*, nec, *quæ fulserit*, nec denique, *ut summi*. vult Manilius Sagittarium audire Leonem, & videre Aquarium, diligere Erigonen, Capricornum vero, audire Cancrum videre seipsum. hoc enim est; *ipsum*. uti ab illis ipsis, sæpe io eodem Maoilio ootatum est; rationem addit cur Capricornus aliud signum oon videat, quod videlicet signum nullum sit majus se, quod debeat mirari, cum fulserit io natalem Augusti. videtis mioima hac correctione Manilium temeritatis, levitatis, incostaotiæ, & imperitiæ culpa absolvi quam illi recentiores Critici oimis sane, ut dixi, calide conabantur imponere. Eum autem tradidisse Augustum sub Capricorno natum esse vel ex eo versu manifestum est supra libro primo;

Tum venit Augusto Capricornus sidere fulgens.

sic enim libri veteres & aliud est quam illud alibi;

Tuque tuo Capricorne gelu contractus in astris.

Mactare. magmentum. Dii mactantur. Fragmentum ex libris Varronis de moribus Pop. R. non editum. Viri docti correctio in Varrone confirmata. vinum inferium. Arnobius ea in voce & in aliis castigatus.

CAPUT III.

MActare idem esse in sacrificiis quod *immolare*, Nooius aliique tradiderunt. non recte illi duas voces confuderunt, si recte Varro separavit; aut potius, quia Varro recte separavit, illi perperam confuderuot. verba Varronis apud Porphyrionem, qui apud me pleoior & iotegrior, ad illud Horatii.

——— (1) *macte*. (a)
Virtute esto; inquit, sententia dia Catonis,

ex libro secundo de moribus Pop. R. oondum, quod sciam, publicata funi hæc. *Mactare verbum est sacrorum κατ' ἐυφημισμόν. ictum, quasi magis augere ut adolere. unde & magmentum. quasi majus augmentum. nam hostiæ tanguntur mola salsa, & tum immolatæ dicuntur; cum ferro ictæ sunt, & aliquid ex illis in aram datum est: mactatæ dicuntur, per laudationem, itemque boni ominis significationem. &. cum illis mola*

(1) *Sat. sec. libr. 1.*

(a) Eodem plane sensu, quo nost. Carr. *macte* verbum hic Lambin. ad Horat. ita declarat. *Macte virtute* „ Sic sæpe loquitur „ Livius, ut lib. 10. *Tu quidem macte* „ *virtute diligentiaque esto*. Et Cic. Tu- „ scul. 1. *Macte virtute. ego enim ipse* „ *cum eodem ipse non invitus erraverim.* „ Idem lib. 12. epist. ad Att. *Macte virtute mihi quidem gratum: & erit gratius* „ *si*, &c. Virgil. lib. 9. Æn.
„ Macte nova virtute puer: sic „ itur ad astra.
„ Macte autem valet magis aucte, ex quo „ *mactare*: quod valet magis augere Cic. lib. „ de rep. *ferunt laudibus mactant honoribus.* „ Mactus verbum pootificale, & quo ute- „ bantur in sacris, & libatiooibus. *Mactus hoc vino inferio esto*. quæ ver- „ ba sic explicat Arnobius lib. 5. advers. „ genteis. *Quid est aliud quam dicere,* „ *tantum esto mactus, quantum volo, tantum amplificatus, quantum jubeo &c.* „ Priscian. lib. 17. in extr. notat, *macte* „ hic situm esse, pro *mactus* „.

mola salsa imponitur, *dicitur*: MACTE ESTO. hæc Varro. aliud igitur igitur est *mactare*, aliud *immolare*. Jam quod de *magmento* addit; idem videntur Festus, si Paullo credimus, & ille ipse Varro memoriæ prodidisse: (1) nisi quod recte viri docti apud Varronem pro, *religionibus*, emendant, *regionibus*, *magmentum* enim ad regiones proprie pertinere vel ex illo Martii Narbonis voto quod ab accurato & erudito viro Elia Vineto est editum Burdegalæ, satis cognosci potest. in eo enim est inter cetera; SIVE. QUIS. HOSTIA. SACRUM. QUI. MAGMENTUM. NEC. PROTOLLAT. IDCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTUM. ESTO. & in alia similiter inscriptione, quam Patavii esse ajunt: (2) JUPITER. OPTIME. MAXIME. QUANDOQUE. TIBI HODIE. ARAM. DABO. DEDICABO. QUE. OLLIS. LEGIBUS. OLLIS. QUE. REGIONIBUS. DABO. DEDICABO. QUE. QUAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO. UT. SOLUM. HUJUS. ARÆ. EST. SI. QUIS. HIC. HOSTIA. SACRUM. FAXIT. QUOD. MAGMENTUM. NEC. PROTOLLAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTUM. ESTO. &c. quid? quod *magmenta* & *augmina* in sacrificiis agnoscit Arnobius libro adversus Gentes septimo? In immolationibus autem, MACTE ESTO. dici consuevisse ex infinitis veterum scriptorum monumentis constat. sic Cato libro de Re Rustica (3) precationes concipit. HARUNCE. RERUM. ERGO. MACTE HOCE. PORCO. PIACULO. IMMOLANDO. ESTO. &: EJUSDEM. REI. ERGO. MACTE. HISCE. SUOVETAURILIBUS. LACTENTIBUS. ESTO. his autem rebus Dii ipsi mactari dicebantur. qua de re elegans est apud eundem Arnobium adversus Gentes (4) locus, sed valde tamen vulgo perperam expressus. nos eum & apponemus & corrigemus. *Nemo*, inquit, *unquam innocens male interemptus infamis est*, *nec turpitudinis alicujus commaculatur nota*, *qui non suo merito pœnas graves*, *sed cruciatoris perpetitur sævitatem & tamen isti*, *qui hominem nos colere morte functum ignominiosa videtis*, *nonne Liberum & vos patrem membratim ab Titanis dissipatum fanorum consecrationi aptatis?* primum moneo non, *sævitatem*, sed, *sævitate*, oportere scribi: deinde illud, *consecrationi aptatis*, in vetere libro habere; *fanorum consecratione mactatis*. quod suum esse Arnobio (5) loquendi genus, quis est qui dubitabit? id est, ut alibi loquitur, ejus Numinis potentiam auctitare, ejusque dignitatem facere ampliorem. itaque & Servius ad illud Virgilii. (6)

Macte nova virtute puer sic itur ad astra.

Macte, inquit, *est magis aucte affectata gloria*, *& est sermo tractus a sacris*, *quotiens enim aut vinum aut tus super victimam fundebatur*, *dicebant Mactus est taurus*, *vino vel ture: id est*, *cumulata hostia & magis aucta*. quæ Servii verba Isidorus solemni sibi more in Origines suas transcripsit. e quo tamen in Servio legendum censeo; *affectata Gloria*: etsi in illo (7) vox, *affectata*, non comparet. eam enim Servius ad verborum Virgilianorum interpretationem ne accommodavit. Neque id tantum in immolationibus, ut supra dixi, sed in pontificalibus quoque sacrificantes usurpabant. dicebant enim, MACTE. VINO INFERIO ESTO. & similia Cato dum de vino lasso dando, item Jovi dapali pollucendo agit, sic scribit: (8) JUPITER. MACTE. FERCTO. ESTO. MACTE. VINO. INFERIO. ESTO. &: JUPITER. DAPALIS. QUOD. TIBI. FIERI. OPORTET. IN DOMO FAMILIA, MEA. CULIGNAM. VINI. DAPI. EJUS. REI. ERGO. MACTE. ILLACE. DAPE. POLLUCENDA. ESTO. &: JUPITER. DAPALIS. MACTE. ISTA. CE. DAPE. POLLUCENDA. ESTO. MACTE. VINO. INFERIO. ESTO. item Jano. EIUSDEM REI. ERGO. MACTE. VINO. INFERIO. ESTO. *Inferio*, inquit Trebatius apud Ar-

(1) *Libr. 4. del ling. Lat.*
(2) *Extat in Ortograph. Aldi Pag. 444.*
(3) *Cap. 30.*
(4) *Lib. 1.*
(5) *Libr. 7.*
(6) *Libr. 9.*
(7) *Lib. 10.*
(8) *Lib. De Re Rustic. cap. 132. & 134.*

Arnobium (1) *verbum ea caussa est additum; ne vinum omne omnino, quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur, promptum est, esse sacrum incipiat, & ex usibus eripiatur humanis. addito ergo hoc verbo solum erit, quod infertur, sacrum: nec religione obligabit ceterum*, & paulo post: MACTUS. HOC VINO. INFERIO. ESTO. *quid est aliud, quam dicere, esto mactus quantum volo: tantum amplificatus quantum jubeo: tantum honoris assumito, quantum te habere decerno, & verborum circumscriptione definio.* Igitur verbi illius, *inferio*, præscriptione Deus submovetur, ne cupiditatem suam protendat ulterius: utque sit illato vino contentus; nihil enim est aliud *vinum inferium*, quam quod infertur, si Arnobium ipsumque Trebatium audimus. quanquam Festus non ab *inferendo*. sed ab, *infra*, vocis illius significationem derivavit. *vinum* enim *inferium* esse vult, quod in sacrificando infra labrum pateræ ponebatur. certe non minus bene, quemadmodum enim ex messe præmetebantur fruges, quibus libaretur Dis; ut Festus & Censorinus (2) loquuntur, & *Præmetium* vocabatur: sic ex dolio vinum novum sacrificii causa demebatur prius, quam vinum gustaretur, quod *calpar* dicebatur: illudque infra labrum pateræ ponebatur, quo jubebatur contentus esse Jupiter. nam, cum totius vindemiæ nomine vinum illud Jovi libaretur: plane omne vinum usibus humanis ereptum Jovi sacrum fuisset, nisi ea fuisset apposita taxationis formula. Sed sive ab *inferendo* sive ab *infra*, ea vox est tracta; raro in veterum scriptorum libris reperitur. quo majore cura & anquirendam & retinendam in illis esse censeo. sane Cujacius, vir, siquidem incredibilem variarum disciplinarum cognitionem spectas, plane magnus, eam M. Catoni, primis suis Observationibus, in verbis illis supra a me adductis ex Arnobio princeps restituit. nos, ut Arnobio vicem referamus, eadem illum ipsum voce redonabimus. sic itaque libro quarto scribit. *Si ergo, ut diximus, officia nobis adeuntibus religiosa Minervæ assint quinque ac de hujus nominis proprietate rixantes sibi quæque desideret aut turis suffimata libari, aut ex pateris aureis in feriam vina defundi: quo disceptatore, quo judice controversias tollemus tantas? aut quis quæsitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas hujusmodi aut vindicias justas agere, aut sacramenta conetur pronuntiare non justa?* illud, *in feriam defundi*, specie quidem rectum & elegans videtur esse: sed in vetere illo exemplari optimo disertim legitur: *ex pateris aureis inferia vini defundi*: &, quovis judice, ἐςὶ κρεῖττων ἐκεῖνο. Igitur duas voces pontificales scriptori, a quo pleraque hujusmodi omnia didicimus, esse a nobis restitutas nemo inficiabitur.

Equi e vento concepti quot annis vivant. Nemeæ pacator. resplendere, e Silio varii versus spurii hinc inde rejecti. variis versibus Germanis Silius auctus, e Silio aliquot in locis maculæ sublaæ, e Manilio uno.

CAPUT IV.

DIximus, superiore libro, apud Vettones equas e solo Favonio spirante concipere: idque Plinii, Capellæ, Solini, aliorum testimoniis docuimus. illud vero nunc mirari mihi in mentem venit qui fiat ut, cum illi, quos modo nominavi, scriptores tradiderint equos ita conceptos triennium vitæ non excedere, Silius tamen Italicus, qui accurate res Hispanicas descripsit, illorun vitæ multo sane majus largiatur spatium: eaque in re ab aliis in alia discedat. versus illius sunt: (3)

At Vettonum alas Balarus probat æquore aperto.
Huic adeo, cum ver placidum flatusque tepescit,
Concubitus servans tacitos grex prostet equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura.

(1) *Lib.* 7.
(2) *Cap.* 1.
(3) *Libr.* 3. *Punic.*

Sed non multa dies generi : properatque senectus :
Septimaque his stabulis longissima ducitur aetas.

quae enim est hic, *aetas septima?* nempe scire licet, *aestas*, non, *aetas*, oportere scribi. quanquam ne hoc quidem pacto Silio cum reliquis convenerit. sed quis a Poetis unquam juratores exegit? hoc majorem meretur admirationem, quod, cum inter omnes certo liquidoque constet, vere & historice, non poetice, non fabulose, e vento in illa Hispaniarum parte equas olim concepisse, hodieque, si vera sunt quae narrantur, concipere: Trogus tamen Pompejus sive Iustinus est, (1) fabulam ex equarum fecunditate & gregum multitudine natam esse existimavit? qui tanti in Gallaecia & Lusitania ac tam pernices visuntur, ut non immerito vento concepti esse videantur, sed de eo ipsi viderint. nos, quod capitis titulus pollicetur, Silium emendemus: ex eoque quod priore libro fecimus, versus spurios & nothos ejiciamus, & in illorum locum naturales & legitimos subrogemus, verba sunt Hannibalis (2) Fabium Maximum & Valerium Publicolam, quos ad se ab senatu missos litore prohibuerat, Karthaginem tamen tendere indignantis. quae uno versu amisso aut certe immutato omnem paene venustatem perdiderunt. Silius audiatur.

Hic alto Poenus fundentem vela carinam
Insequitur, verbis acuens trepidantia castra.
Nostrum ferre caput parat illa per aequora puppis.
Heic caecae mentes, tumefactaque corda secundis.

Hic secundus versus in vetustissima Lugdunensi editione item alia illa Parisiensi non comparet; & ab Aldina est: quae, uti monui, Poetam illum princeps depravavit. nam neque versuum superiorum auctoritatem reddit, neque hue facit magnopere: & alioqui ea, quae sequuntur nescio quomodo, nimis sane sunt, quam frigida. quid? quod Marsus jam olim nescio quid desiderari monuit? quod nos in optimis membranis inventum non esse negligendum existimavimus. est autem hujusmodi:

Hic alto Poenus fundentem vela carinam
Incessens dextra Nostrum, proh Jupiter, inquit,
Nostrum ferre caput parat illa per aequora puppis!

de cujus versus germana integritate nemo sanus dubitabit. nam &, ut dixi, in vetustissimis membranis est, & cum iis, quae sequuntur bellissime convenit, nec minus ille est elegans adeoque plane necessarius, qui eodem libro primo desideratus vulgo, iisdem in membranis exstat; neque nisi cum insigni Poeta injuria potest abesse. in cujus tamen locum ab Italis istis librorum corruptoribus alium injectum non esse valde miror. & sane factum esset; si verba Silii & orationem claudere vel leviter subodorari potuissent. Hannonis sunt illa in Hannibalem. (3)

Quo ruis, & Patriae exitio tibi nomina quaeris?
Subsident Alpes: subsidet mole nivali
Alpibus aequatum attollens caput Appenninus.

tu inter duos priores versus hunc interjice.

Scilicet immensae visis juvenilibus armis

&, scribe longe scitissime:

Quo ruis, & patriae exitio tibi nomina quaeris
Scilicet immensae visis juvenilibus armis
Subsident Alpes.

quanquam boni illi viri paullo posterius alium illi Poetae versum de suo nimis liberales, ne dicam prodigi, invito sunt largiti. sic enim ibi est:

——— *ipse, adspice ductor*
Cum primam tenero vocem proferret ab ore

Jam

(1) *Lib.* 44.
(2) *Lib. Punic.* 2.
(3) *Eod. lib.* 1.

Jam bella & lituos, ac flammis urere gentem
Jurabat Phrygiam: atque animo patria arma movebat
Ultor erit cædis jam te spectante propinquæ.

Postremus enim versus γνήσιος non est, (a) καὶ ἐν πολλοῖς τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων οὐχ εὕρηται: neque vero ornandæ orationi sed enervandæ facit. Illud autem quam exercet veteres interpretes & recentiores criticos, quod paullo post apud eundem Poetam sequitur.

Sic igitur capta occultans ad limina sancta
Contendit Fidei, secretaque pectora tentat.
Arcanis Dea læta polo tum forte remoto
Cælicolum magnas volvebat conscia curas.
Quam tamen alloquitur veniæ pacator honora

sive, ut in melioribus est; *tali alloquitur veniæ pacator honore*.... quis enim hic est *veniæ pacator?* aut, quod interpretes nugantur, *alloqui aliquem honore veniæ*, pro eo quod est, *veniam præfari*. quis unquam Latine dixit aut scripsit; emendandum doceo, neque Minervas postulo;

Quem tali alloquitur Nemeæ pacator honore.

Nemeæ pacatorem quem & cur dicat explicandum non est. Herculem intelligi jam pueri norunt. sic enim concludit:

Hæc fatus Alcmena. contra cui talia virgo.

Sed quamvis in ereptis & redditis Silio hoc quidem capite versibus ratio convenit; neque possumus, etiam si verbum nullum addamus, reliquatores videri. Poetam tamen multis de caussis gravem nobis & gratum versibus aliquod mactare quam imminuere voluimus. igitur sic Juno Tisiphonem de Sagunto adloquitur:

——— *Hos noctis alumna*
Hos muros impelle manu; populumque ferocem
Dextris sterne tuis. Juno jubet ipsa propinqua
Effectus studiumque tuum, quo comprimit ora
Cerberus, ac mixto quæ spumant melle venena
Et quicquid scelerum, pœnarum quicquid & ira
Pectore fecundo coquitur tibi, congere præceps
In Rutulos . . . . . .

illud autem,

——— *ipsa propinqua*
Effectus studiumque tuum,

ita interpretes acceperunt, quasi dixisset; *propinqua*, id est, *propera effectus tuos*, quo tamen modo Romanos nunquam locutos fuisse Romanis præstare non verebor, lacuna est insignis, trium videlicet versuum defectus, quos subjiciemus; & omnem locum, quo debet constitui modo, repræsentabimus, scripsit primum Silius: cur id enim non asseverem?

——— *Hos noctis alumna*
Hos muros impelle manu; populumque ferocem
Dextris sterne suis

suis, inquam, non, *tuis*. suo enim fato & facto perierunt Saguntini, ut apud Silium posterius est videre. deinde subjunxit:

——— *Juno jubet. ipsa propinqua*
Effectus studiumque tuum de nube videbo.
Illa Deos summumque Jovem turbantia tela,
Quis Acheronta moves, flammam immanesque chelydros
Stridoremque tuum, quo territa comprimit ora
Cerberus, ac mixto &c.

vi-

(a) „ Et in multis Veterum exemplaribus non invenitur „.

vides his versibus appositis sibi sententiam constare; & a poetæ dignitate esse nihil alienum. Nolo hinc discedere, quin prius alium etiam Poetæ versum restituam. quod hæc inter se sint vicina; & uno curato alterum non sine periculo negligatur. est enim Eumenidos, qua de ante agebatur, descriptio.

Sibilat insurgens capiti, & turgentia circum
Multus colla micat squallenti pectore serpens.
Mors graditur vasto pandens cava guttura rictu.
Pectora circundant planctus, mærorque, dolorque:
Atque omnes adsunt pœnæ; formaque trifauci
Personas insomnis lachrymosæ janitor aulæ.

primum scribe;

. . . . . . Turgentia circa
Multus colla micat squallenti tergore serpens.

non, *circum*, neque, *squamoso* aut *squalloso*, quod alii habent, *pectore*, deinde hunc versum sententiæ supplendæ interjice.

Casuroque inhiat populo tum luctus & atri.

ad hoc emenda: *circumstant*, pro, *circumdant*, postremo nota *Pœnas* pro *furiis* poni. quod apud alios scriptores ab aliis est observatum. sed versus ipsi, ut legi debent, adjiciantur; & alio discedamus.

Sibilat insurgens capiti, & turgentia circa
Multus colla micat squallenti tergore serpens.
Mors graditur vasti pandens cava guttura rictu:
Casuroque inhiat populo tum luctus & atri
Pectora circumstant planctus: mærorque, dolorque,
Atque omnes adsunt Pœnæ: formaque trifauci
Personat insomnis lacrymosæ janitor Aulæ.

quanquam cur illud etiam,

Clara genus, clarumque trahens a sanguine nomen,

corrigendum esse non moneo, & Poetam vitio, quo infestus est, libero? scripsit enim,

Clara genus, Daunique trahens a sanguine nomen.

Unam modo mendam ab eodem auferam: eo quod non raro in aliis etiam scriptoribus occurrat. de Sagunto incensa loquitur.

Ardent tecta Deum. respondet imagine flammæ
Æquor: & in tremulo vibrant incendia Ponto.

tu scribe:

——— *resplendet imagine flammæ*
Æquor:

sic apud Manilium extremo libro *respondere*, pro, *resplendere* scriptum invenias.

Sic etiam magno quædam respondere mundo
Hæc natura facit . . . .

resplendere agnoscunt membranæ tertio ordine. fere enim secundus & tertius ordo, quod alii monent, apud antiquos promiscue in plerisque verbis communes fuerunt.

Munus Censorum, censores publicas ædes locabant, item locata spectabant; suppectus. lacunæ in Symmacho suppletæ. Symmachus castigatus. Inspectio & probatio. Festus correctus.

CAPUT V.

MUnus Censorum fuisse non tantum Civis cujusque facultates censere & de eorumdem moribus, sed etiam vectigalia publica locare publicasque tabulas con-

conſervare, (*a*) præter Livium, (1) Plutarchum, alios, Cicero (2) & Zonaras prodiderunt. & Cicero quidem in ficta illa libro de legibus tertin lege, *Cenſores*, inquit, *populi, ævitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento. nrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia, tuentor, populique partes iu tribus diſtribuunto: exin pecuuias, ævitates, ordines, partiunto: equitum, peditumque prolem deſcribunto: cælibes eſſe probibento: mores populi regunto: probrum in ſenatn ne relinquunto: bini ſunto: magiſtratum quinquennium babento*. Zonaras vero (3) ἔξῶ, inquit, (*b*) αὐτοῖς τὰς

Tom. IV. Xx προ-

(1) *Libr.* 29.
(2) *In Cat. Majore*.
(3) *Lib.* 3.

(*a*) Satis hic multa de munere Cenſorum a Carr. ooſtr. proponuotur, de eorum inſtitutioe nonnulla hic attingimus ex Sigon. de Antiq. jur. civ. Roman. 1. ac primo quidem lib. 1. cap. 14. ita ſcribente „ Cenſum autem Ser. Tullius „ Rex in Remp. intulit, atque ut hoc „ modo ageretur, ioſtituit. Populum „ univerſum jurejurando adactum for„ tunarum ſuarum æſtimatinnem apud „ ſe profiteri juſſit. qua cognita euo„ dem io ſex claſſes, & ceatum tres, „ ac nonaginta centurias, qui maximo „ eſſent ceoſu conjecit, io reliquas „ vero deinceps qui minore, ſervato eo „ cenſu, & centuriarum gradu, quem „ ſupra in claſſibus, & centuriis ex„ ponendis oſteodi. Inde vero cenſen„ di manſit inſtitutum, ut cives omoes „ io ſua quiſque tribu, claſſe, ceotu„ ria, jurejurando dato, apud eum, pe„ oes quem jus cenſendi populi eſſet, „ nnmina ſua, uxorum, liberorum, li„ bertorum, ſervorumque ſuorum pro„ fiterentur. præterea ætatem omnium, „ regionem, quam habitareot, & fortu„ oarum ſuarum æſtimationem deſerreot. „ Hoc autem jus primum regum; dein„ de Conſulum, & Dictatorum; poſtre„ mo proprio ad id Magiſtratu creato „ cenſorum fuit. Itaque Servius quater „ cenſum egit, quiotum P. Valerius, „ & T. Lucretius Cooſules anno poſt „ Reges exactos ſecundo, ſextum deceo„ nio poſt T. Lartius Dictator „ Ac deinde ſub Reip. ætatem de Inſtitutione cenſnrum verba ita facit, cap. 20. „ Anno inde ab urbe condita CCCX. „ cum Conſules perpetuis bellorum cu„ ris impediti cenſum in Civitate pera„ gere nequirent, Cenſores duo, qui „ quinto anno quoque ceoſum, luſtrum„ que facerent, inſtituti eam quoque cu„ rationis publicæ partem conſulibus ademerunt. Quod ſane longe antea ſic Liv. IV. 8. monuerat: Ortum initium rei eſt, „ quod in populo per multos annos in„ ceoſo, neque diſerri cenſus poterat, „ oeque Conſulibus, quum tot populo„ rum bella immineceot, operæ erat „ id oegotium agere. Mentio illata ab „ Senatu eſt, rem operoſam, ac mini„ me Conſularem ſun proprio magiſtra„ tu egere „. Sigonio vero addi commode poſſunt *Hotoman. de Magiſtrat. Romau*, *Robortell. de Magiſtrat. Imp. I. Lipſ. de Magiſtrat. Roman. Theſ. Antiq. Romau. Græv. Tom. II. p.* 1866. Aliiſq. complures, cenſorum inſtitutinnem, auctoritatem, munera diligenter perſecuti.

(*b*) In Corp. Univerſ. Hiſtor. Græc. præſertim Byzant. Editioois Pariſienſis apud Gulielmum Chaudiere A Cr. Nat. Ann. 1567. Tomo ſecundo Aonal. Zonaræ Fol. 58. nuper conjectæ io Hiſtor. Byzant. recuſa Venetiis per Barthnlom. Giavarinam ann. Cr. 1729. Tnm. X. Parte I. lib. 7. ſol. 263. Interpretes Du-Freſne & Du-Cange latine ſic vertunt „ Muneris eorum (ſcribe Cenſorum) fuit pu„ blica vectigalia elocare, vias, & pu„ blica ædificia curare, cujuſque facul„ tates deſcribere; mores Civium obſer„ vare & explorare: ac laude dignos in „ Tribus, in Ordinem Equeſtrem, io „ Senatum referre, pro cujuſque meri„ tis: improbæ vitæ bnmioes eodem modo „ ex albo delere, id quod majus erat „ iis omnibus, quæ Cooſulibus relinque„ bantur „ ea vero ipſa verba nobis exponere ſic eſt viſum, ut litteram exactius obſervemus „ Licebat ipſis vectigalia „ publica locare, & viarum & publico„ rum ædificiorum curam habere, & ta„ bulas

προσόδους τὰς κοινὰς ἐκμισθοῦν καὶ τῶν ὁδῶν, καὶ τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων ἐπιμελεῖσθαι, καὶ τὰς ἀπογραφὰς τῆς ἑκάστου εὐπορίας ἐκτελεῖν, καὶ τὸν βίον τῶν πολιτῶν ἐπισκοπεῖν τε καὶ ἐξετάζειν καὶ τοὺς μὲν ἀξίους ἐπαίνου ἐς τὰς φυλὰς καὶ ἐς τὴν ἱππάδα, καὶ τὴν γερουσίαν ἐγγράφειν, καθὼς ἑκάστοις προσῆκεν ἐνομίζετο, τοὺς δὲ οὐκ εὖ βιοῦντας ἀπανταχόθεν ὁμοίως ἀπαλείφειν, ὃ μεῖζον πάντων ἦν τῶν τοῖς ὑπάτοις καταλειφθέντων, & sane quod vectigalia publica locaverint, viarum publicarum curam susceperint, civium facultates æstimarint, in civium mores inquisiverint, & cætera his similia fecerint, testantur veteres passim scriptores, aliaque antiquitatis monumenta. neque alio pertinet, quod Festus ita scribit: *Lacus Lucrinue in vectigalibus publicis primus locatur ernendus, ominie boni gratia, ue in delectu, censuve, Primi nominantur Valeriur, Salvius, Statorius*, quo tamen loco, *fruendus*, scribendum esse moneo. sic enim in plerisque legibus verba concipiuntur. (1) *Censores agrum certa lege fruendum locaverunt. Censoree agrum Campanum fruendum locaverunt*, ut est apud Livium. (2) aliisque locis publicas etiam ædes & faciendas & reficiendas locasse supra docuit Zonaras; quibus leges duæ videntur fuisse appositæ quarum prima erat, ut *ædes inspicerentur* & opus factum probaretur. altera; ut *ædificia essent sarta tecta*. nisi forte legem hanc posteriorem ad ædificia publica pretio fruenda locata & tempore lege censoria comprehenso jam exacto restituenda velimus referre. certe, *sarea tecta*, in legibus censoriis fuisse ita scribit Festus. *Sarte ponebant, pro integre, ob quam causam opera publica, quæ locantur, ut integra præstentur, sarta tecta vocantur. etenim sarcire est integrum facere* item alio, *Produit*, inquit, *est porro dedit; ut est in lege Censoria*, PORTICUM. SARTAM. TECTAM. QUE. HABETO, PRODITO. sic enim legendum censeo. jubet lex conductorem porticus publicæ eam & sartam tectam porro dare, id est, restituere. quid? quod eadem verba in legibus Censoriis Ascanius Pedianus in Verrinam tertiam Ciceronis agnoscit? quo pertinent illa Livii (3) *Censorem moribus regendis creatum, cui sarta tecta exigere sacris publicis, & loca tuenda more majorum traditum esset*. idem alibi. (4) *Petentibus ex instituto, ut ad sarta tecta exigenda & ad opera, quæ locassent, probanda anni tempus prorogaretur*. quibus ex verbis certo mihi videor posse affirmare, formulam illam tam ad hos quam ad illos ut dixi, pertinuisse. sane Censores opus post locationem inspexisse, &, si, iis videretur, probasse facile doceri potest. de probatione jam locutus est Livius; & in lege Julia repetundarum plane exprimitur: *Illud*, inquit, *cavetur, ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum pubblice dandum, præbendum, apprebendendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta probata, præstita lege, erunt*. ut ait Macer. (5) lib. 1. judiciorum publicorum. de inspectione; & si satis verisimile est Censores opera locata inspexisse prius quam probarent: nullis tamen certis scriptorum testimoniis hactenus, opinor, doceri potuit. unum nunc in locum adferam, qui ita, quod dico, verum esse arguit manifeste, ut tergiversari nisi calumniator nemo possit. est is quem dico Aurelius Symmachus, (6) qui hoc ipsum publice testatum reliquit *Censorum*, inquit, *notio fuic spectare opera quæ locassent. hoc me negotium curare voluisti*. sed, ne quis erret, hæc in libris hactenus editis nemo inveniet, est enim epistola illa & mutila & multis vitiis deformis. membra aliquot addemus; reliqua sanabimus, primum illud, & si non sententia, oratione tamen ipsa claudicat; *vel quod tibi audiens*

(1) *L. 1. De loc. pub. fr.*
(2) *Libr. 27. & 42.*
(3) *Libr. 42.*
(4) *Libr. 45.*
(5) *Lib. 6. de L. Julia repetund.*
(6) *Lib. 1. Epist. 6.*

„ bulas cujuscumque facultatum æstimare, & in vitam Civium animadvertere, & inquirere, & laude dignos in Tribus, & in Equestrem ordinem, ac senatorium adscribere, sicut unicuique convenire existimabatur, eos vero qui non recte vivunt undequaque similiter delere, quod majus omnibus erat, quæ Consulibus relinquebantur.

diens esse debui. addunt membranæ: *dicto*, nimirum; *tibi dicto audiens esse debui*. deinde pro, *scalis suppositus*. sollemni illa consuetudine, *a*, litteram mutandi in, *e*, in vocibus compositis. Sic *defetiscor*, *defetigor*, *depeciscor*, *depectus*, *æquipero*, *sepero*, & his similia dicebant quod in Gellio notavimus. jam vero illud, *superiora conclavia crustis teguntur*, *ut compago solarum mentiatur*; leviter vitiosum est, tu scribe de vetere libro, *solidum mentiatur*. sequitur: *Columnis nihil amplius quam si tibi munere concessissent eas Bithyno lapide casas Sibene existimo*. Hæc jam non tantum sunt deformia; sed etiam monstruosa: utpote quibus neque caput sit neque pes. Caput est hujusmodi, ut quidem in statuam illam reponi debet: *Columnas nihilo amplius mercatus es*, *quam si tibi muneri contigissent*. pes vero hujusmodi addatur: *eas Bithyno lapide cæsas*, *si bene oculis utor*, *esse existimo*, *hactenus est quod scire debueris*. postremo fuit cum pro; *elicetationi* putarem, *ædificationi*, scribendum esse. de quo tu lector judica; &, quæ postrema vox epistolæ addi debet, *Vale*.

Quæstores & prætores candidati. munus edunt. post editionem amicis dona solemnia mittunt. diptychum. pugillares eborei & citrei.

Symmachi epistolæ duæ jam primum pubblicatæ. Martialis & Codex Theodosianus illustrati. Suidæ interpretatio rejecta.

CAPUT VI.

A Censoribus ad Quæstores veniam. quorum nonnullos fuisse, qui candidati principis dicerentur, quique solis libris principalibus & epistolis in senatu legendis vacarent, libro singulari de officio Quæstoris scribit Ulpianus. (1) ad quos diversas inscriptiones veteres referendas esse moneo: in quibus tamen quæstoris nomen sit appositum. erant enim & prætores candidati, tam peregrini quam urbani. de Prætore testatur inscriptio: in qua ita est,

C. OPPIO C. F. VEL
SABINO. JVLIO. NEPOTI
M'. VIBIO. SOLLEMNI. SEVERO
COS.
ADLECTO. A. SACRATISSIMO. IMP.
HADRIANO. AVG.
INTER TRIBVNICIOS. PR. PEREGR
CANDIDATO. AVG.

Et falluntur qui semper candidatum principis eum quæstore candidato confundunt: quos aperte vetus inscriptio in agro Tiburtino seperat. ea est:

L. CÆSONIUS. C. FIL. QUIRINA. LUCILLUS. MACER. RUFINIANUS. COS. FRATER. ARUALIS. PREF. URBI. ELECTUS. AD. COGNOSCENDAS. VICE. CÆSARIS. COGNITIONES PROCOS. PROV. AFRICÆ. XX. VIROS. EX. SENATUSCONSULTO. R. P. CURANDÆ. CURATOR. AQUARUM. ET. MINICIÆ. CUR. ALBEI. TIBERIS. ET. CLOCARUM. URBIS: LEGATUS. PROV. AFRICÆ. EODEM. TEMPORE. VICE PROCONSULIS. CURATOR. R. P. TUSCOLANORUM. CVRATOR. R. P. SVESSANORUM. PRÆTOR. KANDIDATVS QVÆSTOR. KANDIDAT. ELECTVS. IN. FAMILIAM. PATRICIAM. X: VIR. STLITIBVS. JVDICANDIS

Certe in inscriptione, quæ est in ædibus Cardinalis Cæsii, legitur:

QUÆ.

(1) *L. unic. De Off. quæst.*

ANICIVS. PROBINVS. V. C.
QVÆSTOR. CANDIDATVS

item in alia Romana, ne reliquas quæ sunt supra numerum necesse habeam referre, ita est:

RVFIVS. PRÆTEXTATVS
POSTVMIANVS. V. C. FILIVS
MAGNIFICI. VIRI. MARINIANI
PRÆFECTI. PRÆTORIO
ET. CONSVLIS. ORDINARII
QVÆSTOR. CANDIDATVS
PRÆTOR. VRBANVS. TRIBVNVS
ET. NOTARIUS. PRÆTORIANUS
PRÆFECTVS. VRBI. SECVNDO
CONSVL. ORDINARIVS. QVOS
TANTOS. AC. TALES. HONORES
PRIMO. ÆTATIS. SVÆ. FLORE
PROMERVIT.

Quæstorem autem *candidatum* non solum munus quæstorium exhibere; quod de filio suo sæpius testatur Symmachus, sed etiam dona solemnia amicis suis mittere consuevisse ex eodem Symmacho primus ostendam. sic enim scribit libro primo epistolarum; si membranis fides adhibetur. (1) *Religiosum atque votivum est ut a quæstoribus candidatis dona solemnia potissimis atque amicissimis offerantur. in eo numero jure censemini; offero igitur vobis eburneum indepticum & canistellum argenteum librarum duarum filii mei nomine, qui quæstorium munus exhibuit; & impendio precor ut hanc honorificentiam dignemini gratanter amplecti. valete.* sic liber manuscriptus, in iis epistolis quæ non sunt pubblicatæ. (a) omnino tamen legendum est, *diptyrhum*, non *indipticum*. probat id Symmachus, in epistola ad Sallustium, ad quem fortassis hæc etiam ipsa fuerit, (b) hujus ita meminit. (2) *Ad te diptychum candidati & apophoreticum librarum argenti duarum per hominem tuum misimus, approbare cupientes editioni te nostræ, non animo, defuisse.* quibus in verbis illud frustra virum eruditum torquet, *editioni non animo defuisse*: frustra etiam mutuandum putat: *non omnino defuisse*. vult enim Symmachus Sallustium quidem ab editione muneris Quæstorii adfuisse: animo tamen & memoriæ Symmachi adfuisse: ut qui memor illius apophoreta ipsi miserit, quæ non nisi præsentibus donari sint coulueta. item alibi. (3) *Inter hæc opinionum varia; quænam mittenda essent quæstoria dona, dubitavi. postquam mihi solvendi efficii occasionem tribuit adventus tuorum, Olarentio, cujus spectatam fidem noveram, consueta munerum deferenda commisi. non aspernabere; ut æstimo, diptychi & apophoretici oblationem.* & multo huic loco convenientius, libro secundo. (4) *Quæso igitur ut igitur ut ejus nomina diptycha & apophoreta suscipere dignemini, qui apparatui ejus plura & præclara tribuistis. Propterea Principi & domino nostro ad referendam largitatem ejus sedulam, magis quam parem gratiam, auro circumdatum diptychum misi, ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus & canistellis argenteis honoravi.* Igitur si postrema hæc epistola, cum ea, quam nunc publicamus, exacte conferatur, plane manifestum erit diptycha illa non aliud fuisse, quam pugilla-

(1) *Est epistola nondum edita.*
(2) *Libr. 5. Epist. 55.*
(3) *Libr. 9. Epist. 109.*
(4) *Epist. 81.*

(a) Fidei suspectæ, incertæque Sedis Epistola vulgata Parisiis Ann. Cr. 1604. locatur a Jureto in Auctario Symmachian. num.7., editaq. subinde Francofurti Ann. Cr. 1651. libr. VII., Epistola Symmachi LXXVI. a Philippo Pareo est habita.

(b) Ad Fratres a Jureto & Pareo hæc data Epistola perhibetur.

gillares tabulas, propterea, opinor, a Quæstoribus candidatis offerri solitas, quod iis ipsis essent in usu frequenti. sane Suidas ita interpretatur: (a) δυπτύχια δυὸ περιβόλαια ἔχοντα, ὡς τὸ μὲν ὑπεστρῶσθαι, τὸ δὲ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι; Pugillares vero in apophoretis esse vel ex Martiale (1) doceri potest. addam & illud, Pugillares eburneos semper videri duplices fuisse, omniumque, citreis exceptis, preciosissimos. cum enim Martialis apophoreta alternis preciosa & viliora commemoret, & primum Pugillares citreos pro preciosis, mox quincuplices pro vilioribus nominet; subjungit deinde pugillares eboreos his versibus:

——Languida ne tristes conturbent lumina ceræ;
Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

mox subjicit *triplices*, neque Diptychorum ullam mentionem facit. unde datur intelligi Diptycha plerumque eburnea fuisse. quæ cum Symmachus Imperatori mitteret, augendo illarum precio, auro circumdabat. erant igitur Pugillares citrei, ex tabulis citreis, duabus opinor erant Pugillares e cera, quincuplices; omniumque vilissimi; erant eborei citreis, ut dixi, precio proximi &, nisi vehementer fallor, nonnisi duplices, erant dehinc triplices, e philyra, ut opinor aut tilia aut cera; quod mihi ex iis Martialis verbis colligere posse videor:

——— non vilia dona putabis
Cum se venturam scribet amica tibi.

in corticibus, foliis, philyris, tiliis, cera amantes olim scripsisse & Græcorum & Latinorum Poetarum multa sunt testimonia. sequuntur Pugillares membranei & alii; de quibus alibi dicemus. Igitur illud constet Diptycha olim eborea fuisse: neque aliter Ulpianum libro vicesimo quarto ad Sabinum esse accipiendum, dum de tabulis eboreis loquitur. eodem enim fere modo Ulpianus (2) distinxit, quo nos distinguendum esse docuimus. sic enim scribit. *Librorum appellatione continentur omnia volumina: sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia. sed & si in philyra aut in tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in quo alio corio: idem erit dicendum. quod si in codicibus sint membraneis vel chartaceis vel etiam evoreis vel alterius materiæ, vel in ceratis codicillis: an debeantur videamus. & Cajus Cassius scribit deberi & membranas libris legatis*. Quæ cum ita sint; asseverare non dubito Pugillares duplices eboratos fuisse, nisi si essent citrei; eaque ratione Symmachum adjecisse *eburneis*, ut a citreis distinguerentur: cum tamen vulgo reliqui Pugillares essent e cera, & Pugillarium appellatione proprie Tabulæ ceratæ videantur contineri, sic enim scribit Plinius: (3) *Postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim usum fuisse etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum*. vides cerarum nomine Pugillares accipi. unum superest, quod est in caussa, cur hoc, quod posui, omnino semper certum esse, diffidam præstare. nam apud Herodotum in Diptychis ceræ mentionem video. sic enim apud illum est: si Suidæ (4) credimus, δελτίον διπτύχον λαβὼν τὸν κηρὸν αὐτοῦ ἐξέκνισεν, id est, inquit Suidas, ἐξέκοψεν quo tamen loco Suidam hallucinatum, vulgaremque scripturam quæ est, ἐξέκνησε. (b) verius est hac esse meliorem, non enim abscidit ceram sed abrasit. Hoc probant,

(1) *Lib. Ult. in Princip.*
(2) *Leg. 52. lib. De legat. 3.*
(3) *Lib. 1. Cap. 11.*
(4) *In voce* Ἐξέκνισεν.

(a) Dyptica duo velamina habentia, unum adversum, alterum vero aversum.

(b) Mira plus æquo fortassis Auctoris industria, qui in iis verbis ἐξέκνισε, & ἐξέκνησε nescio quam differentiam statuit: cum unum idemque denotent; atque non Suidam modo hallucinatum, qui ἐξέκνισε interpretatus est ἐξέκοψεν, sed nostr. quoque Carr., qui Ionicos cum Atticis confundit, errasse censemus.

vit, vicem additameoti subjiciam. quod additameotum neque cuiquam ingratum esse, neque superfluum videri posse confido. est autem hujusmodi.

Evocio (*d*) *meo gratulor, quod nostra in eum diligentia tuo amore vincatur. factum est quod volebam. nam potiorem de illo testimonii cautionem promiseram, quam sentire coepistis. Nunc apud te, siqua actuum meorum scire postulas, explicabit. tanta illa est utriusque nostrum ex familiaritate fiducia, ut & de me nihil possit ignorare & apud te nihil possit occulere. Vale.* hæc ille.

Ratio Manilianæ in signis videntibus & audientibus demonstrata. Manilius pluribus in locis correctus; idem ab ἀλογιστίᾳ excusatus & defensus.

CAPUT VII.

SI quis est eorum, qui in critico isto scribendi genere versantur, qui sibi faa & æquum esse existimat antiquos Scriptores, sicubi videntur offendisse, reprehendere, illisque temeritatis, negligeotiæ atque adeo inscientiæ dicam scribere: idem ille sic existimet, eosdem illos Scriptores a reprcheosorum calumoiis vindicare, illisque ipsis & cum iis Reip. litterariæ veterem suam dignitatem & auctoritatem asserere optimum factum videri. Neque vero quisquam, opioor, ita his in studiis arcem occupavit & regnum possidet; ut alios seorsum in aliam ire sententiam seque reprehendi debeat indignari, qui quidem veteres illos omnis doctrioæ melioris & sermonis Latiaris Magistros palam accusare, &, judicis deinde Persooa sumpta, non dubitarit coodemoare. quanquam oe quis erret, nihil hic a oobis animo reprehendaodi scribetur; oeque ut ita scriptum a quoquam velim accipi. sua taotum Poetæ scriptura reddetur, & scripturæ senteotia explicabitur. est is, de quo loquor, Manilius. cujus versus περὶ τῶν ἀκουόντων καὶ τῶν πλεπόντων, hi suoc.

> *Consilium ipse suum est Aries, ut principe dignum est,*
> *Audit sed Libramque videt frustratur amando*
> *Taurus, Lanigero qui fraudem nectit & ultra*
> *Fulgentes videt atque audit per sidera Pisces.*
> *Virgine Mars capitur, sic quondam gesserat ante*
> *Europam dorso retinentem cornua læva*
> *Indutusque leve. Geminorum ducitur aure*
> *Ad juvenem æterno fundentem Piscibus undas.*

versus plures fuerunt adscribeodi, ut de Poetæ seotentia constare possit, & mendæ ex illis tollerentur. ait igitur. *Arietem seipsum audire, Libram vero videre Taurum amare.* quod tamen ex his versibus noo temere collegeris. corrige itaque de vetere libro:

> *Audit se Libramque videt, frustratur amando*
> *Taurum:*

——*Lan*

---

recensente Philippo Pareo, in qua productæ Symmachi Epistolæ num. XL. Lib. 2. nemioe renuente adjudicatur, duas postremas Editiooes tametsi non adeat, quod oempe sint Carrione posteriores, primam tamen recte si consulat, Parisieosem scilicet ann. 1580. Symmachi proferendam Epistolam *sub prælo nondum laborasse*, num saoe a nostr. Auctore sit dictum Sapiens judicet Lector.

(*d*) Facta est per Carrionem Nominis immutatio, num beoe, an male pronunciare noo audemus; unum affirmamus in tribus relatis antea Codicibus ad Flavianum Fratrem esse datam Epistolam, nec non pro τὸ *Evocio, Ignacio* communissime legi.

addit deinde *Taurum videre & audire Pisces*, *amare Virginem*, *odisse Arietem*. hoc est enim;

——— Lanigero qui fraudem nectit & ultra
Fulgentes videt atque audit per sidera Pisces.
Virgine mens capitur.

in quibus illud primum moneo, vocem, *nectit*, in membranis deficere: neque aliam ullam locum illius occupare. deinde in iisdem illis esse; *Virgine mens capitur*: non, ut est vulgo; *Virgine Mars capitur*, neque, ut viri docti de conjectura mutant, *Virgine amans capitur*. sequitur.

——— si quondam gesserat ante
Europam dorso retinentem cornua læva.

tu scribe: *vexerat ante*, si membranas audis. subjungit Manilius *Geminos audire Aquarium*, *videre Leonem*, *amare Pisces*. sic enim canit.

——— Geminorum ducitur auris
Ad juvenem æternas fundentem Piscibus undas,
Inque ipsos animus Pisces oculique Leonem.

recta est ea Viri doctissimi emendatio: cum antea perperam scriberetur; *ducitur aure*, & *animum*. quanquam in libro vetere videtur fuisse scriptum;

Indutusque Jovi Geminorum ducit & aures.
Inque ipsos animum Pisces.

quomodo etiamnum in antiquiore editione Aldina exstat. scripsimus nos; *oculique*, pro, *oculusque*. quod ita esset in antigrapho. adiicit Manilius *Cancrum & Capricornum esse signa αὐτόβλεπτα*, *mutuo se audire*, *Cancrum amare Aquarium*, *Capricornum vero Geminos*. sed id ex verbis Manilii, ut hodie quidem scribuntur, nequaquam datur intelligi.

Cancer & adverso Capricornus conditus astro
Vertitur in semet oculis immutaque tendit
Auribus.

in quibus illud, *Vertitur in semet*, eum de signis duobus loquatur, cui orationis Latinæ perito potest satisfacere? nam quod Vir doctissimus pro *immutaque tendit Auribus*, tentavit scribere: *immotaque tendit Auribus*, ut illa videlicet dicantur ἀντακούειν id Manilianum non est; scripsit Manilius.

In semet vertunt oculos, qui in mutua tendunt
Auribus.

hoc est: seipsa vident, & mutuo inrer se audiunr. ut jam dixi. quo pacto intelligentur ἀλληλακοεῖν: neque ulla erit Manilii ἀλογιστία, quam superior emendatio secum adducebat. Igitur supra ab inscitia & temeritate Manilium, hic etiam ab ἀλογιστία vindicavimus: quam doctissimi Critici in scriptura Maniliana non invenerunt, sed domo secum allatam in versus Manilianos importarunt. adeo est

Periculosæ plenum opus aleæ

de sola opinione & conjectura: ubi veteribus libris destituaris, scriptorem velle castigare & sane is jactus feliciter raro cadit. quis enim est qui quid Poetis olim in mente fuerir scribere, divinare se posse confidens præstabit? quod ne ipsi quidem Etruriæ facile donaverim. & ut in uno atque altero loco vel acumine ingenii vel indicii sollertis Scriptoris sensa consequi nos posse concedamus: certe in reliquis erit necesse frequenter aberrare: ne quis nunc nudas conjecturas alienis scriptis inserendas credat. Sequitur in Manilio:

——— Et Cancri captatur Aquarius astro.

amat enim *Cancer Aquarium*, *& Aquarium Cancer*, ut infra dicetur: qui amor est cultu optimus, quod ille ajebat. *Leo videt Geminos*, *audit Centaurum*.

At Leo cum Geminis aciem conjungit, & aures
Centauro. ———

sic enim membranæ. & posteriorem emendationem vidit Vir doctissimis. *Virgo Tau-*

Taurum videt, Scorpium audit, odit Sagittarium. Libra se audit, Arietem videt, amat Scorpium. de quo Poeta.

——*Animo complexa est Scorpion infra.*

postrema vox in membranis non est. & certe videtur in alterius nescio cujus locum esse subrogata. quod quale sit, absque libris veteribus sit, non facile dixeris. *Scorpius videt Pisces, audit Libram. Centaurus videt Aquarium, audit Leonem, amat Virginem.* ait enim.

——— *oculis signum fundentis Aquari*

Conspicere assuevit.

membranæ: *sinum fundentis.* etiam recte & eleganter. non enim aliud est *sinus* quam vas: quemadmodum ad illud Virgilii in Bucolicis. (1)

Sinum lactis & hæc te liba Priape quotannis.

Expectare sat est.

annotavit Servius quale est apud Plautum Rudente: (2)

Talentum argenti commodum magnum inerat in crumina

Praterea sinus, epichysis, (a) cantharus, aulus, cyathus. (b)

& cum id genus vaso pingebatur Aquarius: ut in antiquissimis Arati Phænomenis aliquando vidimus apud nobilem & eruditissimum virum Jacob. Susium. cujus longe doctissimus in hunc Poetam commentarius si, quod omnes deside ramus, aliquando edetur in lucem, ab omnium reprehensione omnium suffragiis Manilius absolvetur. Pergamus ad alia. *Capricornus seipsum videt, audit Cancrum, amat,* ut dixi, *Geminos.* seipsum, inquam, videt. sic enim supra dixit:

In semet vertunt oculos.

Miror sane viros doctos hæc accepisse. quasi dixisset Poeta Capricornum videre Erigonen. quod si fecisset: caussam non posset dicere, quum a seipso dissensisse argueretur. sed aliter se res habet. vult Capricornum videre seipsum, ut supra ostensum est, audire vero Cancrum. de quo jam dixerat: (3)

——— *in mutua tendunt*

Auribus.

Aquarius audit Geminos, videt Sagittarium, Cancrum amat, & a Cancro amatur. supra dixit:

——— *Cancri captatur Aquarius astro.*

hic vero:

At nudus Geminis intendit Aquarius aurem

Sublimemque colit Cancrum, spectatque reducta

(1) *Eclog.* 8.
(2) *Sc. Penult.*
(3) *Hujus libr. cap.* 1.

(*a*) Vasorum plurima hic genera recensentur, ad *Epichysin* quod attinet in hunc Plaut. loc. ita Taubman.. *Vas vinarium, e quo in cyathos vinum affundebatur: Furn. lib.* 22. 30. *vide, & Varr.* 4. *de L. L. & Scalig. ibid., ubi docet, apud pollicem vasis etiam coquinarii genus esse:* Itemque de Gaulo, *vasculum*, ait esse, *in formam cymbii*, poculi nempe genus oblongum, & angustum, cymbulæ, scilicet parvæ navis figuram exhibens, de quo Virgil. Æneid. III. *66.*

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

(*b*) Andreas Alcitus in Lexico de vocibus Plauti V. *Epichysis Gaulus* item de Epichysi „ Epichysis, inquit, „ Vas sive Cyathus quo vinum dabant „ ut guttatim funderent „: addit subinde de Gaulo „: Gaulus vasculum in formam „ cymbii erat, ut ait Festus, Gaulus „ navigii genus rotundum; Gaulus e„ tiam dicebatur vestis genus ad simi„ litudinem talis navigii conformatum.

CAPUT IX.

E*Jusmodi quispiam, qui tumultuariis & modicis linguæ exercitationibus ad famam se facundiæ permiserat, neque orationis Latinæ usurpationes veras didicerat, cum in Lycio forte ambularemus, ludo ibi & voluptati fuit*. scripsi; *orationis Latinæ usurpationes veras didicerat*. nam neque, *modos*, neque aliam illam orationem membranæ recipiunt. & hæc est, aut vehementer fallor, sua Gellio scriptura. Contra nunc faciam; & caput Gellii in fine non tantum a scriptura, sed etiam verborum trajectione mendosum, corrigam, suumque in locum omnia reponam; verba hæc sunt. (1) *Marcus autem Varro de re rustica* 3. Μελισσῶνες, *ut* ἀμπελῶνες, *id est*, δαφνῶνες, *inquit ita facere oportet, quæ quidem mellaria appellabant: sed hoc verbum, quo Varro usus est Græcum est nam* Μελισσῶνες *ita dicuntur*. sic Gellius in veteribus etiam editionibus, quibus ex verbis annotarunt viri docti locum Varronis hodieque corrupte & imminute legi, & ad exemplar Gellianum corrigendum videri. ego vero, quod cum bona illorum gratia velim dictum, aliter certe sentio & nihil in Varrone mutandum esse judico; verba Varronis sunt. Μελιττῶνας *ita facere oportet, quos alii* μελιτροφεῖα *appellant, eamdem rem quidem mellaria*. unde in Gellio eandem lectionem repone; nisi quod μελισσῶνες in μελιττῶνες vulgata illa dialecti ratione mutari nihil est necesse, quanquam valde dubito sintne ea Varronis Germana; μελιττοτροφεῖα, *eamdem rem*. & certe videntur abesse posse. Jam vero, quæ sequuntur in Gellio, plane sunt corrupta, & hoc genere corrigenda, *sed hoc verbum, quo Varro usus est, Græcum est. nam* μελισσῶνες *ita dicuntur, ut* ἀμπελῶνες, *item* δαφνῶνες. pro, *id est*, scripsi, *item*: quod scirem plerumque plerisque in libris omnibus illa, *idem*, *id est*, inter se locum commutare; ut in notis nostris ad Codicem Justinianeum observavimus: deinde quid est facilius, quam ut *idem* ponatur pro *item*. fons hujus erroris est compendium. hoc litterarum; *idem* quo utrumque solet designari. neque enim δαφνὼν alterius vocis potuit esse interpretatio, cum hac quidem locus lauru, illa vero vineis consitus significetur. Suppleat caput verbum aliud in Gellio, Macrobio, aliis veteribus scriptoribus plerumque mutatum; in paucis etiamnum superstes *Infrunitum* dico: quod hodieque exstat in Seneca (2). *Infrunita*, inquit, *& antiquaria est, quæ nesciat matrimonium vocari unum adulterium*. mutarunt correctores in eodem Seneca & in vocem confinitimam transtulerunt (3). *Sapiens*, inquit, *nec jactabit opes, nec abscondet. alterum infirmi animi est, alterum pusilli & timidi*. tu scribe: *infruniti animi est*. sic in glossis, *infirmus*, pro, *infrunitus*, legi parum abest quin asseverem: ἀπειρόκαλος, *infrunitus*, *insolens*. nam ἀπειρόκαλον esse *infrunitum* & ἄφρονα, seculum est cum alii docuerunt, ne quis eorum, qui hodie vivunt, id sibi præsumat arrogare. mutavit etiam in Gellio. (4) *Nam & gratia*, inquit, *si nimia quidem atque immodica, & mores, si multi atque varii, & verba, si perpetua & infinita, & obtundentia, & fama, si magna & inquieta, & invidiosa sit, neque laudabilia neque utilia sunt*. hic libri veteres; *infrunita & obtundentia*. nihil pote melius, nihil concinnius. Alios etiam aliorum scriptorum locos eadem in voce peccantes olim in adversariis meis annotaram. sed illis absentibus cogor his contentus esse; & reliqua aliud in tempus rejicere.

CA-

(1) *Libr. 2. cap. 20.*
(2) *Libr. De Benific. 3.*
(3) *Libr. De vit. Beat. ad Gallion.*
(4) *Libr. 4. cap. 9.*

Assa pro nutricibus. ejus rei testimonium nunc primum inventum. de Varronis loco apud Nonium judicatum. Mureti conjectura probata. Juvenalis emendatus & Varro.

CAPUT X.

ASsas, inquit Nonius, (1) *nutrices ob eam proprietatem officii eo nomine nuncuparunt, quod assint iis quos nutriant, nec vel exiguo tempore ab illis divellantur.* quæ vocis illius notio etsi est certa, cum & glossæ cotidianæ interpretentur, *Assa*, τροφός: exemplum tamen eam in rem hacteous adduci nullum potuit. Vir eruditus in verbis Varrooiaois nescio quibus sese arbitratus reperisse apud Nonium; quæ ita quidem vulgo sunt concepta. *Varro. Assanos multos quod ea parere non poterat mulier foras* (2) *betere jussit.* emendat vir doctus: *Assa non multo post, quod ea parere non poterat mulier, eum betere foras jussit.* Muretus vero homo eloquentissimus & omni liberalium disciplinarum cognitione non tinctus leviter, sed plaoe imbutus hæc ad Sp. Caruilium (3) referebat, qui, quod nxorem liberum quærendorum causa censori se habere juraverat, mulierem sterilem a se dimisit: & hoc modo legebat: *a se annos multos quod ea parere non poterat mulier, eam betere foras jussit.* Mureti, si verum fateri volumus, emendatio & interpretatio ad veteres editiones librosque calamo descriptos propius accedit: in illis est: *Betere, id est, ire. Varro Assanos multos, quod parere ea non poterat mulierem foras betere jussit.* at in istis hæc sunt veræ lectioois vestigia: *Betere, id est, ire.* Varro ΤΟ ΡΥΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΡΑΙΙΝ ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΟΠΟΙΙ.. *Assano, multos, quod parere ea non poterat, mulierem foras betere jussit.* ex quibus vestigiis etsi Varroniaoi libri titulum hoc quidem capite non libet eruere, quanquam nihil erat facilius: hoc tamen aperte liquet de *assa* verbum ibi fuisse nullum. primores enim illas litteras, *as*, ad vocem proxime præcedentem pertinere, ut scribatur: παιδοποιίας, quod & Junius moouit, quis non videt? & ipse libri titulus pro Mureto dicit. Jam *anos*, pro, *annos*, scripsisse veteres testantur Grammatici & subscribunt inscriptiones. Igitur fuit apud Varronem; *annos multos quod ea parere non poterat, mulierem foras betere jussit.* illud, ne de Caruilio accipiatur, videtur obstare, quod mulierem *non posse parere*, pro eo quod est *sterilem esse* non satis Latine dici posse videatur. quod tamen hac in parte tolerandum esse existimaverim: quod videlicet, vitio corporis aut alia quavis de caussa non potuisse parere dixerit fortasse Varro. quod Latinum esse nemo negaverit. quis eoim scit, quæ verba huic orationi proxime fuerint conjuncta? Gellius certe, seu potius Sulpicius noster libro de dotibus, ita locutus est, ut dixerit vitio corporis liberos ex ea non fuisse genitos. verba sunt. *Cum Sp. Carulius, cui Ruga cognomentum fuit, vir nobilis divortium cum uxore fecit, quia liberi ex ea vitio corporis non gignerentur, sed ad rem ipsam veniamus.* dico igitur vocis illius, de qua supra scripsit Nooius; mentionem in scriptoribus vix ullam reperiri: certe nusquam esse demonstratam. Nos unum & certum testimonium afferemus. Igitur quod apud Juvenalem (4) legitur:

Hoc monstrant vetulæ pueris poscentibus assem.
Hoc discunt omnes ante alpha & beta puellæ.

aliter in aliis membranis esse jam olim observavimus. at nunc veram loci illius scripturam in annotationibus interlinearibus libri vetustissimi, qui est penes eruditum & virtutis omniumque disciplinarum studiosissimum juvenem Maillardum Soterinm tandem deprehendimus. est enim eo in libro, quod Petrus Colvius & Paul-

(1) *In voce* Assas.
(2) *In voce* Retere.
(3) *Libr. 15. var. lect. cap. 15.*
(4) *Sat. 14.*

Paullus Gulielmius homines insignite docti nihilque veteribus illis Brugensibus & Batavicis ingeniis cessuri testabuntur, hunc in modum

Hoc monstrant pueris vetulæ poscentibus assem:

& suprascriptum, vel *reptantibus asse. id est, a lacte siccatæ*. frigida est illa, quis ignorat? interpretatio: adde etiam inepta: scriptura tamen, quæ pro variante lectione suprascribitur, longe certissima scripsit Juvenalis

Hoc monstrant pueris vetulæ reptantibus asse.

quo quid aliud præterquam dixi, potest significari? vidi & membranas, in quibus esset:

. . . . . pueris repetentibus assem.

extra ordinem syllaba illa, *pe*, adjecta. quod videlicet glossema illud, *poscentibus*, extorsit: & vox vulgo ignara erroris est origo. Ut se res habet: ejus, de quo jamdiu quæsitum esse video, exemplum reperi: neque reperisse me parum lætor. quod illis ipsis etiam viris longe doctissimis probari permehercule desidero.

Adulterare rationes. Adulteratores monetæ. Adulterinum signum vel symbolum. Adulterare faciem. Ovidius correctus. Altero. Consortes Superi. Princeps. Consortium. Varus. Desultor. Ex Ovidio multæ maculæ sublatæ: una atque altera ex Manilio.

CAPUT X.

VEre scripserunt, qui juris civilis auctores proprietatis in verbis retinentissimos esse tradiderunt: ne quis id de solo aliquo JC. capiendum esse existimet. multa sunt apud illos, quæ linguæ Latinæ ignoratione parum proprie videntur dicta, quibus tamen elegantius nihil reperiri potest: quorumque exempla in optimis loquendi magistris exstarent hodie, si librorum corruptores exstitissent nulli. Sic quia nnnnullos veterum, *adulterare*, pro, *corrumpere*, & aliam in formam transmutare dixisse comperio, quemadmodum dixit Plinius: (1) *piper longum facillime sinapi Alexandrino adulterari*, & ipse Cicero (2) simulationem esse vitiosam eamque *tollere judicium & adulterare*: id proprie a Jureconsultis esse video: apud quos ea tralatione, si tamen est tralatio, nihil est frequentius. Ulpianus (3) libro vicesimo tertio ad edictum. *is quoque deteriorem servum facit, qui servo persuadet ut injuriam faceret, vel furtum, vel fugeret, vel alienum servum ut sollicitaret, vel ut peculium intricaret, aut amator existeret, vel erro, vel malis artibus esset deditus, vel in spectaculis nimius, vel seditiosus, vel si actori suasit verbis sive precio ut rationes dominicas intercideret, adulteraret, vel etiam ut rationem sibi commissam turbaret*.. ita etiam Adulteratores monetæ dicuntur Claudio Saturnino (4) ibi gravius plecti, ubi metalla sunt. reliqua omitto. Festus certe adulterina Signa esse prodidit, alienis annulis facta. quo plane Plauti illud pertinet Bacchidibus. (5)

Eo præsente homini repente ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
Ni. Quid, ubi ei ostendit symbolum? Chr. Infit dicere
Adulterinum, & non esse eum symbolum.

Eleganter eadem voce usus est Ovidius, si antiquam illius scripturam vetustiores Critici superesse voluissent. sic enim apud illum legitur de Proteo:

Ille suam faciem transformat & alterat arte.

(1) *Lib. 12. Cap. 7.*
(2) *Libr. de Amicit.*
(3) *Libr. 1. §. ult. De Servo corrupto*
(4) *L. 26. De Pœnis*
(5) *Sc.* Ibo in Piræum.

atqui io membranis ea, de qua jam dixi, loquendi ratio permansit.

Ille suam faciem transformis adulterat arte.

Præ qua seriptura, qui aliam illam adulterioam esse non videt, antiquorum scripta adulterari non idfficulter patiatur nam hoc, *altero* Latinum esse oego; nec eam in rem exempla adduei posse, nisi quis aliter me doceat, ooo dubitabo asseverare. illud quoque in eodem Poeta (1)

Consortes operum, per quas correcta vetustas
Quernaque glans victa est utiliore cibo,

a jure tractum est, in quo qui eonsortes dicantur oemo potest ignorare. & quamvis Ciceronem (2) ita loqui meminerim ut *quem gloriosi laboris* itemque *mendicitatis consortes*, dixerit: verior tamen mihi videtur membraoea scriptura, quæ est;

Consortes Superi, per quos correcta vetustas.

absolute *consortes* dixit, ut idem alibi Cicero, (3) *Cum ex agro tres fratres consortes confugissent*, *consortem* glossæ interpretantur *κοινόβιον σύγκληρον*, & *consortium κοινωνίαν*. fefellit correctores istos, quod Tellurem & Cererem Superos vocari posse non existimarent: quod tameo apud Græcos & Latinos frequens est; Absolvant hoc caput alia quædam errata, sed ejus tamen generis, ut ea toll quam ibi manere multo sit melius. (4)

—— sors est ita reddita: Matri
Qui dederit primus oscula, victor erit.
Oscula quisque suæ matri properata dederunt.

in his posterioribus duobus versibus glossemata veræ scripturæ locum occuparunt. nam & *primus*, ibi est, eum sit in libris calamo exaratis; *princeps*: item, *dederunt*, pro, *tulerunt*. eadem quidem diversis vocibus significantur. quis negat? sed eur non sua potius Poetæ verba conserventur, quam aliena violenter obtrudantur? tale etiam est, quod, apud eundem Ovidium aliter atque aliter aliis io libris legitur. (5)

Carmine numen habet exterrita cornibus Io,
Et quam fluminea lusit adulter ave,
Quæque super pontum simulato vecta juvenco
Virginea tenuit cornua vara manu.

nam etsi his versibus, quod quidem ad seotentiam pertinet, nihil desiderari posse videatur; ea tamen scriptura, quæ io antiquissimis libris pæne fugitiva est, orationem, ut mihi quidem videtur, eoneioniorem reddit. est autem hujusmodi.

Carmine nomen habet exterrita cornibus Io,
Et quam fluminea lusit adulter ave,
Quæque super pontum simulato vecta juvenco
Virginea tenuit cornua falsa manu.

nam, ut priora mittam, illud quam elegaos quod *cornua vara* dixerit? & quis non videt hane vocem io illam potius quam contra mutari potuisse? nam etsi Plaut. (6) & Lueilio, (7) interpretante etiam Nonio, *vari sunt obtortis plantis*, unde etiam cognomina *Varorum* a eruribus sicut Plancorum & Plautorum Plioius inventa esse scribit: (8) noo inseite tamen alio vox illa torqueri potest, & torsit sane Ovidius, (9) cum scripsit;

Brac aque opposui: tenuique a pectore varas
In statione manus.

item

(1) *Eod. Libr.* 1. *v.* 675.

(2) *Libr.* 2. *De Clar. Orator. & in Orat. Pro Flacco.*

(3) *Verr.* 5.

(4) *Libr.* 2. *v.* 713.

(5) *Libr.* 1. *Amor. eleg.* 3.

(6) *In Milit. Se.* Cohibere *& in Mercat. Se.* Sumne Ego.

(7) *Sat. Libr.* 17.

(8) *Libr.* 11. *Cap.* 45.

(9) *Libr.* 9. *Metam. v.* 33.

item Martialis (1) epigrammate ad Atticum.

Vara nec intecto ceromate brachia tendis:
Non harpasta vagus pulverulenta rapis.

sic enim optime liber Clariss. Puteani, non, quod in aliis esse audio: *Rara*. sed, ut dixi, parum id ad rem pertinet. illud eadem in elegia majoris est momenti, quod ita scribitur:

Non mihi mille placent. non sum desertor amoris
Tu mihi, si qua fides, cura perennis eris.

an, quæso, si illi mille non placent, propterea continuo necesse est consequi eum Amoris desertorem non esse? at scimus Latinis desertores dici, qui stationem suam deserunt, quos Græci λειποτακτὰς vocant, an vero, quod alii volunt, significat neque se Amoris desertorem neque tamen in multis deditum sed una contentum esse? quo sane, si vulgata scriptura retineatur, nihil poterit aptius excogitari. sed prius illud nolebat Poeta dicere. tantum dicebat, unam sibi placere: neque se in amore modo huc, modo illuc ferri. quod ex his verbis confici non potest, scribe, igitur:

Non mihi mille placent. non sum desultor Amoris.

Ut enim desultores, quos ἀμφίππους appellant, ex aliis in alios equos transsilire consueverunt, aut ut ait Livius, inter acerrimam pugnam in recentem equum ex fesso quibusdam armatis desultorium in modum transultare mos est: sic contra negat Ovidius se ad eum morem desultoria levitate nunc hanc nunc illam amare. Glossis *desultor* est μεταβάτης, ζεύξιππος. Servio vero, &, qui ex eo transscripsit, Isidoro; (2) *qui cum ad finem cursus venit desilit, & de equo in equum transilit*. de quo præclari sunt illi Maniliani versus. (3)

Nec non alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum & stabiles poterit defigere plantas
Per quos vadit equos ludit per terga volantum
Aut solo vectatur equo nunc arma movebit,
Nunc licet in longo per cursus præmia circo,
Quicquid de tali studio formatur habebit.

ita membranæ versus illos concipiunt. ad quem locum Manilii illud Ciceronis pro L. Muræna non male referri potest, si Firmici interpretationem sequimur, *Respondebo igitur Postumio primum: qui nescio quo pacto mihi videtur Prætorius Candidatus in consularem quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* desultor enim & quadrigarius plerumque conjunguntur. M. Varro de re Rustica, (4) *Peritus belli alios elegit atque alit ac docet, aliter quadrigarius ac desultor,* sed de desultoribus in circo præmissis, itemq; aurigis Vertumvis accurate scripsit Beroaldus. (5) cui illud solum adiiciam, Ulpianum libro tricesimo secundo ad edictum tradere, *Apud Labeonem quæri si tibi equos venales experiendos dedero, ut, si in triduo displicuissent, redderes, tuque desultor in his concurreris & viceris; deinde emere nolueris, an sit adversus te ex vendito actio. & putare se præscriptis verbis agendum.* Sed & nos alio transsiliamus.

Mini-

(1) *Libr.* 7.
(2) *Lib.* 1. *Orig.* 18.
(3) *Libr.* 5. *Astr.*
(4) *Libr.* 2. *Cap.* 7.
(5) *In Libr.* 1. *Apul. De Asin. Aur. it. in Cæs. Sueton. & in Quart. Propertii.*

Minitari vana. medius exacti teli. Kartalo. umbrare. umbratus. tres versus Silio redditi. Manilius emaculatus. navis. versus aliquot Silii nondum visi in lucem proferuntur. Pœnicus ignis. Zancle. parcus lacessere. Silius emendatus.

CAPUT XI.

NOn parum indignor, si quando viros ceteroqui doctos neque male de studiis humanitatis meritos, correctionis specie, veteres scriptores corrupisse deprehendo. poterant sane & illi labori suo parcere, & famæ crescentis sibi segretem non incidere. non longe abiero. Aldus Manutius rudi illo adhuc & vix ad harum litterarum lumen connivere audente sæculo rem litterariam juvisse multis nominibus existimari debet. Silium tamen Italicum nunquam lego, cujus ego lectione tum propter antiquorum Poetarum imitationem, tum historicam rerum Pœnicarum narrationem, quam ad Livii & Polybii exemplar conformavit, non mediocriter me capi, Græculo licet Marullo indignante, libenter fateor; nunquam tamen Silium lego, quem ille se cum suis & auctiorem & meliorem de veteribus libris edidisse profitetur, quin & Poetæ vicem doleam, & de boni illius viri fide dubitare incipiam. quam multa sunt in illorum editione, & priore Lugdunense deteriora & a librorum veterum scriptura prorsus abhorrentia? longum sit enumerare singula & jam locorum aliquot correctiones alibi proposuimus. nunc paucas etiam subiiciemus. Quod igitur apud illum Poetam est, de Hannibale Saguntum opugnaturo: (1)

> ——— *verba ocius acer.*
> *Intorto sancit jaculo: figitque per arma*
> *Stantem pro muro & motantem membra Vaicum.*

id in Lugdunensi exemplari, non quidem emendate, minus tamen corrupte legebatur:

> ——— *Motantem membra Caicum.*

scripsit Aldus, *motantem tela Naicum*. hinc alii nescio quas lectionum ineptias exsculpserunt: dum quidam scribunt:

> ——— *monstrantem vana Naicum*

& alii aliter. atqui vera & certa est scriptura, quam in membranis invenias:

> ——— *minitantem vana Caicum.*

Simile est illud, quod proxime sequitur: (2)

> *Concidit injecto medius per viscera telo.*

sic enim Aldus mutavit: eum antea scriberetur & vero scribi deberet:

> *Concidit exacti medius per viscera teli.*

& infra ubi habent membranæ: (3)

> ——— *qua molo sonantes.*
> *Exigit ille trabes?*

scripsit Aldus. *Coniicit ille trabes*. ignorarunt videlicet pulcherrimum loquendi genus. Jam versus etiam integri eadem in editione fuerunt omissi, nec post aliis in editionibus sedem suam reciperare potuerunt. nam post illa:

> *Perque ipsum tegimen crepitantia dissipet ossa,*

sequitur in Aldino:

> *Tum Masulus crudaque virens ad bella senecta*
> *Hartalo.*

Vetustissimæ tamen publicatinnes & membranæ, duos versus iis proponunt, & omne illud hunc in modum legunt:

Tum

(1) *Libr. 1. Punic.*
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*

Tum frontem Chremes intonsam umbrante capillo
Septus, & horrentes effingens crine galeros,
Tum Masulus crudaque virens ad bella senecta
Kartalo non pavidus setas mulcere leaenas.

in quibus, ne quid dissimulem, duo sunt quae praeter editiones mutavi. primum enim, *Kartalo*, scripsit, noo, *Harsalo*. quod ita esset in membranis. deinde, *umbrante*, noo, *vibrante*, aut, quod alibi est, *viberante*. vox ea saepe in veterum scriptis est corrupta. rem ipsam auctorem dabo. Quod apud Manilium legitur: (1)

Sed solus vacuo veluti jactatus in orbe
Verbera tum currus non occursantibus ullis:

id viri docti satis feliciter, quantum quidem conjectura potuerunt consequi, ita perscripserunt:

Verbere agam currus non occursantibus ullis.

ἡνιόχως, inquam, noo tamen satis ex mente Manilii: quem constat scripsisse:

——— *vacuo veluti vectatus in orbe*
Umbrato curru

quo quid est elegantius? Nolo tamen alios, qui sunt in Silio defectus, eidem omnes Aldo imputari. nam & vetustissimae editiones multis versibus deficiuntur, & eos ipsos versus non temere alibi, quam in antiquissimis membranis reperias. ab eodem libro primo non recedam. ait Poeta: (2)

Sed Juno adspectans Pyrenes vertice celsa
Vana rudimenta & primos in Marte calores
Invalidam duris evellit ab hastibus hostem.

sic habent & Lugdunensis editio & Parisiensis Marsi: nisi quod in hac est; *Et validam*: in illa vero; *Evalidam*. quae sane ipsa scripturarum variatio locum hiulcum esse clamat. quem nos jam sanabimus, si prius monuerimus non, *vana*, sed, litteris trajectis, *nava rudimenta*, scribendum esse. in quarum vocum commutatione apud eundem Poetam frequenter est peccatum. scripsit igitur Silius:

Sed Juno adspectans Pyrenes vertice celsa
Nava rudimenta & primos in Marte labores
Ut videt impressum conjecta cuspide vulnus,
Advolat obscura circumdata nube per auras:
Et validam duris evellit ab ossibus hastam.

quibus versibus interpositis sua Poetae constat oratio & orationi sententia. in eadem, quod jam dixi, voce & alibi peccatum est. veluti post pauca in illis:

Hinc pueri invalidique senes, hinc femina ferre
Certat opem in dubiis miserando vana labori.

tu scribe:

——— *miseranda nava labore:*

sequitur apud eundem Silium. (3)

Concurrunt latosque viros hortantur, & orant
Defessi subeant rebus, revocentque Sagunto
Sidonias flammas. Nunc ite, impellite puppem.

quod & corruptum est & mutilum, nulla tamen, ne quis me calumniari dicat, Aldi culpa: cum in antiquioribus editionibus eadem omnino sit scriptura. quam membranae tamen veteres falsi convincunt. in quibus & melius & perfectius ita scribitur:

——— *& orant*

(1) *Libr.* 2. *Astron.*
(2) *Libr.* 1. *v.* 548.
(3) *V.* 565.

Defessis subeant rebus, revocentque salutem,
Ac Latia extremis implerent casibus arma.
Ite citi, remis velisque impellite puppim &c.

Ne illud (1) quidem ab Aldo est, quod, cum scribi debeat,
Si nondum insultat templorum Pœnicus ignis
Culminibus:

vulgo tamen scribatur:
——— *insultat templorum protinus ignis*
Culminibus:

sententia prope nulla. illius etiam erroris editioni Aldinæ facio gratiam, qui est his in versibus:
Vos etiam tandem Siculi contra arma Tyranni
Juvisse egregium.

Nam etsi neque urbis a Romanis defensæ nomen exprimatur, neque, quid dicatur, satis possit intelligi: Aldinus tamen liber culpam nullam sustinet. sed a prima editione vitium illud manat. scripsit proculdubio Silius:
Vos etiam Zanclem Siculi contra arma Tyranni
Juvisse egregium.

Hiero Messeniis bellum intulit. Romani auxilium a Messeniis rogati ccxx naves, ut tradidit L. Piso, (2) diebus triginta quinque confectas eo miserunt. teftante Plinio, regemque pepulerunt, & captivos restituere ac centum talenta solvere subegerunt. Zanclen vero Messanam fuisse dictam præter alios Strabo (3) prodidit, his verbis: Κτίσμα δ' ἐστὶ Μεσσηνίων τῶν ἐν Πελοποννήσῳ παρ' ὧν τοὔνομα μετήλλαξε Ζάγκλη πρότερον καλουμένη διὰ τὴν σκολιότητα τῶν τόπων (ζάγκλιον γὰρ ἐκαλεῖτο τὸ σκολιόν] Ναξίων οὖσα πρότερον κτίσμα τῶν πρὸς Κατάνῃ. ἐπῴκισαν δ' ὕστερον Μαμερτῖνοι Καμπανῶν τι φῦλον. (a) Sive igitur de Messeniis, sive de Mamertinis qui eo Coloniam deduxerunt, Poeta loquitur: recta est ea quam posui scriptura. Mamertinos enim a Romanis contra eundem Hjeronem, sententia diu & varie in senatu agitata, auxilium impetravisse Livius & Polybius scriptum reliquerunt. (b) Zanclen autem Siciliæ Civitatem ita appellatam esse apud omnes

(1) *Ibid. V. 602.*
(2) *Libr. 16. Cap. 29.*
(3) *Libr. Sext.*

(a) Strabonis verba prolata latine sic vertimus „ Opus autem est Messeniorum qui degunt in Peloponeso, „ a quibus nomen mutavit, Zancle „ prius vocata propter obliquitatem „ locorum (Zanclium enim vocabatur, „ scolium, *sive obliquum*) Naxiorum „ existens prius opus qui a Catana „ originem trahunt: postea autem huc „ aliquam campanorum tribum *sive* „ *Coloniam* Mamertini deduxerunt.

(b) Zancle nomen expendentes quomodo variarint Auctores prae aliis docet Phil. Cluver. Sicil. ant. Libr. I. VI. primum ex his verbis Epitomatoris Stephani: „ Zaocle urbs Siciliae, „ auctore Hecataeo, in Europa. Hanc „ alii a Zanclo Terrigena, vel a fonte Zancle, alii inde dictam volunt, „ quod Saturnus ibi falcem abscondiderit, qua Patris pudenda praesecuerat. Nicander de Sicilia lib. x.

„ Quamvis & Zancles falcatae combussit urbem „

subditq; postmodū Tzetzen ad Lycophronis Alexandram habentem: *Falx siculis zanclon dicitur*, nec non refert Eustathium Odiss. lib. XII. „ Messene, urbs magna in Sicilia ad Pelori sinum, Opus „ Peloponnesium Messeniorum: olim „ Zancle dicta, ab ea, quam habet, „ curvitate. Quippe curvum hujus regionis hominibus dicitur Zanclen „ unde etiam falx vocatur Zaoclon „ itemque Thucydidem recenset, qui lib. VI. varios Urbium cultores enarrans, Zanclem cum quod ad Incolas, tum quod ad nomen attinet ita descri-

omnes constat. in causa vero appellationis plerique variaverunt, ut Hecatæus in Europa scribit. *οἱ μὲν ἀπὸ Ζάγκλου τοῦ γηγενοῦς, ἢ ἀπὸ κρήνης ζάγκλης οἶδε, διὰ τὸ ἐκεῖ κρυσαι τὸ δρέπανον ἀποκρύψαι, ᾧ τὰ τοῦ πατρὸς ἀπέκοψεν αἰδοῖα. τὸ γὰρ δρέπανον οἱ σικελοὶ ζάγκλον καλοῦσι*, (a) ut refert Nicander Siciliæ libro x. Unum etiamnum vitium eodem libro primo indicabo, quod ab extrema usque editionum origine profluxit, neque in Aldino mutarit. verba (1) sunt de Fabio, contra suasionem Lentuli, bellum Karthaginiensibus non prius inferri volente, quam constaret an de senatus Karthaginiensis sententia Saguntum oppugnaret Hanoibal.

Ast Fabius cauta speculator mente futuri
Nec lætus dubiis parvisque lacessere Martem
Et melior clauso bellum producere ferro.

sed quid illud sibi vult, *lætus dubiis parvisque lacessere*. equidem non intelligo, neque alios satis intelligere existimo. nulla tamen variat editio, & ab editionibus variant membranæ: quæ habent:

Nec lætius dubiis parcusque lacessere Martem.

quod non ambigue verum est, & unde *Cunctatoris* nomen invenerit, vulgo non ignoratur. Postremo, ut tandem aliquando recedamus a Silio, in eo Aldinos codices culpa liberare nequeo, quod extremo libro primo (2) versum amiserint, quem Lugdunenses jamdiu ante suo loco reposuerunt. nam & Interpretem in errorem induxerunt, & reliqua exemplaria corruperunt: sic enim ubique legitur.

Tandem ut finitæ voces: miserabile visu
Affigunt proni squallentia corpora terræ.

debebat videlicet versus inter utrumque medius interjici, & omne illud sic legi.

Tandem ut finitæ voces: miserabile visu,
Summissi palmas lacerato tegmine vestis
Affigunt proni squallentia corpora terræ.

Atque.

(1) *Vers.* 680.

(2) *V.* 674.

scribit „ Zaocle ab initio a Piratis Cumaeis quae Civitas Chalcidica est in „ Opicis, inhabitata fuit, postmodum „ vero Chalcidensium, & reliquae Euboeae multitudo eo profecti regionem eam incoluerunt. Cujus coloniae duces fuere Periefes, atque Cratemenes, alter e Cumis, e Chalcide alter. Vocabatur autem primum „ Urbs ab Siculis Zancle; quia speciem falcis locus is habet. Faleem „ enim Siculi Zanclon adpellant „ Immutationemque nomiois continuo adnectit, prosequiturque. „ Caeterum illos postea Samii, & nonnulli alii „ Jones, Medos fugientes in Siciliam „ profecti, efercerunt. Samios haud „ ita multo post Anaxilaus, Rheginorum tyrannus, ejecit. Urbemque „ hinc hominibus cum ipsis permixtis „ frequentatam, a Patria, ex qua antiquam originem trahebat, Messenen adpellavit. „ Alia bene permulta ex Pausania, Strabone, aliisque ducta apud eundem Cluver. occurrunt ibidem videnda.

(a) Hecataeum item latina versione hunc in modum producimus „ Alii quidem a Zanclo Gigante, sive ex terra orto, aut a foote Zancles; alii „ ab eo quod ibi falx Saturni sit „ abscondita, qua pudenda Patris „ abscidit: falcem enim Siculi Zanclum „ vocant.

Atque. antestari. leges duodecim tabularum. calvi Porphyrio & Lucilius apud Nonium correcti. aut status. intestato. Plauti vera scriptura. endeferre manum. idem, *pro*, id est, *Lex Caii emendata.*

CAPUT XII.

VEteribus illis legum XII. tab. reliquiis non parum capi me sæpius testatus sum: non tam mehercle quod leges illæ omnes omnia Philosophorum scholas superare sunt existimatæ quanquam vel eo maxime: quam, quod in antiquo illo orationis genere ab omni fuco & pigmentis alienæ nescio quid agnoscere mihi viderer, quod cum illorum moribus, quibus rem Romanam stare multis abhinc sæculis canebat Ennius, vehementer convenire videatur. Igitur & in fragmentis illis colligendis post viros doctissimos operam non pœnitendam posui; &, si quam partem meliora studio meo fieri possint, frequenter tentavi. quod in uno & altero nunc etiam desultoria opera ista conabor facere. Ac primum quidem edicti perpetui secuti seriem de in jus vocando agemus, quando Xviros de hoc accurate egisse, Ciceronis, Gellii aliorumque testimonio facile cognoscimus. Volebant XII. in jus vocatum statim ire, &, si id fieret, quis porro judicii servandus esset ordo, præscribebant. quo caput illud legis a Cicerone commemoratum, libro de legibus secundo, referre soleo sic enim scribit. *A parvis, Quinte didicimus;* SI. IN JUS. VOCAT. ATQUE. EAT. quod est; si quis alterum in jus vocat, & vocatus vocantem statim sequitur aliud enim non est, ATQUE quam statim, ut recte Servius (1) &, in illo Enniano.

Atque atque accedit muros Romana juventus,

Nonius Marcellus annotarunt, quin & auctor (2) ad Herennium lege jus esse scribit ut in jus eas cum voceris. *lege*, I. XII. tab. addebant decemviri exceptiones, quibus in jus vocati se tueri poterant. SI MORBUS SONTICUS. &c. de quo apud Gellium (3) latius post, quid faciendum esset, si in jus vocatus neque exceptione se defenderet, neque sequi vellet, constituebant. nimirum ut in jus vocans si alter vadimonium deseruisset, antestaretur primum, deinde sponte non euntem duceret, postremo si ductus calveretur, aut pedem strueret, manum illi injiceret & obtorto collo ad prætorem raperet. prior pars est apud Porphyrionem in Horatium, (4) altera apud Festum & quodammodo apud Cajum (5) commentario secundo ad leges XII. tab. Porphyrionis verba sunt ad illud Horatii.

Quo tu turpissime, magna
Exclamat voce, & licet antestari? Ego vero
Oppono auriculam. rapit in jus.

Adversarius molesti illius Horatium consulit, an permittat se antestari, injecta manu extracturus ad Prætorem, quia vadimonio non paruerit. de hoc autem lege XII. *tabul. ex verbis cautum est*. SI. VIS. VOCATIONI. TESTAMINI. IGITUR. EN. CAPITO. ANTESTARI. (*a*) *est ergo antestari scilicet antequam manum injiciat*. hæc Porphirio. quæ quibusdam in libris, ut quidem scribi video, hunc in

(1) *Libr.* I. *Georg. & Gell. libr.* 10. *Cap. ult.*
(2) *Libr.* 2. *Rhet.* 5.
(3) *Libr.* 20. *Cap. ult. & C.* I.
(4) *Serm. Libr.* I. *Sat.* 9.
(5) *L.* 233. *de Verb. signif.*

(a) *Antestari* ad Plaut. Perf. IV. IX. v. 10. sic exponit Taubman. „ *Antestari*, vetus ICtorum verbum, significans, accipere in testem: testibus uti; „ ibique accurate refellitur eorum sententia, qui perperam *sunt* opinati vocari *Antestatos*, qui testes fecerunt, non autem eos ipsos, qui vocabantur in jus.

in modum leguntur. SI IN. JUS. VOCATI (AL. VOCATIONE) TESTAMINI. Hanc legem jureconsulti ætate nostra longe doctissimi varie correxerunt: neque quisquam fere fuit, qui non aliquid sibi de eo dicendum esse existimaverit: ut jam illud Poetæ io bis locum habere possit:

Cui non dictus Hylas puer?

Ant. Contius I C. sane acutus scribebat: SI. IN. JVS VOCATVS. TESTAMINI. IGITVR. ENCAPITO. ANTESTARI. longissime a legis verbis & sententia recedens; quomodo in aliis XII. Tab. legibus peccavit frequentissime. Turnebus videtur legisse: SI. VIS. VOCATIONI. TESTAMINI. IGITVR. REM. CAPITO. ANTISTARI. unde verba hoc pacto concipienda judicabit. SI. IN JVS. VOCAT. NI. IT. ANTESTATVS. MANVM. INIICITO. AVREM. ANTESTATI. CAPITO. Hotomannus (1) vero, SI. IVS. VOCATIONI. TESTAMINI. IGITVR. EN. CAPITO. ANTESTARI. (2) Cujacius, SI. IN. IVS. VOCAT. NI. EAT. MANVM. INI. ICITO. INCAPITO. (id est, incipito.) (3) ANTESTARI. At Gifanius, SI. IN. IVS. VOCAT. NI. TE. ANTESTANTEM. SEQVITVR. EM. CAITO. quod prorsus oequit consistere, non enim is capiendus est qui in jus vocat, sed is qui vocatus continuo nou seqoitur. non looge a vero abest doctissimus mihique dum viveret amicissimus Rævardus, (4) sententiam legis certe vidit, verba ipla non reperit. SI. VIS. VOCATIONI. FVAT. TESTAMINI. IGITVR. EN. CAPITO. ANTESTARI. ut videlicet lex dicat; si in jus vocatus vi resistit, testes voca, & eum tum capito, sive manu prehendito antestando. Nos veram legis illius scripturam oulla littera addita aut dempta, quam in membranis Porphyrionis invenimus, apponemus, eamque interpretabimur, si prius fontem erroris, a quo tot viris acutissimis nebulæ ob oculos sunt objectæ digito monstraverimus. est autem io postrema illa voce. *antestari*. quam plerique ita accepisse visi sunt quasi Græcorum more lex esset locuta τῷ μαρτυρήσασθαι pro *antestando*: alii vero hioc illud, *encapito*, fioxerunt, ut ad illam vocem accomodari posset. utrumque sane absurde, ne de Viris tantis gravius quid dicam. nam illa vox, *antestari*, Horatii est non Porphyrioois. desinunt ibi & legis & Porphyrionis verba: EN. CAPITO. mox adjicitur illud Horatii; *antestari*. ad quod subjungit Porphyrio. *est ergo necesse antestari, antequam vadatus manum injiciat*. quod oeminem animadvertisse valde miror. Sed jam ad legis verba veniamus, quæ in membranis ita coocipiuntur apice nullo immutato. SI. IN. IVS. VOCAT. NI. IT. ANTESTATOR. IGITVR. EN. CAPITO. voluit, ut dixi, lex primum in jus vocari, deinde vadatum, si vadimonio noo pateretur, antestari & eum manu prehensa in jus ducere. antestari dico; id est, testibus præsentibus aurem vellere, utque meminissent illum in jus vocatum noluisse sequi, rogare, hoc verbo; memento sive ut in vetere lapillo est M. LAVRINI, Viri omoium, qui multis ab hinc ætatibus vixerunt, antiquitatis peritissimi & intelligentissimi, incredibili literarum cum detrimento nuper exstincti, MNHMNEYE. Sed de illa aures atterendi & vellendi consuetudine a Rævardo aliisque, qui illius presserunt vestigia, satis est superque dictum. est igitur *antestari* testes facere. ut Plautus (5) visus est interpretari.

Ne testes facias neque equidem tibi debeo quicquam.

& *antestati* sunt, qui testes fecerunt, atque adeo etiam, quando passive accipi pro προδιαμαρτυρηθῆναι notavit Priscianus, (6) qui ita testes facti sunt, antestari recte vocabuntur. neque illis assentiri possum, qui eos ipsos qui in jus vocantur antestatos dici tradiderunt; quemadmodum denuntiatus dicitur, cui

(1) *Commentar. ad leg.* 12.
(2) *Libr. 7. Observat. Cap.* 16.
(3) *Judice Lucret.*
(4) *Commentar. ad* 12. *Tab.*
(5) *In Curculione.*
(6) *Libr.* 8.

denuntiatio sit facta. Primum enim Acro (1) ita scribit ad illa verba: *Licet antestari. Denunciantes*, inquit, *litem antestatos habebant, quibus præsentibus conveniebant*, ita ut, *aurem illis tertio vellerent. sic Servius magister urbis exponit*. & infra: *nam hæc erat consuetudo, si quis vadato non paruisset, adversarius aliquem de presentibus attestabatur; id est, tangebat ejus aurem & dicebat, Licetne antestari, si respondebas ille, licet: tunc injiciebat vadatus manum in eum, qui non paruisset, & ducebat in judicium, alter si injecisset manum, injuriarum poterat accusari*. & Porphyrio: *Adversarius illius molesti Horatium consulit an permittat se antestari injecta manu extracturus ad Prætorem, quia vadimonio non paruerit, porro, qui antestabatur, auriculam ejus tangebat dicens, licet antestari, si ille responderet, licet, tum injecta manu adversarium suum extrahebat*. Hæc illi. ex quibus satis intelligitur falsum esse, quod illi tradiderunt, antestatum testem non posse dici: neque antestati aurem sed testis velli; cum uoa eademque sit persona, neque me movet, quod ita scripsit Plautus: (2)

Hoccinne pacto indemnatum atque intestatum me arripi?

quasi *antestatus* opponatur *intestato*: cum melioribus in libris esse, *intestato*, non ignorem. hoc est: antestatiooe nulla facta & ex Ç ajo (3) Antestatum olim Patrem fiduciarium dictum fuisse liquido patet. Habet lex.

NI. IT. ANTESTATOR. sic plane optimus liber vetus & in XII. est sæpe: NI. IVDICATVM. FACIT. NI. CVM EO. PACIT. & his similia. *Si iret, antestationi non erat opus*: &, ut jam ex Porphyrione docuimus, antestatio, priusquam in jus duci posset, debebat præcedere. sequitur in lege: IGITVR. EM. CAPITO. *igitur*, ut alibi frequenter, est, *deinde*: & EM. pro *eum*. quod ootavit Festus quemadmodum a, *quis*, *quem* solemus dicere unde eam declioationem secuti veteres *ibus*, *non*, *us*, dicebaot. CAPITO id est, manu aut corpore apprehensum in jus ducito ENCAPITO. quod viri docti substituerunt, Latinum noo est, *Endocapito* debebat dici. igitur verba Porphyrionis, ut scribenda sunt, adscribamus: & ad aliam huc pertioentem legis partem procedamus. *De hoc autem lege XII. tabularum his verbis cantum est.* (a) SI. IN. IVS. VOCAT. NI. IT. ANTESTATOR. IGITVR. EM. CAPITO. antestari. *est ergo necesse antestari, antequam vadatus manum injiciat*. Sequitur in lege SI. CALVITVR, PEDEMVE. STRVIT. MANVM. ENDOIACITO. io jus vocatus nisi eat, ducitur. si, cum ducitur pedem struit, manus illi injicitur & obtorto collo rapitur. aliud enim esse ducere, aliud manum injicere

(1) *Leg. 48. ad judicia.*
(2) *In Curculione.*
(3) *Libr. 1. institut. Cap. 6.*

(a) In hujus legis interpretatione haec habet I. Gravin. De Leg. XII. Tab. „ Si calvitur) hoc est, *si moretur*, „ *subsistat, obnitatur, effugium quaerat*, in eum *manus injicito, ac per vim rapito, calvitur* enim significat *decipere, fru-* „ *strare*, ut docet JCtus io l. *si calvi-* „ *tur* 203. *in princip. ff. de V. S.* Glos- „ sae Philoxeni. *Calvitur*, ἐξαπατᾷ. „ Pacuvius: *Postquam calamitas plures* „ *annos arva calvitur*. Apud Noni. in „ *arva* Plaut *Casin. Sc. 2. vers. 4.*

„ **Sopor manus calvitur*

„ idest sopore manus torpent. Noni. „ in verbo *calvitur*. Pedemve struit] „ omnes docti auctoritate Festi, & „ Servii Sulpicii *pedem struit* explicant „ *fugit*: quod mihi videtur satis du- „ rum, & remotum a nativa hujus „ verbi significatione, quo verbo fir- „ mitas ootatur. Factum est eoim, „ ut recte Vossius putat. ex στερῶ. „ per contractionem *struo*; quamo- „ brem suspicor in Festi loco inesse „ mendum, ac pro *fugit* legendum *figit* sive *resistat*, *repugnet*: idqoe „ magis cohaeret cum tota seotentia „ legis, & antecedeoti verbo *Calvitur*.

„ Endo jacito) *injicito*. prisce *Endo* „ pro *In* satis notum omnibus.

re alibi ostendemus. *Calui*, Nonius interpretatur, *frustrari*: quam in rem illud etiam Sallustii ex historiarum libio tertio, quod apud grammaticos varie dispersum legitur, olim contexuimus. (1) *Contra ille calui ratus quærebat num somnio thesaurus portenderetur*. igitur si in jus vocatus caluitur, id est, simulat se vocantem velle sequi sed frustratur. Cajus commentario ad XII. tab. (2) secundo interpretatur, *si moretur & frustretur*. sed male vulgo est, *si calumnietur*, vel, *cavilletur*. melius in Florentinis: *si calvitur*. quæ res Accursium in errorem induxit, dum illa verba rubricam esse existimat. illud oe io Florentinis quidem recte *& moretur*. rectius membranæ: *idem moretur*. vitio Pandectis Florentinis & aliis libris valde celebri. *idem*, pro. *id est*. omnino enim scribendum est: SI. CALVITVR. id est, *si moretur*, *& frustretur*. est enim interpretatio hujus legis tabularum. Pedem struere multis modis hoc loco Festus (3) interpretatur. quem vide. Hanc certam esse istarum legum explicationem & emendationem docet Lucilius. (4) qui eas unico versu conclusit Satyrat. lib. XVII.

Si non it expito, inquit, eum: & si calvitur ergo
Fur dominum.

doceret maoifestius si versus mendo vacaret. quod viri etiam docti sunt odorati; quorum partium, *Endo manum*, alii, *Fer dominum*, scribendum, magis ingeoiose quam vere, judicarunt. scripsit Lucilius, quod negari oon potest:

Si non it capito, inquit, eum &, si calvitur, endo
Ferto manum.

scripsi, *endo*, pro, *ergo* cujus erroris proclivis est occasio. deinde, *Ferto manum*, pro *Fendo manum*. *d*. littera pro, *e*, posita proximam etiam vocem corrupit. est igitur, *endoferto manum*, idem, quod in XII. erat: MANVM. ENDOIACITO & similem verbi compositionem affectavit Lucilius quem in morem *endefestabat* Ὠργίζετο & *eudoplorato* ἐπιγόλεσον interpretantur glossæ vides expresse Lucilium inter captionem & manu injectionem discrimeo constituere. de quo, ut dixi, alias diceodum erit.

Flamen Antoninianus. e Capitolino glossema ejectum. idem Capitolinus emendatus. Flamine Divi: Jupiter Deus est. volumina. κυέζας. pusula. remmi. secus virili & femineum. Arnobius multis locis correctus.

CAPUT XIII.

NOn Imperatoribus tantum in Divos relatis, sed etiam uxoribus eorum consecratis Templa exstrui & Flamines sive Flaminicas ex S.C. addi consuevisse passim testantur historiæ & DD. quidem Julii & Augusti Flaminibus, præter marmora infinita, Suetonius & Tacitus (5) testimonium perbibent. de Divo vero Hadriano sic scribit Ælius Spartianus. (6) *Nec Hadrianus appellatus esset Divus, nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit, & quinquennal. certamen & Flamines & sodales, & multa alia quæ ad honorem quasi Numinis pertinerent*. Julius Capitolinus. (7) *Tertio anno imperii sui Faustinam perdidit, quæ a senatu consecrata est, delatis Circensibus atque Templo & Flaminicis, & statuis aureis atque argenteis*; idem de Marco. *Nec defuerunt homines qui somneis eum multa prædixisse augurantes futura, & vera concinuerunt, unde etiam Templum ei constitutum, doti sacerdotes Antoniani, & sodales & Flamines, & omnia quæ de sacratis decrevit antiquitas*. Quibus in verbis tria mutanda esse de veterum librorum scriptura moneo. primum vocem illam, *augurantes*, oesciunt mem-

(1) *In Fragment. Sallustian.*
(2) *In l. 233. de Verb. signif.*
(3) *In voce* Struere.
(4) *Ap. Non.* Calvitur.
(5) *In Julio & Augusto.*
(6) *Libr. 1. in Hadriano.*
(7) *In Pio.*

membranæ. & sane abesse debet. deinde pro, *constitutum*, in iisdem illis est, *constructum*. postremo non, *Antoniani*, verum *Antoniniani* oportere scribi cuivis satis liquet. Sed his rebus in utraque historia nihil est celebrius. Quo alludens Arnobius, quasi sola illa re Dii censerentur, nec Dii nisi sacerdotes haberent Dii esse possent, Jovem ipsum Flamine Diali Deum esse asserit; verbis tamen leniter corruptis. quæ bonum factum erit si apposuerim & obiter nonnihil emendaverim. *Curionem*, inquit, *aut Pontificem maximum. quin immo Dialem, quod ejus est, Flaminem isto jure donavit? Non dicam ut mortuos excitaret, non ut membrorum situm enervatis redderet & dissolutis, sed ut pustulam, reduviam, papulam aut vocis imperio, aut manus contractatione comprimeret.* qui locus & a distinctione male habet, & a verbis ipsis non satis valet. tentavit amicus noster legere; *Dialem, quod majus est Flaminem.* eo quod Dialem omnium maximum esse Livius, (1) Festus, (2) alii prodiderunt. scio vulgarem scripturam hac ista meliorem esse, ut videlicet dicatur, *Flaminium diale Jovis esse*, quod aperte verum est, & alioqui sæpe ita scriptores loquuntur, ut non ad vocem sed ad rem ipsam verba referantur: veluti, *quod ejus est*, cum de flamine loquatur & flamineum intelligat: sed malo veterem scripturam, quæ longe elegantissima est, illi, quæ vulgatur, anteponere. sic ergo omne illud scribendum esse doceo. *Curionem aut Pontificem maximum, aut Dialem, qui Deus est, Flaminem iste jure donavit, non dicam ut mortuos excitaret, non ut membrorum situs enervatis redderet & dissolutis. sed ut pusulam, reduviam, pupulas aut vocis imperio aut manus contrectatione comprimeret?* Flamine Diali Juppiter deus est, non enim nisi Flaminem haberet in Deorum censum referretur. & quod illa, *quo Deus*, in, *quod ejus*, unius litteræ adjectione facilis sit mutatio nemo non videt. scripsi, *situs enervatis*. nam in membranis est; *situs eruatis*. de posteriore voce etiamnum ἐπέχω; deinde, *pusula*, non *pustula*. nam in iisdem est; *pousula*. v. littera, more illis solemni, pronunciata. utrumque dicebant veteres, *pusula* & *pustula*. illud etiam apud Festum (3) mansit & alibi. Addamus & alia ex eodem Arnobio, (4) *unus fuit*, inquit, *e nobis qui redire in corpora animas præcipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos, & post diem funeris tertium pollinctorum velaminibus expediri.* scribunt membranæ nimium quantum eleganter; *pollinctorum voluminibus*. *volumina* vocat Arnobius, quibus mortuus involutus erat. neque enim est dubium quin ad illum S. Joannis locum. (a) (5) respexerit. καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. vertit interpres; *fasciis sepulchralibus*. satis ad rem de qua agitur, accomodate, ut a reliquis fasciis distinguerentur. qua ratione etiam *pollinctorum volumina* dixit Arnobius. neque tamen κειρίαι erant ἐπιτάφιοι δεσμοί, (b) sed quævis fasciæ, quævis vincula & præcipue lectorum, δεσμοὶ κλίνης, ut interpretantur Eustathius (6) & vetus Aristophanis (7) Shcoliastes. ad illos enim Aristophanis versus: (c)

> Σπάρτην γὰρ ἂν θείμην ἐγὼ τῇ μῇ πόλει
> Οὐδ' ἂν χαμευνῃ πάνυγε κειρίαν ἔχων; (d)

μεύνη

(1) *Lib. ab U. C.* 1.
(2) *In voc.* Ordo *& voce* Max.mae Dignationis.
(3) *In voce* Hetra.
(4) *Libr.* 1.
(5) *Cap.* XI.
(6) *Iliad.* 3.
(7) *In Avibus*.

(a) Latine vertimus & ista, & „ verba sequentia. „ Et exivit mortuus „ ligatus pedibus & manibus fasciis, „ *sive vinculis*, legimus in Vulgata; „ *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus* „ *ligatus manus, & pedes* institis.
(b) „ Vincula sepulcralia.
(c) „ Fasciae lecti.
(d) „ Spartam enim (i. e. vinculum) „ posuerim ego meae Civitati, Non adhuc

ita scribit; (a) Δίδυμός φησιν. οὐδ' ἄσπαρτον οὐ χρησαίμην, οὕτω μισῶ τὴν σπάρτην. χαμεύνη δὲ, ταπεινὴ κλίνη. ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα εἴληφεν, εἰς τὸ αὐτό. οὐδ' ἂν τὴν χαμεύνην ὀνομάσαιμι σπάρτην, εἴγε κειρίας ἔχοιμι, καὶ μὴ σπαρτίον δεήσαιμι αὐτὴν ἐντεῖναι. ἡ δὲ χαμεύνη εὐτελής ἐστιν. ἡ δὲ κειρία, εἶδος ζώνης ἐκ σχοινίων παρόμοιος ἱμάντι, ᾗ δεσμοῦσι τὰς κλίνας. Quod Suidas etiam videtur probare. jam vero cum mortui lectis soleant efferri ut passim est obvium, sic enim Livius libro 48. *In funere quoque Publii Scipionis ante lectum ivit pileatus*: & lecticarii sint τὰς τῶν νεκρῶν κλίνας ἄγοντες; (b) hinc fit ut vincula ista lectorum pro pollinctorum voluminibus capiantur. (1) & sic sane locum illum accipiendum esse judico. Ne illa quidem recte se habent, quæ non procul inde hunc in modum leguntur: *Quanta sint enim hæc, vel exilitates cuivis reperirentur. & ludi, si traditum fuerit nosci, ex quibus ad nos regnis, cujus Numinis administrator ad nos adveneris?* omnino enim legi debent: *Quanta sint enim hæc, vel exilitatis cujus reperietur & ludi &c.* Facile, inquit, reperietur quanta hæc sint, imo quam sint exigua si sciverimus ex quo regno cujus minister ad nos venerit. Sequitur paullo post: *Quia hæc omnia & ab ipso cernebant geri, & ab ejus præconibus, qui per orbem totum missi beneficia Patris & munera Dis hominibusque portabant*: Hæc Gelenii est scriptura. in Romano codice erat, *Et munerandis animis hominibusque portabant*. unde dubium non est scribendum esse; *Per orbem totum missi beneficia Patris & munera, sanandis animis hominibusque portabant*. hoc est, & corporibus & animis. Parvi momenti est quod in illis, *Cur ex his unum sexum virilem designet, fæmininis generibus id quod sequitur applicet*, scribendum est, ut in membranis est, *sexu virile designet*: item id quod sequitur, *applicatur*. *sexu* enim *virile*, pro, *sexum virilem* Plautum dixisse in historiis Sallustianis docuimus: neque aliter etiam *secus* idem dixit Arnobius. quod enim illic vulgo legitur: (2) *Lacte infans educatus hirquino est. o fabulam sexui inimicam semper atque infestissimam masculino: in qua sexus viriles non solum homines ponunt, sed pecudes etiam fiunt exmares*. prorsus scribi debet, ut in melioribus libris scribitur: *in qua secus virile non solum homines ponunt, sed pecudes etiam fiunt ex maribus*. qua in voce alibi apud eundem Scriptorem peccatum est. *Partem*, inquit, *illam corporis*, (3) *per quam sexus femineus & sobolem prodere & nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat*. tu scribe: *Per quam secus femineum & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi*. quod autem eodem fere, quo superiora, loco est: *nihil, ut memini, magicum*; recte idem amicus noster emendavit, *ut remini*. sic enim & extremo libro septimo locum, qui ita in editione Romana concipiebatur, *Et in gratiam cum hominibus remi i offensionibus redire sopitis*; mutaverat Gelenius, aut potius corruperat scribendo; *Et in gratiam cum hominibus remissis offensionibus redire opinatis*.

(1) *L. unic. §. sed & qui C. de Lat. libr. toll.*

(2) *Libr. 5.*

(3) *Eod. libr. 5.*

„ hinc habens cubile bene fasciis cinctum?

(a) „ Didymus ait: Non autem ἄσπαρτον „ (i. e. funiculum) quo utimur sic odio ha„ beo Spartam: χαμεύνην autem (i. e. humi „ jacens cubile) humilis lectus; unde etiam „ nomen hinc habuit; neque vero χα„ μεύνην (i. e. cubile) vocaverim Spar„ tam, si fascias haberem, & non funi„ culum ligarem ut illa distendatur. χα„ μεύνη autem, i. e. cubile, utile & „ commodum est. Κειρία vero, est „ fasciae species ex junctis funiculis „ loro similis, qua ligant lectos.

(b) „ Cadaverum Feretra effe„ rentes.

Quod fuerit argumentum librorum Varronis, qui Hebdomades *fuerunt inſcripti. e Symmacho oſtenſum. Varro Menippæus. epiſtolæ Symmachi in lucem prolatæ duæ. Melo. popularis fluvius. Symmachus multifariam caſtigatus.*

CAPUT XIV.

HEbdomadon libros ſcripſit Varro ſæpenumero a veteribus in teſtimonium vocatos. quorum illud fere præcipuum argumentum erat, quod Viri ſive rebus geſtis clari, ſive ſapientia illuſtres, ſive eloquentia aut alia neſcio qua re celebres in illis laudarentur; eorumque vita imitanda publice proponeretur, adjecta etiam unicuique illorum, quos dixi, imagine. Itaque ſuo & Platonis more duplicem libro titulum dedit. *Hebdomades ſive de Imaginibus*. Homeri imaginem libro Hebdomadon primo agnoſcit Gellius. (1) Demetrii Nonius, (2) aliorum alii. ſed multo id erit manifeſtius, ſi epiſtolam Symmachi nondum excuſam (*a*) protulero, eamque vita donavero, quod ſane videor vel Scriptoris ipſius cauſſa. vel quod in ea ſint nonnulla ſcitu non indigna facturus meritiſſime. eſt autem hujuſmodi.

Symmachus * * *.

S*Tudium quidem Nempei Varronis imitaris, ſed vincis ingenium, nam quæ in noſtrates viros nunc nuper condis epigrammata, puto Hebdomadon elogiis præmicare: quod hæc æque ſobria nec tamen caſtigata ſunt: illa bono metallo cuſa a Saturno exigi neſcierunt, & duriorem materiam, niſi fallor, admittere. Ille Pythagoram, qui animas in immortalitatem primus aſſeruit, Ille Platonem, qui Deos eſſe perſuaſit, Ille Ariſtotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit, Ille pauperem Curium ſed divitibus imperantem, Ille ſeveros Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem Senatum parva laude perſtrinxit. tu Viros proximæ ætatis illuminas. difficile factu eſt, ut honor anguſtis rebus addatur, Me quoque jubes verſibus nonnulla ſubnectere. haud ita Flaccus tuus præcipit in illis Poeticæ artis edictis. quorum hoc memini eſſe principium* ne humano capiti cervix equina jungatur. *Malo itaque tibi contumacia negati officii quam imprudentia permiſſi operis diſplicere, plura de hoc coram loquemur, quando hanc epiſtolam ſequi paramus aut conſequi, tu cœpta perage: & tam ſollertis eloquii eſto munificus. ego tibi ut linguæ obſequia nego: ita aurium commodabo.* hæc Symmachus. In cujus epiſtolæ initio, *Menippeus* non, *Nempeus*, legi debet. Varronem Menippæum appellat, quod Menippum Varro imitatus ſatyras Menippeas ſcripſerit, de quo Gellius (3) & Macrobius (4) *Menippus fuit, cujus libros M. Varro in ſatyris æmulatus eſt, quas alii Cynicas, ipſe appellat Menippæas*. Sed quid aliam etiam ejuſdem Symmachi epiſtolam in lucem dare differo, (*b*) quando ea res harum litterarum ſtudioſis nequibit eſſe ingrata: & aliæ etiamnum ſuperſunt, quæ in vulgus nondum exierunt

(1) *Libr.* 3. *Cap.* 17.
(2) *In voce* luces.
(3) *Libr.* 11. *Cap.* 18.
(4) *L.br.* 1. *Cap.* 21.

(a) Producit Symmachi Epiſtolam & Juretus in Editione Secunda Pariſienſi *Ex Typographia Orriana Ann. Chriſt.* 1604., rejicitque in *Auctarium Symmachianum* numero 2., ibique Patri Symmachus ſcribit.

(b) Vel in prolata Editione adjungitur a Jureto Epiſtola memoratæ Symmachi ad Patrem item data, & numero 3. in *Auctario Symmachiano* collocata: Et ſecundae, & tertiae Epiſtolae animadverſiones addit Juretus ibidem docto Lectori obvias.

runt? (a) ſic igitur faciam: eaque illi reſtituta, mendas aliquot ex reliquis ejus ſcriptis paſſim conabor auferre.

Symmachus * * *

B*Ono animo ſumus, cum viam promiſſi memores inchoaſtis. Nunc properato opus eſt, ut, dum anni tempus calet, auctumni Bona raptim fruamur. his quippe menſibus Campania nitet agri ubere & arbuſti honore. Bajæ, imbre raro, ſolo modico temperantur. menſæ ab edulibus copioſae ſunt: quibus mihi amicorum catervat minaris. ſed mihi honeſtæ multitudinis nulla minatia eſt. & ſi bis tanta plures quam ſcribis aſſuerint, bonam frugem feceris, nec dixeris, quaſi ſummam polluant. nam comitibus meis utpote* **** *amice. Quonſque longius loquor? mitto verba. rem flagita. occaſionem accipere prudentis eſt ſi quid dilatione itineris redimitur, mora otii rependetur. vale.* Hæc ille. Jam ad librum Epiſtolarum primum veniamus. in quo epiſtola eſt ad Auſonium valde corrupta & quod Juretus (1) obſervavit, multis in partibus non integra. *Soles*, inquit, *facunda eſſe * clauſi pectoris aſpernata geſtire *** amice ſcribendi oblivionem peperit**** tu eos omnes defectus indices tolle, & lacunas ſic comple. *Solet facunda eſſe lætitia & anguſtias clauſi pectoris aſpernata geſtire. Tibi amice ſcribendi oblivionem peperit res ſecunda*; eſt & ibidem defectus: nullo tamen certo ſigno deſignatus, ſed latens, eoque etiam periculoſior quem ſtatim prodam, ſi prius membra luxationi illi proxima ſanavero. *Quid multa?* inquit. *Lucem quam aperiamur accepimus*. emenda: *lucem quam adhuc operiebamur accepimus*. ſequitur: *Bonus Nervus Trajanus, Antonius Pius innocens, Marcus plenus officiis, temporibus adjuti ſunt, quæ tunc mores alios neſciebant*. ſic Juretus edidit, cum in membranis inveniſſet *Strunuus Pius*. tu ſcribe: *Bonus Nerva, Trajanus ſtrenuus, Pius innocens, Marcus plenus officiis*. quemadmodum in vetere eſſe codice teſtificor. Addit Symmachus. *Hic in laude eſt natura Principis*. cui tu alterum membrum ſubjice. *ibi priſca manus ætatis*. ait Symmachus ſuperiores illos Imperatores temporibus ſuis debere, quod boni fuerint, id ipſum vero Gratianum naturæ. jam quod ſubditur: *Cur verſa ordine iſta optimarum artium exempla putemus, & illa de ſæculo priore veſtigia?* mutari non debet. rectum enim eſt, ſi interrogationis notam ſuſtuleris. Eodem libro, epiſtola ſequente multis in verbis variant exemplaria. Hoc unum habeo affirmare vocem elegantem eo excidiſſe loco, & aliam fuiſſe ſuppoſitam. *Hunc tu mihi*, inquit, *improviſo clarorum verſuum dignitate Aegyptio Nilo majorem, Sarmatico Hiſtro frigidiorem clarioremque hoc noſtro populari Fucino reddidiſti*. primum ſcribe: *improviſa clarorum verſuum dignitate*. deinde pro, *Aegyptio Nilo majorem*, eſt io membranis: *Aegyptio Melone Maronem*. unde legendum conjicio: *Aegyptio Melano majorem*. *Melo*, inquit Feſtus, (2) *nomine alia Nilus vocatur*: & alibi: (3) *Alumento pro Laumedonte a veteribus Romanis necdum aſſuetis Graecae linguæ dictum eſt. Sic Melo pro Nilo, Catamitus pro Ganymede*. & Servius, (4) *Nilus dictus eſt quaſi νέαν ἰλὺν. nam antea Latine Nilus Melo dicebatur*. alibi: *Latiae Talamon dicitur; ſicut Nilus Melo*. verbum vetus in vocem recentiorem mutarunt librarii. *Sarmatico Hiſtro frigidiorem*. in membranis eſt: *frigidiorem Scbytico Tanai*. ſequitur: *clarioremque hoc noſtro populari Fucino*. Liber Colonienſis: *populari fluvia*. ntrumque eſt gloſſema. *popularem* intelligit Tiberim quod idem gloſſema in ipſa eſt Auſonii editione, ubi eadem illa Symmachi eſt epiſtola. nam vox, *Tiberi*, abundat, & alterius eſt verbi declaratio.

Plau-

(1) *Libr. 1. Epiſt. 7.*
(2) *Voce* Melo.
(3) *Voce* Alumento.
(4) *Libr. 4. Georg. Libr. 4. Æneid.*

(a) Nuſquam antea procuſis Epiſtois Symmachi quamplurimis in Editione ſecunda Pariſienſi *Orriana* vel ipſe Juretus *Auctarium* Symmachianum Ann. Chriſt. 1604. adornavit.

Plautinus edo. Sulpicilla Ausoniana declamata. Sallustiana Sempronia. Catilina. Fabius Fulgentius. Anacreontica sacra. vernilitas. e Germanico versus ejecti. Germanicus & Fulgentius item Rufus Avienus passim emendati.

CAPUT XV.

DEcrevi variam in hoc caput & miscellaneam variorum Scriptorum aut potius locorum in variis Scriptoribus emendatorum turbam adducere: &, qui in hoc scriptionis genere præcipuus est ordo, nullum ordinem servare. nescio quam cibus e tam diversis penoris generibus concinnatus sapienti palato satis sit facturus, malacis certe & fastidiosi stomachi hominibus non insuavem varietate videri consuevisse scio. Igitur, ut a Fulgentio auspicemur, quod his verbis apud eum legitur de Satyra. (1) *Hac etenim alludente & Plautinæ satyræ dominatus obdormit, & Sulpicillæ Ausonianæ loquacitas deperit, Sallustianæque symphoniæ, quamvis præsens sit cantilena, cantandi melos raucescit*; valde corruptum esse liquet. ac prima quidem illa de satyra Plautina aut valde prava sunt, aut quo pertineant nescire me non invitus fateor. video quidem Plautinum nescio quem edonem sive Parasitum saturum iis in verbis obdormientem deprehendere. sed neque quo verba constituam habeo; neque quo loco dormientem excitem invenio. nisi si forte scribi debet, quod ne mihi quidem nunc satis probatur: *Plautinus satur edo iratus obdormit*. aut: *Plautinus Saturio miratus*. Sulpicillam Ausonianam illis relinquo, qui eum in Poetam commentarios ediderunt, aliisque, quos scripsisse, nondum tamen in lucem protulisse, certe scio. de eadem illa ita supra dixit: *Neque enim illas heroinarum arbitreris lucernas meis præsules libris, quibus aut Sulpicillæ procacitas aut Psyches curiositas declamata est*. sic enim & ibi scribi debet. fortassis in Saturione, Plautina Comœdia, cujus plerique veteres meminerunt, (2) fuerit, quod huc spectaverit. Ad symphoniam Sallustianam venio, quam quosdam ita accipere memini; ut ad brevitatem numerorumque Sallustianorum rotunditatem voluerint referri. secundum quam tamen interpretationem Fulgentii verba nequeunt accomodari. quo enim illa? *quamvis præsens sit cantilena melos cantandi*. locus insignite varius est. primum enim agit de *Sempronia*, non, *symphonia*. *Sempronia*, inquit Sallustius, (3) *multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat. Hæc mulier genere atque forma, præterea viro atque liberis satis fortunata fuit. Litteris Græcis & Latinis docta, psallere, saltare elegantius quam necesse est probæ*. hinc igitur Semproniam Sallustianam nominat, eique cantandi studium tribuit. deinde Catilinam ipsum his in lituris stupri fortasse an manifestum delitescere animadverto. quem latitantem judicabo: eoque nomine judicium, ut meritus, postulabo: immo jam judicavero, si verba, ut scribi debent, subjunxero. sunt ea hujusmodi. *Sallustianæque Semproniæ, quamvis præsens sit Catilina cantanti melos raucescit*. Sed hæc tanti non erat emendari; nisi quod vel soli Sallustiano nomini id dandum existimaverim: & alioqui, si, quod ille dicebat, ex quovis libro nonnihil utilitatis capi posse verum est, quemvis etiam librum correctiorem legi cujusvis interesse negari non potest. Duorum etiam eodem in scriptore γραφικῶν σφαλμάτων emendationem adscribam. leviora quidem sunt illa, quam ut quenquam in legendo debeant morari; sed tamen in omnes omnino editiones eorum indoles inolevit. *Eja inquit, Fabiana Creonticis jamdudam novus initiatus es mystes sacris*. Fabius est Fulgentius; & Anacreonticos versus, præter illos alios, in eadem hac orationis serie esse pressius intuenti facile apparebit. Jam quod in illis *vermilitas*, scribitur; *vernilitas* scribi debet. quo pacto Plinius

(1) *Mythologiar. Libr. 1.*

(2) *Gell. Libr. 3. Cap. 3. Festus In vocibus* Nequitum Rueres.

(3) *In Catilinario.*

nius (1) subdolam & fucatam, Quintilianus (2) vero servilem vernilitatem dixerunt. In Arateis (3) Germanici, sive illius potius commentario, illa non recte scribuntur. *ideo tropicus unus solstilialis, alter hibernus*. omnino enim scribi debet; *idem tropici, idem solstitiales. alter hibernus, per quem sol transiens octava parte Capricorni solstitium hibernum facit: alter æstivus*. vult enim parallellos illos duos æque distantes & tropicos & solstitiales vocari. neque enim minus solstitialis dici debet, qui solstitium æstivum facit, quam qui hibernum quod tamen ex superioribus verbis confici videbatur. sequitur: *inhabitabiles frigidi circuli sunt ob rigorem, quod ab his longissime sol abest*. atqui veterum fuit opinio non tantum *frigidam Zonam esse inhabitabilem, sed etiam torridam*. quod & Aratus ponebat. igitur scribe: *inhabitabiles, infra frigidus circulus ob rigorem, quod ab his longissime sol abest, item extensus in radios equinoctiales, quod sub vertice solis*. & defectum, qui est, eo modo supple, ut item ibidem alium. *incipiet dinumeratio ab ariete*. tu adjice. *quod signum tropicum est* & mox emenda. *tropicis proxima solida*: pro, *maxima solida* Aratea illa Germanici denique, sive sunt Interpretis, cum iis confer, quæ pro fragmento volumini illi Censoriano de die Natali subjuncta curavimus. nam quæcunque ex v. c. & ant. qua Mediolanensi editione a capite secundo usque ad extremum fere caput tertium in fragmento leguntur ab illo scriptore esse moneo. reliqua unde sint descripta, alia fortassis odorabimur. ex Germanico in fragmento illo nonnulla, ex fragmento vero in Germanico compluria possunt emendari; & lacunæ etiam compleri. Germanici vero libellus vitiis quam versibus abunda pluribus. in quo nos recensendo operam non inutilem posuimus. sed Susianis laboribus nihil præceptum esse voluimus. interea tamen quædam in Germanico carmina delibabimus, & levites castigabimus. ait Poeta. (4)

Aurea pacati tegeret cum sæcula mundi.
Justitia inviolata malis placidissima virgo,
Sive illi Astra genus fuerit, quem fama parentem
Tradidit, astrorum severo intercipit ævo.
Ortus fama tui mediis te læta ferebas.

Omnia hic perturbata & corrupta primum, *regeret*, scribe, non, *tegeret*. deinde quid illud est? *Astra genus fuerit*. neque enim, opinor, justitiam astrorum filiam dixerit; aut, si ita dixit, cur subjungit? *quem fama parentem Tradidit astrorum*. quomodo enim astra astrorum parens dici possunt? scripsit Germanicus:

Sive illa Astræi genus est, quem fama parentem
Tradidit astrorum.

dixerat Aratus:

Εἴ τ' οὖν ἀστραίου κείνη γένος, (ὅν ῥά τέ φασιν
Ἄστρων ἀρχαῖον πατέρ' ἔμμεναι.)

plerique enim Astræum & Astraæ & Astrorum parentem esse dixerunt & de diversitate hac in re opinionum vide quid Theo Aratæus Scholiastes scribat. sequitur:

——— *Severo intercipit ævo*
Ortus fama tui.

lege & emenda.

——— *seu vero intercidit ævo*
Ortus fama sui.

sit Aratus:

——— εἴτε τἄλλα
Εὔκηλος φορέοιτο.

(1) *Libr. 38. Cap. 4.*
(2) *Libr. 1.*
(3) *Statim a principio.*
(4) *De Virgine.*

utraque reddidit Rufus Festus, Avienus his versibus.

Seu patris Astræi clarum es genus, aurea cujus
Sidera sunt proles.

& iis quæ consequuntur.
Quemadmodum autem, *intercipit*, hic pro *intercidit*, scriptum esse video: sic apud Manilium quoque, *accipere*, pro, *accidere*, lectum fuisse monui.

Nec designata subieo
Tecta hominum.

scribe; *nec dedignata*. sic Aratus:

——— Οὐδέποτ' ἀνδρῶν,
Οὐδέποτ' ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν,
Ἀλλ' ἀναμίξ ἐκάθητο, καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.

vertit Avienus:

Inter confusos populorum libera cœtus
Versabare jubens.

Jam quæ sequuntur:

Tantum cum trepidum vulgus, cœtusque notavit,
Increpito paetum soboles oblita priorum,
Degeneres babuis, ssmperque babituea minores,
Quid me nunc babitus super & mala vota vocatis?
Quærenda est sedss, nobis, nova secula vestra
Artibus indomiti teadat, scelerique cruento.

Aratæa sunt illa:

Ἤρχετο δ' ἐξ ὀρέων ἐπιδείελος ἠχηέντων
Μουνάξ. ὁ δή τῳ ἐπεμίσγετο μειλιχίοισιν.
Ἀλλ' ὁπότ' ἀνθρώπων μεγάλας πλήσαιτο κολώνας.
Ἠπείλει δ' ἤπειτα καθαπτομένη κακότητος.

Igitur in germanico scribe.

Tantum cum teepidum vulgus cœtusque vocavit;
Inceepat: O pateum subolss oblita priorum,
Degeneres partus semperque babitura minores;
Quid me nunc tseas super in mala vita vocatis?

correctionis manifesta veritas pro *increpito partum*, *scripsi Increpat: O patrum*. versus Aratæus probat. altero vero carmine, pro, *degenеres babuit*, plane in veteribus exstat. *degenеres partus*. &, quod superiorem scripturam deformavit, idem hic repetitum horum quoque versuum depravandorum caussa fuit. nam illud, *babuit*, posterius illud, *babitus*, creavit: cum terras, veteres agnoscant libri. sequitur ibidem:

Quærenda est sides nobis, nova sæcula vestra
Artibus indomitis teadat scelerique cruento.

quæ ita & interpugnanda sunt, & emendanda.

Quærenda est sedes nobis nova. secula vestra
Artibus indomitis studeant scelerique cruento.

Versus etiam non procul inde est alieno loco positus & inde ejiciendus. qui posterius repetitur.

Aurea sed postquam proles terris data, nec jam
Semina virtutis vitiis demeesa resistunt:
Quisque prioea tenet vestigia, quisque secunda
Ferrique invento mens est læata metallo,
Polluit & tenues mensas assuetus aratro:
Deseruit propere terras justissima viego.

Aratus scripsit:

Ἀλλ' ὅτε δὴ κἀκεῖνοι ἐτέθνασαν, οἳ δ' ἐγένοντο,

Xa-

Χαλκείη γενεή, προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
Οἳ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην, πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

vertit Cicero: (1)

Ferrea tum vero proles exorta repente est:
Ausaque funestum prima 'st fabricarier ensem,
Et gustare manu victum domitumque juvencum.

e quibus satis constat carmen illud,

Quisque priora tenet vestigia, quisque secunda,

irreptitium esse; eoque, unde huc ascendit, relegandum. inferius enim suum recte locum possidet. tale est alibi etiam carmen & depravatum & loco non suo repetitum. (2)

Cum spatium attigerit tendentis singulaque ignis.

est enim ex eo formatum:

Cum sedem Ægoceri Citherejus attigit ignis.

qualia in Manilio multa deprehendimus, & partem indicavimus (3) idem alibi

Andrenidæ vero radiat qua stella, sub ipsa
Albo fulget equus, tres barmo sed latera æquis
Distinguunt spatiis, capiti tristissima forma.

primum scribe, *Almo*, pro, *albo*, errore ille ubique fere perpetuo. deinde ita distingue, *radiat qua stella. sub ipsa*
Alvo fulget equus.

mox emenda.

tres armos & latera æquis
Distinguunt spatiis, capiti tristissimi forma.

Ex armo sed, feci, *armos ea:* sive, *&*; littera priori sillabæ adhærens posteriorem mutari fecit. Aratum auctorem dabo: apud quem ita legitur.

Ἀλλ' ἄρα οἱ καὶ κρατὶ πέλωρ ἐπελήλαται Ἵππος
Γαστέρι νειαίρῃ. ξυνὸς δ' ἐπιλάμπεται ἀστὴρ,
Τῆς μὲν ἐπ' ὀμφαλίῳ, τοῦ δ' ἐσχατόωντι καρήνῳ.
Οἱ δ' ἄρ' ἔτι τρεῖς ἄλλοι ἐπὶ πλευρῇσι καὶ ὤμοις
Ἵππου δεικανόωσι διασταδὸν ἶσα πέλεθρα,
Καλοὶ καὶ μεγάλοι. κεφαλὴ δέ οἱ οὐδὲν ὁμοίη.

quod transtulit suo more paulo fusius Avienus:

Rursus o orato qua vertex crine tumescit.
Andremedæ capiti succingitur indiga pleni
Alvus equi; summo quam fax in vertice vibrat
Virginis, inque auras cornu vice surgit acuti.
Ipsa sub abscisso late micat aurea ventre.
Cornipedis simul hunc lux indiscreta reuellit:
Communique rubent duo semper sidera flamma.
Tres latus atque armos aliæ pecoris pinxere:
Et spacio disiuncta pari fax æmula flagrat.

possint & alia infinita tam Græci poetæ collatione, quam manuscripti codicis auxilio a nobis emendari. sed & hoc caput nimium excrescit, & alibi commodius, si tempus feret, tractabuntur. Unum subjiciam, quod parvæ sit rei, & tamen nusquam immutatum. (4)

Has inter medias abrupit luminis instar
Immanis serpens sinuosa volumina torquet.

omnino scribendum esse, *fluminis*, docet Aratus.

Τὰς δὲ διʼ ἀμφοτέρας, οἷη ποταμοῖο ἀπορρὼξ,

Ei-

(1) Libr. 2. de Natur. Deor.
(2) In Hydra.
(3) Equo dimidio.
(4) Statim in principio.

Ειλῆται, μέγα θαῦμα, δράκων περὶ τ' ἀμφὶ ἐαγὼς
Μυρίος.

transtulit Cicero.

Has inter veluti rapido cum gurgite flumen
Torvus draco serpit subter superaque revolvens
Sese. conficiensque sinus e corpore flexos.

eleganter autem quod est in Græco ποταμοῖο ἀπορρὼξ, exprimit illud, *abrupti fluminis*. quemadmodum Virgilius plerumque *abruptum*, usurpat. veluti: (1)

Fertur in abruptum magno mons improbus actu. (a)

at Rufus hoc modo:

Inter utramque dehinc pro clari nominis arcto
Ceu circunflexo sinuantur flumina lapsu
Squammeus agmen agens draco volvitur.

quo in versu emenda: *præclaris nominis Arcton.* constat enim inter utramque spiris suis obire. quod ita reddidit Germanicus:

Hinc atque hinc superaque illas miserabile monstrum.

superaque, inquam non *superatque*. quomodo in Aratæis Ciceronem locutum esse, pro, *supra*, veteres Grammatici annotarunt. sed jam prolixiores sumus, quando proprium illum nobis laborem esse volumus; nisi, quod vehementer opto, doctissimus Susius Maniliaoum Commentarium cum Germanico nimis diu suppressum aliquando in lucem edere in animum induxerit.

Videod. antidhac. *unguentad*, *Lampadio*. *Varroni versus sui restituti*. *idem in Pomponio*, *Pacuvio*, *Titinio*, *Turpilio*, *Afranio*, *aliis*, *factum*. *Nonii defectus suppletus*.

C A P U T XVI.

SUnt profecto, in istis veterum Scriptorum reliquiis, elegantissimorum Poetarum prioris sæculi versus etiamnum aliquot superstites, & ii quidem omni immortalitate dignissimi: quos tamen oblivione ita videmus obsoletos, ut non modo in hominum manibus non versentur, sed etiam prorsus ignorentur. quos partim nos si non coloribus iisdem, quibus fuerant, ut picturam vetustate evanesceotem, renovabimus; id quidem curabimus, ut forma saltem illorum & extrema tanquam lineamenta serventur. Non jam de iis loquor, quorum emendationem in Antiquis nostris publice propositam homines male feriati ae scævis ingeniis præditi & ad maledicendum nati cootumeliose reprehenderunt, quorum calumnias, nisi morus sum, morari nihil debeo; & illius emendatiooi patrocinium aliubi suscepimus: quando illud est æquissimum.

ὁπποῖόν τι εἴπῃσθα ἔπος, τοῖον τ' ἐπακούσαις. (b)

sed de illis est sermo, quorum alii nondum in lucem editi in reconditis Grammati-

(1) *Lib.* IX.

(a) Vergil. carmen per partes ita exponit Taubman: „ Isidorus lib. 10. „ *Improbus dictus, quod instat etiam prohibenti*. Certe Statium notat Bern. „ τὸ *Improbus* vel pro *magno*, vel „ astuto, & callido, vel audaci, aut „ alias in bonam partem *fere* semper „ usurpare: idque exemplis illustrat „ explicatque subinde τὸ *Actu*,, idest im„ pulsu, impetu in multis MSS. legi „ *ictu*, notat Pierius: nec sibi displi„ cere ait. Propert. lib: 3, 1.

Aut illis flamma, aut imber subducet honores.

Annorum aut ictu pondera victa ruent.

(b) Latine: „ Qualia verba facere solitus es, talia & audire debes.

maticorum Archiviis delitescunt, partim vero lucem viderunt, sed ita deformes & situ nimio squalidi, ut eos delitescere tantum non melius fuisse videatur. ac prioris quidem formæ exempla aliquot alio in caput congerentur. de posteriore vero genere suot illi, quos subjecimus. *Varro Agathone*. (1)

Quid tristiorem video te esse, quam angit hæc
Lampadion? quod familiaris Filius
Amat? hæc spes est auxilii argentario.
Ideoque scapulæ metuunt vergendemiam.

quam carminum tenere versus hi legem debeant. postremus satis indicat: & alioqui alia ex eadem allata satyra docere possuot. quale illud est: (2)

Numnam cælatus in manu dextra scyphus
Cæloque dolitus artem ostentat Meutoris?

sic enim ibi scribendum, non *cælo dolitus*, docent nos idiographa. sed ad priora: io quibus & numeri vehementer turbant, & scriptura plurifariam est corrupta. primum, *te*, primore versu ignorant membranæ. deinde illud, *angit hæc*, ita in iis est præscriptum seu potius perlitum, ut verbum alterius vicem suppositum esse non difficulter deprehendas. duplex uoo eodemque loco ἀρχαϊσμὸς locum corrupit; scripsit Varro:

Quid tristiorem videod. esse quam antidhac.

videod. ut apud Plautum, *unguendad olere*. quo loco qui, *dolere*; pro, *olere*, positum esse vir Græce doctissimus non ita nuper observavit, quod judicium sit secutus valde miror. *antidhac*, pro, *antehac*, ut, *postidea*, pro, *postea*, *antideo*, pro, *anteo*, & mille apud Plautum aliosque veteres hujusmodi. Jam *Lampadiouem*, oon, Lampadion, aut, quod in antiquis fuit editionibus, *Lampadione*, Varronem scripsisse & nostræ & Victorinæ testificantur membranæ. *Lampadio* servi etiam Plauto nomen est,(3)& inter comicas personas a Polluce refertur, certe grammaticos plerosque libertos fuisse vulgo satis notum est. qua ratione adducor, ut eredam, C. Octavium *Lampadionem*, cujus Suetonius(4) meminit, ab Octavio aliquo manumissum Lampadionis nnmen in cognomen vertisse. quod illi sæculo non rarum fuit. quin enim idem is sit Lampadio, cum eo, cujus manu Ennii librum emendatum precio multo unius versus inspiciendi gratia Ant. Julianum cooduxisse scribit Gellius (5) dubitari nequaquam posse existlmo: præsertim cum veterum grammaticorum fuisse munus, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent, & hunc ipsum Lampadionem Nævii bellum Pœnicum unico volumine & continenti scriptura expositum in septem libros divisisse idem diserte tradiderit Suetonius. postremo apud Varronem est scribendum, *nec spes est*. Servus, herili filio in amoribus dedito. ipse pecunia illa facienda. quod in Comediis solet, vehementer laborat, &, ni fecerit. scapulis suis metuit. quod alius servus illi obvius his versibus obiicit.

Quid tristiorem videod esse quam antidhac
Lampadionem? quid familiaris filius
Amat: nec spes est auxilii argentarii,
Ideoque scapulæ metuunt virgindemiam?

Versus & constitui & emendavi. at eos, qui sequuntur, constituam duntaxat. nam unam alteram vocem leviter in iis immutare, vix emendationis nomen mereri judico. Varro Andabatis: *Candidum lacte papilla cum fluit*, (male alii *confluit*) *signum putant partuis*, *Quod hic sequatur mulierem e partu liquor*. numeri

(1) Nonius. *Virgindemia*.
(2) Nonius. *Cælare* & *Dolitus*.
(3) In Cistellaria.
(4) Libr *De claris Grammat*. Initio.
(5) Libr. 18. Cap. 5.

ri ſunt quadrati, & hunc in modum reponendi: (1)

Candidum lacte a papilla cum fluit: ſignum putant
Partuis: quod hic ſequatur mulierem a partu liquor.

Addantur & alii, iique etiam confuſi & ſuam in ſeriem reſtituantur. Varro ὄνῳ λύρας: *Equi colore diſpares, ita nati, hic badeus, iſte gilius, ille murrinus.* verſus ſunt trimetri ſcazontes ſic ſuo ordine collocandi:

Equi colore diſpares, ita nati:
Hic badius, iſte gilvus, ille murrinus.

ſed, Varrone aliud in tempus rejecto, ad alios accedamus. *Pomponius Pannuceatis: Dixi ego illud futurum. in prima valva etiam vix heret miſera evannetur & mea opera ut fiat ocius fecero.* latet hic neſcio quid parum pudens Pannuceatarum obvolutum pannis, quod ego ſane non evolvam. verſus tamen ita ſunt conſtituendi.

——— *dixin ego*
Illud futurum? in prima valva etiam vix hæret miſera.
Evannetur. id mee ocius opera ut fiat fecero.

verſus quadrati: niſi quod in pede penultimo liberiores ſunt. quales fuiſſe antiquiorum non ignoratur. & ſane aliquis, *miſerula*, legat ſe auctore. ego quidem auctoritatem defugio. ibidem Pomponius: *Mulier ubi aſpexit tam mirifice tutulatum truam.* trimetri ſunt, eadem, qua ſuperiores, verecundia. (2)

——— *mulier ubi*
Aſpexit tam mirifice tutulatam truam.

Tertium ejuſdem eſt Pomponii in Præcone poſteriore: *Calve apportas nuntium nobis diſparem, diviſum, huic ſeni ſenium & metum.* quod ita ſuos in numeros digere.

——— *calve apportas nuntium*
Nobis diſparem, diviſum, huic ſeni ſenium & metum.

eſt enim trochaicus trimeter, ſive quadratus: quo verſus genere ea in Atellana Pomponium luſiſſe ex iis, quæ ſuperſunt, fragmentis leviſſime probari poteſt. ſuccedat Pacuvius, nullam enim hic aut temporis, quo vixerunt, aut elegantiæ ſcriptorum habemus rationem: ſed, ut quidque ſe in manum dat, ita chartæ illinimus. is igitur Peribœa. *Metus*, inquit, *egeſtas, mæror, ſenium exſiliumque & ſenectus.* ſic quidem apud Nonium poſteriores, eæque etiam meliores, ni fallor, habent editiones. at in Veneta, quæ eſt Octaviani Schotian. CIↃ. CCCC LXXXIII. adduntur & illa, *& ſitis perpetua.* quibus adjectis recte mihi verſus ita componere poſſe videor.

——— *metus*
Egeſtas, mæror, ſenium, exſiliumque & ſenectus & ſitis.
Perpetua.

itaque efficientur quadrati. qualis etiam eſt ille Afranii Privigno: (3)

——— *interea*
Verba jactare & labris inter ſe velitarier.

nam & vox illa ultima, *velificarier*, quæ apud Nonium exſtat, veteribus editionibus ac membranis ignoratur. neque unde eo irrepſerit ſatis ſcio. &, quoniam ibi ſum, Titinio quoque in Fullonibus, fabula ab antiquioribus valde celebrata, trimetrum reddam. ſic enim eſt apud Nonium: *Qua inter decem annos nequeviſti unam togam detexere.* cum ſcribi debeat.

——— *qua inter decem*
Annos nequiſti unam togam detexere.

de illo vero Titinii verſu, qui proxime ſequitur, quid ſentirem, alibi dixi. neque demuto. eorum, qui contra ſentiunt, calumnias alibi refutabo. Turpilius

(1) Nonius. *Lacte & Partuis.*
(2) Nonius. *Truam.*
(3) Nonius. *Velitatio.*

lius in partes jam vocetur. cujus e Demetrio nobili, ut ait Diomedes, (1) Comœdia verba sunt. *At etiam ineptus meus mihi est, iratus pater, quia se talento argenti tetigi veteri exemplo amantis.* (2) videntur his in verbis quadrati latere: quorum tamen prior claudicet. leviter tamen juvari potest, si ad vetustissimæ editionis fidem emendaveris, & scripseris:

At etiam ineptus est. meus mihine est iratus Pater, quia
Se talento argenti, tetigi veteri exemplo amantium,

quo certe pacto trochaicos bonos reddideris & versus lepidissimos pristinæ integritati restitueris.

Secula. differitas. Ceres ab Jacebo. potis est. Lucretius emendatus. verba Lucretiana Arnobio restituta, desperata. Chalcidicum. index Ancyranus. Varro Menippæus. mactare. Venus Æneadum mater. Arnobius passim emendatus. ejus defectus suppletus.

CAPUT XVII.

AMat Arnobius scriptor doctissimus doctissimi Poetæ Lucretii, quod & alii observaverunt, sequi vestigia, illiusque verba, si quæ sunt elegantior., minusque proculcata, frequenter usurpare, quod etsi ex iis, quæ hodie extant, verum esse satis apparet: multo tamen id esset manifestius & in omnium incurreret oculos, nisi voces illæ minus vulgariæ nequedum potritæ in illius scriptis alias in voces plerumque vertissent. *Seculum* pro multitudine sive subole etiam in feris non raro posuit Lucretius. veluti; (3)

——— *parit omnia secla ferarum,*
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt.

&:

Quæ varia retinent Gentes & secla ferarum.

sed nihil est apud illum celebrius. eodem modo dixerat Arnobius, *ruminatoribus seculis*, pro, *animalibus ruminantibus*. at nescio quomodo, *vitulis*, quam, *seculis*, maluerunt scribere, qui se librorum illius emendatores sunt professi. verba sunt: (4) *Non ratione eadem rumas. quæ sunt prima in Curgulionibus capita, qua dejicere cibos & referre natura est ruminatoribus seculis*. sic enim est scribendum. Lucretius, quod propius ad rem facit, bucera secula dixit: (5)

Lanigeraque simul pecudes & bucera secla. (a)

quam vero unum altero sit elegantius etiam illi vident, qui nec Arnobium viderunt, nec Lucretium Latine loqui posse judicant. *Differitas* pro differentia & discrimine Nonius in illo Lucretii versu notavit. (6)

Tantaque in his rebus distantia differitasque est.

idem verbum apud Arnobium exstat. *Quid ergo cessatis nec cujuslibet arboris viscum sine ulla passim differitate comburitis?* exstat & alibi, absque iis fuisset, quos supra nominavi. ita enim lib. v. in veteribus membranis legitur: *Ubi enim dicitur in unius tam potest &c.* cum vulgo sit; *differentia*. & mirum cur uno

(1) Libr. 1.
(2) Nonius. *Tangere*.
(3) *Libr.* 2.
(4) *Libr. 7. Advers. Gent.*
(5) *Libr.* 5.
(6) *Libr.* 4.

(a) Placet hic quoque τό *Bucera* interpretari, Noniumque producere in voce *Bucerias* ita scribentem: *Bucerias Boum greges. Lucretius lib.* 2.
Lanigerae pecudes, & equorum duellica proles,
Buceriaeque greges.
& in hunc Lucret. loc. apposite quoque Lamb.: *Bucerum*, ait, *pecus de bubus dicimus, inquit Festus.*

uno in loco vocem illam retinuerint, ex altero ejecerint; nisi forte posterior illa verbi repetitio religionem nescio quam iis objecit. *Potis est*, pro, *potest*, Lucretianum esse qui ignorat, vel ex his discat versibus. (1)

——— *quod unnquam sine perniciali*

&: (2)

Discidio potis est sejungi seque gregari
Nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.

Cujus elegantiæ ignoratio ipsi etiam Lucretio fuit fraudi. nam quod apud eum scribitur. (3)

——— *cum primis quærere par est*
(Quoad licet potis es) reperire inolentis olivi
Naturam.

plane ac disertim in libro manuscripto legitur:

Coad licet ac potis est reperir inolentis olivi.

ut dubium non sit quin, *potis est reperiri*, scribi debeat. At idem illud loquendi genus infinitis, prope dixerim, locis usurpaverat Arnobius, sed passim immutatum, pro cujusque variandi libidine, conspicimus. ea tantum indicabo, quæ v. c. integra servare deprehendi. *Expers*, inquit, (4) *quantitatis, sine situ, motu, & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potest significatione verborum*. scribe; *potis est*, & lib. II. *Nonne fieri pote est, ut exorti homines ita sint, nec ad Deum primum nativitatis eorum referatur auctoritas?* v. c. *potis est*, & eodem secundo: *circa illum semper, quantum fieri potest, cogitatione ac mente versari*. & hic, *potis est*, emenda. deinde. (5) *neque enim contrarium insitum esse contrario pote est, aut impari paritas aut dulcedo in amaritudine contineri*. & mox: *Ergone, inquiret aliquis, sine Dei voluntate quicquam pote est fieri?* item: *Sed, quantum fieri potest, ad Dominum rerum tota mente atque animo proficisci*. &: *qui fieri pote est ut alii præstare vel quod ipsi sunt valeant, cum alienum id habeant & majoris potentiæ commodatum?* Rursus libro quarto. *Et qui fieri pote est remotis magisteriis litterarum?* postremo, libro septimo. *Sed si Deus, ut dicitur, nullius est corporis omnique est incontiguus tactu: qui fieri potis est, ut corporalibus rebus nutriatur incorporeum*. & mox: *Cessat ergo, ut apparet, sacrorum hæc ratio, neque dici a quopiam pote est, ea caussa sacrificia celebrari, quod alantur his numina, & eorum sustineantur e pastu*. deinde: *Etenim qui pote est habere idoneum id, quod sequitur caussam, cum ipsum illud primum a quo defluit secundum, inanissimum esse reperiatur?* &: *Quicquid aut pote est causam calamitatis inferre*. item: *Nonne fieri pote est, ut, quæ vobis afferunt voluptatem, contra illis aspera videantur & tristia?* Quibus locis omnibus, *potis est*, repone; & illorum errorem argue, qui, eum, qui ita loqueretur, Solœcum esse arbitrarentur. certe a verbo, *potissum*, quod olim monuit noster Lipsius, ea loquendi ratio videtur promanasse. Jam vero ubi Lucretium nominat: Lucretianum quoque hemistichion affert, & verbis utitur Lucretii. Sed totum locum apponamus, ut nostra opera legatur emendatior & nonnihil etiam aliunde lucis illi accedat. *O pura*, inquit, (6) *o sancta atque ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas! avet animus atque ardet in Chalcidicis illis magnis atque in Palatiis Cœli Deos Deasque conspicere intectis corporibus atque nudis, apud Jaccbum Cererem, Musa ut prædicat Lucretii, mammosam, Hellespontiacum Priapum inter Deas Virgines atque matres circumferentem res illas, præliorum semper in expeditione paratas*. primum scribe; *dispersata*. qua de voce in Gellio diximus. deinde reliqua illa, quæ Gelenius mutaverat, ut Canterus in Romana editione esse monuit, utque nos jam scripsimus, ita corrige. Chalcidici meminit Festus, & ipse postea Arnobius

(1) *Libr.* 1.
(2) *Libr.* 5.
(3) *Libr.* 2.
(4) *Libr.* 1.
(5) *Eod m Libr.*
(6) *Libr.* 3.

bius (1). *Scribuntur Dii vestri in tricliniis cælestibus atque in Chalcidicis aureis cœnitare, potare &, ad ultimum fidium & vocum modulatione mulceri*. reliqua, quæ eam in rem adduci poterant, nolo tangere. commentarium scripturis relinquo. Tantum monebo Indicem illum rerum ab Augusto gestarum Ancyranum, quem velut spolium ex Asia reportans maximo Thesauro beavit Europam heros longe maximus Augerius Busbequius, ad hæc aliaque talia in Remp. beneficia conferendum natus, & a natura reservatus, quemque Amicus noster Vir eximie doctus And. Schottus cum Aurelio Victore ejusdem Busbequii auspiciis in lucem emisit, sic etiam Chalcidicum nominare. CVRIAM ET. CONTINENS. ET CALCHIDICVM. TEMPLVM. QVE. APOLLINIS. IN. PALATIO. ET. PORTICIBUS. &c. Indicem dico. nam qui Breviarium totius Imperii esse existimat, cujus & Suetonius (2) & Tacitus (3) meminerunt decipi se vero vincuntur. majus erat Breviarium, & ea continebat, quorum hic nulla fit mentio, ut, ex ipso Suetonio facile erit discere. neque mirum, Ancyræ enim indicem in Prætorio fuisse descriptum: quum Asiæ communitialem Augusto Ancyram dedicasse Josephus Judæus, aut ipse potius Augustus apud Josephum testetur. quod & Busbequius in præclaro illo suo itinerum libro non neglexit indicare. sed ad Arnobium redeamus: apud quem quod legitur, *apud Jacchum Cererem*; corrigi debet, ut quidem in calamo exaratis libris scribitur, *ab Jaccho Cererem Musa ut indicat Lucretina*. quamquam ibi esse, *Musa Lucretia*, inficiari nolim. alludit ad illud Lucretii: (4)

At Lamia & mammosa Ceres est ipsa ab Jaccho.

Monui superioribus observationibus Varronem, quod Satyras Menippæas scripserit, Menippæum a Symmacho appellari, & ejusdem epistolam apposui. eodem illum epitheto videtur Arnobius appellasse (5) sed verba sunt in macula. *Ne unum quidem habuerit scrypulum, quod harundinibus hospitiis, Varro ut dicit in Menippis, ostenderet*: in Romana editione itemque vetere codice est: *Varro ut dicit Setbempebous ostenderet*; aut, *Fenitbepebans* non dubito quin *Menippæus* scripserit Arnobius & caussam jam attulit. *Mactare* in sacris aliud non esse, quam Deum muneris alicujus oblatione augustiorem & potentiorem facere Arnobii, aliorumque testimoniis docui. volo nunc eam in rem alia ejusdem scriptoris allegare verba, & defectum, qui in iis est, etiam in optimis editionibus, supplere. *Etenim*, inquit, (6) *si bonos auget ejusque accumulat dignitatem cui fuerit attributus; sequitur ut auctor Deus fiat ab homine, a quo fuerit munere & honoris collatione donatus atque ita perducitur res eo, ut inferior Deus sit, qui honoribus mactatur humanis*. his tu statim subjice, quod huc necessario pertinere certum est, *homo vero sublimior. qui auget potentiam Numinis*. Per *Æneadum Genitricem* in versibus Ovidianis primum Lucretii librum significari satis ostensum est. illud tamen iis, quæ scripsi, apponi vellem, Arnobium ad eadem illa verba respexisse, cum ita scriberet. (7) *Nonne vestris cautum est litteris adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis Genitorem Thetidem, Proserpinam in Adonem marem ejus, Cœnonem in Jasionem nescio quem rusticanum, & post Vulcanum, Phætontem, Martem, in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem Æneadum & Romanæ dominationis auctorem*. Sed ita multa sunt in Arnobio hujusmodi, ut præcipuam aliquam industriam mereri videantur; ne quis hac opera subsiciva expediri posse falso suspicetur. Illud tamen interea tollatur ibidem vitium, quod cum levissimum sit, a nemine animadversum esse miror; *Adonem marem ejus*. quis enim corrigendum non videt; *Ade-*

(1) *Libr. 4.*
(2) *In Augusto.*
(3) *Annal. Pri.*
(4) *Libr. 4.*
(5) *Libr. 6.*
(6) *Libr. 7.*
(7) *Libr. 4.*

Adonem, matrem ejus Cererem in Jasionem &c. Ceres mater est Proserpinæ. neque quomodo Adonis Veneris mas aut Latine aut vere dici possit, facile dixeris.

Libri Protagoræ deusti. illicita factio querquera. Aristoteles Ponticus. imagines & statuæ. calui sacerdotes. Libero. Libera, eadem quæ Proserpina. plurimum quantum. Saturnus a Jano hospitio acceptus. prodituri. Epona. Firmicus, Tertullianus & locis compluribus Minuncius emendati.

CAPUT XVIII.

QUod superius monui, Arnobium a viro doctissimo, correctioois specie, fuisse corruptum, idem Minucio felici, (illi enim Octavium, adverius Gentes librum Junius ooster, in Animadversis suis, princeps jam olim vindicavit) in Octavio usuvenisse videor posse confirmare. Franciscus enim Balduinus I. C. optimis adnumerandus, dum illius correctionem pollicetur, noo tantum meliorem non emisit, sed multis etiam in locis ab antiqua & vera Minucii scriptura recedens, veri correctoris munus oon adimplevit. nolo plura dicere. editiones omnium passim sunt io manibus; nec difficilis est dijudicatio tantum locorum aliquot, qui mutarunt, restitutionem subjiciam, & elaboranti Mioucio auxilii nonnihil afferam. Cum, inquit Felix, *Abderiten Protagaram, Athenienses viri consulto potius quam prophane disputantem & expulerunt suis finibus & in concione scripta ejus deriserunt: quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptæ actionis liberius exserentem) homines, inquam, deploratæ, inclinatæ, ac desperatæ factionis grassari in Deos non ingemiscendum est?* ait; *prophane disputantem*: neque qua de re egerit aut disputaverit uspiam subjungit. ot scripserat Minucius; *de divinitate disputantem*. quæ verba inde non debebant eximi. similia prope sunt apud Lactantium. ait, *in concione, ejus scripta deriserunt*. deriserint vero? tantum? atqui publice Athenienses igni impositos concremasse illius libros plane sunt testimoniorum omnia. scripsit Minucius: *in concione ejus scripta deriserunt*. qua omni de te Diogenes Laertius hoc modn prodidit: Ἀλλαχοῦ, inquit, δὲ τοῦτον ἤρξατο τὸν τρόπον. περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι εἴθ' ὡς εἰσίν, εἴθ' ὡς οὐκ εἰσίν. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι ἥτε ἀδηλότης, καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου. διὰ ταύτην δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ συγγράμματος ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων. καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ ὑπὸ κήρυκα ἀναλεξάμενοι παρ' ἑκάστου τῶν κεκτημένων. jam pro, *inclinatæ*, recte habent vetustiores; *sulcitæ*. posterius vero: *Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus, & corporibus quibus, ipsisve an innovatus resurgatur*: legi debet; non, ut vulgatum est, *surgatur*. sequitur: *Tu, qui immortalitatem postumam somnias, cum querquero quateris, cum febribus ureris, cum dolore laceraris, non tum condicionem tuam sentis? querquero* rectum esse videri poterat nisi sequeretur, *cum febribus ureris*. nam &, *querqueram*, in febribus esse in Gellio diximus: (1) & alioquio *querqueram*, ut in Festo est videre, ooo querquerum, dicebant antiqui. antiquio-

(3) Libr. ult. Cap. x.

(a) Locus est Libr IX. io Protagora quem vertit Is. Casaub. ex edit. Henr. Steph. Gr. Lat. ann. 1593. „ Alio autem in loco in hunc coepit „ modum: De Diis quidem statuere „ nequeo, neque an sint, nec ne. „ Sunt enim plurima quae id scire „ prohibeant, quippe & summa rei „ incertitudo, & brevis hominis vita. „ Ob hoc autem principium Operis „ pulsus ab Atheniensibus est, librique „ illius in foro cremati sunt, sub Praeconis voce, a singulis, qui illos habebaot, investigati.

quiores libri: *cum periculo quateris*. quod tamen ipsum esse rectum & huic loco deberi temere nolim asseverare. quid? quod, qui *Aristoteles Ponticus*, ab eodem nominatur, *Aristoteles*, appellari debuit, imo vero appellatus fuit, si membranas sequimur. *Aristo Chius*, ab eodem *Aristo Chius Stoicus*, vere fuit nuncupatus. quæ vox omittatur? majoris est illud momenti, & elegantiore indiget correctione, quod ita scribitur: *Dum reges suos colunt religiose, dum defunctos eos desiderant in Imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias instantius detinere: sacra facta sunt, quæ fuerant assumpta solatia*. nam quid est illud, *instantius detinere?* scio quid primo intuitu responderi possit: sed illud etiam scio, qui ita responsurus fuerat, correctione nostra inspecta a sua sententia non gravate recessurum. scripsit profecto Minucius: *dum defunctus eos desiderant in Imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in Statuis detinere*. duo fere defunctorum sunt monumenta; imagines & statuæ levis certe & proclivis syllabæ utriusque commutatio. deinde: *Isis perditum filium suum cum Cynocephalo suo & aliis sacerdotibus suis luget, plangit, inquirit*. perpulchre membranæ: *& calvis sacerdotibus*, Isidos sacerdotes calvos fingi nemo tam rudis est & imperitus antiquitatis qui ignoret. rasionis capitum in iis caussam affert Plutarchus (1) his verbis: ὔτε γὰρ φιλοσόφυς πωγωνοτροφίαι, ὦ Κλέα, τριβωνοφορίαι ποιῦσιν, ὔτε Ἰσιακὺς αἱ λινοστολίαι καὶ ξύρησις. ἀλλὰ Ἰσιακός ἐστιν ὡς ἀληθῶς, ὁ τὰ δεικνύμενα καὶ δρώμενα περὶ τὺς θεὺς τύτυς, ὅταν νόμῳ παραλάβῃ λόγῳ ζητῶν, καὶ φιλοσοφῶν περὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἀληθείας. ἐπεὶ τύς γε πολλὺς καὶ τὸ κοινότατον τῦτο καὶ τὸ σμικρότατον λέληθεν, ἐφ' ὅτῳ τὰς τρίχας οἱ ἱρεῖς ἀποτίθενται καὶ λινᾶς ἐσθῆτας φορῦσιν, οἱ μὲν ὐδόλως φροντίζυσιν εἰδέναι περὶ τύτων. οἱ δὲ τῶν μὲν ἐρίων ὥσπερ τῶν κρεῶν, σεβομένυς τὸ πρόβατον ἀπέχεσθαι λέγυσι, ξύρεσθαι δὲ τὰς κεφαλὰς διὰ τὸ πένθος, φορεῖν δὲ τὰ λινᾶ διὰ τὴν χρόαν ἣν τὸ λίνον ἀνθοῦν ἀνίησι τῇ περιεχύσῃ τὸν κόσμον αἰθερίᾳ χαροπότητι προσεοικυῖαν. omnem vero historiam elegantissime refert Maternus Firmicus: (2) *Hæc est*, inquit, *Isiaci sacri summa. In adytis habent idolum Osiridis sepultum; hoc annuis luctibus plangunt: radunt capita; ut miserandum casum Regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis: tundunt pectus: lacerant lacertos: veterum vulnerum resecant cicatrices: ut annuis luctibus in animum eorum funestæ ac miserandæ necis exitium renascatur*. paullo etiam post, *Liberam*, non, *liberam scribi debet*. *Ceres*, inquit, *facibus accensis & serpente circundata* (ita enim scribe, non, *circumlata*.) *errorem subreptam & correptam Liberam anxia & sollicita vestigat*. Libera eadem est quæ Proserpina. Arnobius lib. 5. *Parit*, inquit, *mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nuncupavit*. sed hac eadem de fabula late Firmicus, ubi de sacris Eleusiniis accurate scribit. nostrum, de his copiosius agere, non esse existimo. tantum in eodem Firmico eandem vocem observandam & notandam esse moneo. & primo quidem iis in verbis: *Sed supersunt aliæ superstitiones, quarum secreta pandenda sunt, liberi, & liberæ*. scribe; *Liberi & Liberæ*. item in illis: *tunc liber projectis infulis, quas pampineis coronarum circulis eligebat, cum semiviro comitatu fugiens &c.* scribe; *tunc Liber*, sed pro-

(4) Libr. De Isid. & Osirid.

(1) Libr. De Error. Prophan. Relig.

(a) Guilielm. Xylander interpretatur. „ Non enim, o Clea, philosophum barba & pallium, neque Isiacum hinc gestatio aut rasura faciunt. „ Sed Isiacus is vere est, qui quæ ostenduntur & aguntur de Diis istis, rite „ comparat cum rebus, & veritatem philosophica inquisitione indagat. Uulgo „ enim etiam usitatissima ista atque minima sunt incognita, cur capillos ponant Sacerdotes, cur lineas gerant vestes: quidam ne curant quicquam his „ de rebus cognoscere: alii lanis eos ut „ & carnibus ovium religionis gratia putant abstinere, radi capita ob luctum; „ linum gerere ob colorem quem flos „ lini habet similem nitori aetheris „ mundum ambientis.

propius ad rem veniamus. *Liberum ad Solem volun: referre commenta Græcorum, Proserpinam vere liberam dicentes Lunam esse confingunt*, *Liberam* emendandum esse jam satis quivis videre potest. Observavi in Antiquis *nimium quantum*, veteres sæpiusculo usurpasse; eamque in rem Terentii, Ciceronis, Gellii, aliorumque locos emendavi, quas tamen emendationes meas Plautinus servus, quarto postquam Antiquas divulgaram, anno suo & gentis suæ more, tanquam spicum in arvo reliquum, suos in libros sublegit. Nunc vero, *plurimum quantum*, eosdem dixisse eodem exemplo moneo. *Has fabulas*, inquit Miouciua, *& ab imperitis parentibus discimus*. (sic enim v. c. non *didicimus*) *&*, *quod est gravius, ipsis studiis & disciplinis elaboramus, carminibus præcipue Poetarum: qui permirum quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuere. mirum quantum* Græcum esse iisdem Antiquis docui. hic tamen *plurimum quantum*, veteres libros habere comperio, eosque non invitus profecto sequor. *Saturnus*, inquit Felix, *Creta profugus, Italiam metu filii sævientis accesserat, etiam susceptus hospitio rudes illos homines & agrestes multa docuit ut Græculus & politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere*. quid illud sibi vult? *etiam susceptus hospitio*. sane non video: nisi quod scribendum esse scio: *& Jani susceptus hospitio*. probant sequentia: *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, & Urbem Saturniam de suo nomine, & Janiculus Janus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt* eadem sunt apud Varronem, (1) aliosque Scriptores. Arnobius lib. 1. *Janus Janiculi conditor, & civitatis Saturniæ Saturnus Auctor*. sed (a) elegantius Virgilius, (2) quem noster imitari videtur voluisse.

——— *Latiumque vocare*

Ma-

(1) Varr. De Ling. Lat.

(2) *Libr.* 8.

(a) Ad haec, quae proferuntur a nostr. Auct. de Saturniae Civitatis Conditore Saturno accedere quoque possunt verba in hunc loc: a Jac. Pontan. Symbol. Lib. 13. ad Aeneid. ita congesta: „ Superaddamus Tertullia„ num, testem gravissimum, qui in „ Apologet. Cap. 11. quo demonstrar, „ veterum Deos plane mortales, & „ ab hominibus consecratos fuisse, haec „ de Saturno refert, quae non parum „ lucis dant Virgilio. In Italia Sa„ turnus post multas expeditiones, „ postque Attica hospitia consedit, „ exceptus ab Jano, vel Jane, ut alii „ volunt. Mons, quem coluerat, Sa„ turnius dictus: Civitas, quam de„ bellaverat, Saturnia cognominaba„ tur. (*Dionys. lib. 1. Quin & uni„ versa Ora, quae nunc vocatur Italia, „ dicata erat huic Deo, & a Cultoribus „ Saturnia vocabatur, ut licet videre in „ Sybillinis carminibus, & aliis Oraculis „ a Diis redditis, suntque passim per eam „ regionem multa huic Deo Fanua dicata, „ & quaedam Civitates, eodem quo uni„ versa tunc Ora dicta nomine loca etiam „ multa ab eodem numine denominata, „ praecipue scopuli, & editi tumuli.*) „ Ab ipso primum Tabulae, & ima„ gine signatus nummus, & inde aera„ rio praesidet. Tamen si homo Sa„ turnus, utique ex homine: & quia „ ab homine, non utique de Coelo, „ & Terra. Sed cujus parentes ignoti „ erant, facile fuit eorum Filium dici, „ quorum, & omnes possumus videri. „ Quis enim non Coelum, & Ter„ ram, Matrem, ac Patrem venera„ tionis, & honoris gratia appellet, „ vel ex consuetudine humana, qua „ ignoti, vel ex inopinato apparentes „ e Coelo supervenisse dicuntur? Pro„ inde Saturno repentino adventu ubi„ que Caelitem contigit dici. Nam „ & Terrae Filios vulgus vocat, quo„ rum genus incertum est. Taceo, „ quod ita rudes adhue homines age„ bant, ut cujuslibet novi Viri aspe„ ctu, quasi divino, commoverentur, „ quum hodie jam politi, quos ante „ paucos dies luctu publico mortuos „ sint confessi, in Deos coosecrent. „

Maluit, bis quoniam latuisset tutus in oris.

& paullo post:

Hanc Janus pater, banc Saturnus condidit urbem.
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Saturni quoque a Jano hospitio recepti ita meminit Ovidius.

Hac ego Saturnum memini tellure receptum
Cælitibus regnis a Jove pulsus erat.
Inde diu Genti mansit Saturnia nomen.
Dicta quoque est Latium terra latente Deo.

Prodituri quoque, pro, *proditum* sive *prodituri*, idem dixit Minucius; quemadmodum multa similem in formam apud Catonem, Varronem & Ciceronem in antiquis exemplaribus, item apud Jurisconsultos in Pandectis Pisanis inclinata leguntur. sed librariorum, ne quid aliud dicam, mutavit imperitia. *Post mortem*, inquit, *Amphiaraus ventura respondit, qui proditus est ipse ob monile ab uxore nescius.* scripsit Minucius: *Post mortem Amphiaraus ventura respondit, qui proditum se ob monile ab uxore nesciunt.* vide quomodo optimos scriptores pessimorum hominum pro sua lubidine grassata sit licentia: qui non ea tantum, quæ non intelligebant, ex illorum libris sustulerunt, sed illa etiam, quæ, pro suo captu, meliora esse judicabant, ærea videlicet argenteis, substituerunt. *Dum inspirantur*, inquit, *interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta*; tu scribe: *dum fanis immorantur*. quanquam hoc vitium librariorum incuriæ lubenter condonaverim, illud non item, quod pro, *tormentis*, scripserunt, *meritis sciunt*, inquit, *plerique vestrum ipsos dæmonas de semetipsis consiteri, quotiens a nobis tormentis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur.* ne illud quidem, quod sequitur. *Quantum autem vitium sit incognitus & exploratus judicare, quod facitis; nobis ipsis pænitentibus credite*: cum in autographis sit, *Quam autem iniquum sit de incognitis & inexploratis judicare.* non enim id jam vitium duntaxat esse, sed summa etiam iniquitas deprehenditur. quid? quod *Eponam* quoque Felix nominavit, quem vulgati libri *Hipponam* indigitarunt? quomodo in optimo Cl. Puteani v. c. libro apud Tertullianum in Apologetico legi jam olim monui: & Jacobus Pamelius mihi non modo arctissimæ cognationis, quanquam & illius maxime, sed etiam virtutis & præclaræ eruditionis nomine longe carissimus in præclaro illo suo in Tertullianum Commentario, quo scriptorem eruditissimum pæne in vitam revocavit, annotare non neglexit.

Nephthys. integrum facinus incesti. effeminare. pati muliebria. as unus pro stipe in sacris Veneris Cypriæ, Jupiter Sabatius. Firmici liber percurritur, & passim varia emendantur.

CAPUT XIX.

Elegans est Julii Firmici, quem supra nominavi, de Errore Prophanarum Religionum liber: quem non tantum mutilum, verum etiam in paucis iis, quæ supersunt, ita maculosum habemus, & variis nævis deturpatum, ut vera illius facies vix agnosci a quoquam possit. nos duos tres errores judicabimus; & quod in nobis erit, ab eo auferemus. idque eo libentius, quod omnes illos, qui Latine eodem in argumento sunt versati, uno volumine comprehendere & in vulgus correctiores dare, multo ab hinc tempore decrevimus. *Isis*, inquit Firmicus, *repudiato Typhone ut & fratrem sepeliret & conjugem, adhibuit sibi Neptuni sororem sociam & citati corporis partes artificio canis vestigantis invenit.* Quæ est hæc Nephtuni soror socia. nam de Anubi res est clara. *Nephthym* legen-

legendum esse docet Plutarchus, (1) apud quem hæc eadem ista sunt : nisi quod non per omnia in fabulæ narratione inter illos convenit. Αἰσθομένην δὲ, inquit Plutarchus, τῇ ἀδελφῇ ἐρῶντα συγγεγονέναι δι' ἄγνοιαν, ὡς ἑαυτῇ τὸν Ὄσιριν καὶ τεκμήριον ἰδοῦσαν, τὸν μὲν λώτινον στέφανον ὃν ἐκεῖνος παρὰ τὴν Νέφθυν κατέλιπε, τὸ παιδίον ζητεῖν, ἐκεῖνον γὰρ εὐθὺς πεσοῦσαν διὰ φόβον τὸν τυφῶνος εὑρεθὲν χαλεπῶς καὶ μόγις κυνῶν ἐπαγόντων τὴν Ἶσιν, ἐκτραφῆναι καὶ γενέσθαι φύλακα καὶ ὀπαδὸν αὐτῆς, Ἄνουβιν προσαγορευθέντα καὶ λεγόμενον τοὺς θεοὺς φρουρεῖν ὥσπερ οἱ κύνες τοὺς ἀνθρώπους. & Nephthyn Saturni quoque filiam esse id antedixerat Plutarchus. *Amare*, inquit Firmicus, *terram nolunt fruges, amatum vero hoc ipsum volunt esse, quod ex frugibus nascitur ; pœnam autem, quam sustinuit hoc nolunt esse, quod false messor maturis frugibus facit*. ubique scribendum ; *volunt*, non, *nolunt*. deinde, quod est visu facillimum, *quod falce messor maturis frugibus facit*. Jam, cum de aere loquitur, vox, *nomen*, desideratur : sic enim ibi est : *Nam hunc eundem, id est, aerem nomine Junonis vel Veneris, si tamen Veneri placuit aliquando Virginitatis, consecrarunt*. est enim corrigendum, *placuit aliquando nomen Virginitatis*. sequitur : *Junonem sane, ne & huic deesset incestus Jovis, volunt & sorore conjugem factam*. tu scribe : *ne & huic deesset incestus, Jovis volunt ex sorore conjugem factam*. pulchrum autem & illud est, quod integrum incesti facinus in concubitu cum matre. cum sorore. cum filia denique collocavit. quod tamen ex Verbis Firmici, ut quidem male distincta nunc leguntur, nemo facile eliciat, *Et incestum*, inquit, *desiderantibus a Jove sumantur exempla. cum matre concubuit : sororem duxit uxorem : & ut integrum facinus impleret incesti, filiam quoque animo corruptoris aggressus est*. quod idem etiam Minucius his verbis est visus indicare. *Deos incolitis incestos, cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos*. sed jam retrocedamus ; & ad superiora redeamus. superioribus illis verbis hæc sunt continentia : *Et fœminarum sane hoc elementum nescio qua veneratione commotus*. quæ sane commodam sententiam habent nullam. tu, quisque es hæc qui leges, emenda. *effœminarunt sane hoc elementum*. rationem subjicit Firmicus. *nam*, inquit, *quia aer interjectus est inter mare & Cœlum, effœminatis eum Sacerdotum vocibus prosequuntur*. Illud autem, *muliebria pati*, ut & illud infra, *amas appellare*, Sallustiana sunt. (2) sed prius hoc ab interpunctione laborat, & hoc modo corrigendum. *Videre est in ipsis Templis cum publico gemitu miseranda ludibria ; viros muliebria pati, & hanc impuri & impudici corporis labem gloriosa ostentatione detegere*. posterius vero : *Audio Cinyram Cyprium Templum amicæ meretrici donasse (ei erat Venus nomen) nuntiasse etiam Cypriæ Veneri plurimos & vanis* (ita lege, non, *navis*) *consecrationibus deputasse : statuisse etiam, ut quicunque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito asse, manum mercedis nomine Deæ daret*. Hic jam non tantum distinctionis est negotium : sed de verbis corrigendis agitur : ex quibus alioqui, quid Scriptor voluerit dicere, non satis intelligas. corrigebam ; & pro *asse manum*, scribebam, *assem unum*. omne denique illud hunc in modum volebam castigari. *statuisse etiam ut, quicumque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito, assem unum mercedis nomine Deæ daret ; assem unum*, *Stipem*, paucis post verbis interjectis appellat ; *Bene*, inquit, *amator Cinyras Meretricis legibus servit conservatæ Veneri a Sacerdotibus suis stipem dari jussit ut scorto. quod secretum quale sit*, inquit Firmicus, *omnes taciti intelli-*

ge-

(1) Libr. De Isid. & Osirid. (2) *In Catilin. & histor.*

(a) Latina fecit Xyland.,,Porro Isidem,
„ comperto Osirin cū sorore per errorem
„ tanquam secum coivisse, & argumento
„ rei viso corona melilotina quam is apud
„ Nephthyn reliquerat, puerulum quaesi-
„ visse:(nam prae metu Typhonis eum sta-
„ tim mater exposuerat) magnoque labo-
„ re canibus indagantibus repertum enu-
„ trivisse : eumque custodem deinceps co-
„ mitemque habuisse, Anubin appellatum,
„ & creditum Deos custodire, ut canes
„ hominibus custodes esse assolent.

gere debemus. at Arnobius expresse declarat, *Nec non & Cipriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus: quorum conditor indicatur Cinyras Rex fuisse: in quibus sumentes ea certas stipes inferunt ut meretrici, & referunt phallos propitii Numinis signa donatos*. Ait non item multo ante: *Mars in porci silvestris speciem formamque mutatus, ut sibi primas partes in amore Veneris vindicaret. incaute contra serentem percutit juvenem*, pro, *ferentem*, recte, *contra irruentem* legendum conjiciebat doctissimus Fornerius, IC. nomine dignissimus. sequitur enim: *si Deus erat Adonis, cur rivalis insidias nesciebat? sin homo: cur cum superiore certabat? Sebazius* (a) vero Jupiter est is, qui in Inscriptionibus Romanis *Sabazius* appellatur.

IOVI. SABAZ	Q. NYNNIVS
Q. NYNNIVS	ALEXANDER
ALEXANDER	DONVM. DEDIT
V. S. L. M.	IOVI SABAZIO

Postremo, (alia enim eodem in libro vel leviora peccata, vel commissa graviora, alium in locum & tempus reservamus,) de Vestalibus loquens, *Aut*, inquit, *pro constituto corpore peccare coguntur, aut in Virginitate perseverantes perdunt honestam gloriosi nominis dignitatem*. tu emenda. *prostibulo corpore*. quod res ipsa postulat.

JA-

(a) Alias quoque duas *de Jove Sabatio* refert Inscriptiones *G. Voss. de Idol.* 2. 14., cui *Sabatius Jupiter* idem est propemodum ac *Liber*, eumque rite vel *Sebadium* vocari adversus Canterum existimat „ Hoc autem *Sabatii* „ Numen (Voss. ipse prosequitur) didi„ cere Graeci a Thracibus, Thraces „ „ ab Orpheo, Orpheus ab Aegyptiis „ vel Syris. Nam peregrinum fuisse „ Numen indicavit Aristophanes in „ deperdita Comoedia, & ex ea M. „ Tullius in secundo de Leg. *Novos* „ *vero Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes, sic Aristophanes*, „ *facetissimus Poeta veteris Comediae, vexat, ut apud eum Sabatius, & quidam alii Dii, peregrini judicati, e Civitate eiiciantur*. „ Nomini vero *Sabatio*, Summi Æternique veri Dei originem praebuisse nomen venerabile *Sabaoth* idem adstruit ibi Voss. his posterioribus verbis: „ Nempe quum Numen no„ strum vocaretur *Deus Sabaoth*, hoc „ est *Exercituum*, eo quod in caelestem „ ac terrestrem omnem Militiam, idest „ in omnem Creaturam, Imperium ac „ potentiam suam exerceret; stultae „ Nationes ei Creaturae quam pro „ Summo Numine haberent, puta Soli „ Caeloque hoc nomen tribuerunt. „ Quod Graeci ad veram caussam non „ penetrarunt, id factum inscitia lin„ guarum rerumque Orientalium. Ita„ que Stephanus in Ethnicis, & Eu„ stathius in Περιήγησιν, persuadere „ aliis conati, Σαβατίῳ nomen dedisse „ Σατὰς, Gentem sive Phrygiae, ut „ ait Stephanus, sive Thraciae, ut vult „ Eustathius, unde & Phrygia dialecto „ Σαβάτιον dici volunt.

JACOBI
DURANTII CASELLII
VARIARUM,
LIBER PRIMUS.

JACOBI DURANTII CASELLII VARIARUM,

LIBER PRIMUS,

Unde mos tuitionum fluxerit, ejus formula ex Appiano, Gunthero & Cassiodoro: addita quædam Salujani verba, ad hanc rem pertinentia. Qui essent sacri, qui hostes publici,

CAPUT I.

QUod mihi faustum fœlix fortunatumque fiet, initium faciam a Tuitionibus. Quid enim non liceret Potentioribus, in quos non grassaretur audacia, & inexplebilis divitum cupiditas, nisi eorum crudelissimæ libidini, legitimis remediis obviam iretur? Æquum sane fuit tenues inopesque homunciones in sinum tutelamque virorum Principum confugere ut illustrium nominum terrore, & summarum necessitudinum velamento, infirmitatem ab injuria vindicarent, Itaque lege provisum est, ut quibus esset quorundam suspecta potentia vel metus justas ob caussas creatus, probatia Principi, vel judici formidinis rationibus, in cura judicum & tutela Principum constituerentur. Merito igitur antiquitus licuit, servis Dominorum injurias vitantibus, & ingenuis inopibus ad Aras, Ecclesias, Statuasque Principum confugere, ut Religionis metus ac principalis nominis reverentia securi fierent, & apud quem plus libido, quam Numinis honos & Principis ratio potuisset, is sacrilegus & Majestatis reus habebatur. Sane nullæ vel saltem paucissimæ leges sunt in jure nostro, in quibus fiat mentio hujus moris, quo nonnulli implorare Principis auxilium solent, & ejus rei significandæ caussa ejus titulos, id est ingenua signa in rebus & possessionibus suis præfigere. In Justiniani Novella de mandatis Principum, §. sed neque hæc, jubetur nec inconsulto, nec temere, nec passim ἀσφάλειαν id est, ut vetus Græco latinum Glossarium interpretatur, cautionem, munitionem, tuitionem, præsidium, tutelam: Et κεκλημένους λόγους, id est salvum (ut nos vocitamus) conductum, (1) sive ut Novellarum Interpres vetus, nuncupata verba, sive ut historiarum Scriptores Latini, fidem publicam, sive ut Virgilius Æneidos 2. fiduciam in hoc versu,

Quidve ferat memoret, quæ sit fiducia capto. (a)

(1) *Salvum Conductum.*

(a) Producit hanc Casellii opinionem suggillatque nonnihil ad hunc Virgilii loc. De-la Cerda inquiens „ Sed ego vocem „ (*fiduciam*), ex medio foro tractam „ duco, & ex reis, qui in vinculis. „ Nam de his sepissime Quintilianus „ in declamationibus *fiduciam* dicit. „ Ut cum ait, *aliquando reo nocet, &* „ *ipsa fiducia declamat.* 305. *innocentiae* „ *fiducia contra opes istius steterant &* „ *saepe alias.* „ Quod num vere dictum sit judicent eruditi lectores, quoad nostrum est addimus multiplici sensu *Fiduciae* nomen patere, significare nempe *Fidentiam*, certam videlicet opinionem quandam, & spem cum de se, cum de alio conceptam, fumique communiter tam in meliorem, quam in deteriorem partem, *Fiduciamque* praeterea accipi pro contractu, quo alicui res

noxiis concedendum esse. Eodem quoque homicidis, adulteris, raptoribus Asylorum jura non esse custodienda, quo loco hæc eleganter. *Deinde Templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a lege, & non erit possibile utrumque tueri cautelam sacrorum locorum & lædentem & læsum*. Abutuntur (1) in hanc rem Doctores fere omnes, l. 1. §. quies. D. de officio Præfecti urbis .l. illicitas §. potentiores. Cod. de officio Præsidis. In §. quies, nec vola (ut ajunt) nec vestigium ullum est. Quies quidem populorum, & spectaculorum disciplina ad Præfecti urbis curam pertinet, & ea de re Cassiodorus primo Variarum Epistola trigesima prima, (a) trigesima secunda, quibus Theodoricus Rex spectaculorum curam Agapito Præsidi, urbis committit: (a) Nam „ quo (inquit) melius „ moderatio debet sperari, quam cui potuit Roma committi. „ L. vero illicitas d. §. propius videtur accedere ad quam (ut de Sabinis veteri proverbio dicitur) somniavere quod voluerunt. Doctius & rectius unicum juris civilis lumen & ornamentum v. cl. Jacobus Cujacius, observat XII. cap. XXIX. ex l. 5. Cod. de injuriis & l. capitalium §. ad Statuas ff. de pœnis adnotavit imaginem Imperatoris præferri Tuitionis gratia, in cujus locum apud (b) nos insignia Francici Diadematis successere. Tuitio sicut indulgentia, famæ restitutio ætatis venia solius est Principis, quamvis etiam petere ac impetrare liceat a Magistratibus vel iis quibus dare Princeps jusserit. Symmachus Epistolarum ad Theodosium lib. primo,(c) inquit, (2) v. c. (d) „ Causidicus fori mei Celsus, socius ejus qui debitum „ refudit impendium, Tuitionem contra me & annonæ præfectum v. c. de sede „ vicaria postulavit „ Paullo post. „ Is cum a me in sequentia Tuitionis auxilium „ poposcisset, & unius nomenclatoris ut in urbe pacata adminiculo fretus incede- „ ret. Alii Principis jussu dant. Theodoricus apud Cassiodorum ad Adilam Comitem, „ & ideo (inquit) beatissimi viri Eustorgii, Episcopi Sanctæ Medio- „ „ lanensis Ecclesiæ petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, ut „ „ prædiis vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis, tuitionem „ „ studeas salva civilitate præstare „ lib. 4. Epistola 27. „ Tuitionem vero postu-, lan-

(1) *Error. Doctorum*. (2) *A quibus impetratur* Tuitio.

res quaepiam traditur, ea lege ut aliquando restituat, traslareque pro re ipsa, quae tradita est: Inde quod singulare fuit nomen *Fiducia*, in plur. est usurpatum, & *Fiduciae* pignora fuerunt, & hypothecae ex Cic. 3. off. „ „ Fidei bonae nomen existimabant ma- „ nare latissime, idque versari in tute- „ lis, societatibus, fiduciis, mandatis, „ rebus emptis, venditis, conductis, „ locatis. „ neque omittendum est apud ICtos memorari *Fiduciae* judicium, quod Tribonian. *judicium pignoratitium* vocavit, illudque *Salmas. de modo usur. c.* 14. latius expendit.

(a) Dita est a Theodorico trigesima prima Epistola ad Populum Romanum, cui Moderationis in Spectaculis habendæ ratio praecipitur; Trigesima secunda ad Praefectum Urb. Agapitum, cui Seditionis in Spectaculis arcendae cura demandatur.

(b) Recte *apud nos*: Scriptor nimirum Francicus Casell. Nost.; *Francicum Diadema* prae aliis huc loci commemorat.

(c) Familiares Epistolae eum ad Theodosium, tum ad cæteros Imperatores per Symmacum datae in libr. X., qui & Symmachiani Codicis postremus est, continentur.

(d) In utraque Symmachi Editione Parisiensi adornata per Juretum; altera nempe penes *Nicolaum Chesneau* Aon. Chr. MDLXXX., altera vero *Orriana* Ann. Chr. 1604. haec a Casell. producta Symmachi Epistola, XXXVI. est libri X., curante deinceps Philippo Pareo Symmachiano Epistolarum Codice rursus in lucem emisso Francofurti per Joh: Bayerum Ann. CIↃIↃCLI., quae antea XXXVI., postea XLII. X. item Libri Epistola est facta.

„ lanti contra inciviles (*a*) impetus ex nostra jussione salva civilitate (1) præstabis, non „ exemplo accusati, sed consideratione decenter (*b*) electi.„ Quibus in locis notandum est nomenclatoris præsentiam tuitionis & securitatis caussa concedi, & quod Cassiodorus ait (salva civilitate) quæ verba Princeps in tuitionum rescriptis inserebat, ne velle videretur auctoritatem suam potiorem quam legum vim & sanctitatem esse. Salva civilitate, id est modo nihil contra juris civilis regulas peteretur. Rescripta enim contra jus elicita nullius rei sunt. Extat apud Appianum bellorum civilium lib. 2. formula tuitionis, qua se Julius Cæsar veritus inimicorum insidias & conspirationes, tutelæ & præsidio populi Romani commisit, penes quem tunc suprema potestas & auctoritas erat. Hæc (ni me fallit memoria) in hæc verba concipitur in Antonii oratione, quæ ego latina tibi nunc dabo quia Græci codicis copia non est. (2) *Pollicemur nos Cæsarem ejusque corpus servaturos, quantum in nobis situm erit: Quicunque vel ejus vitæ insidiatus erit, vel contra ipsius caput coitionem fecerit, vel ei opem auxiliumque non tulerit, sacer & devotus esto*. Sic Guntherus Poeta sui temporis elegantissimus, de gestis Friderici lib. 7. Principibus Romanis sacramenta præstita fuisse refert, ejus hæc verba sunt.

Tunc Proceres, clarique viri, turbæque minoris
Ambitiosa manus, studio devota fideli
Sacramenta dabant cunctas servanda per urbes,
Principis Ausonii jus, famam, corpus, honorem
Nec se læsuros, & si quis lædere tentet,
Usque vel ad mortem tota Virtute reniti.

iisdem verbis corpora Tribunorum pleb. consecrabantur, & idcirco sacrosancta dicebantur & hi publicam fidem, & religionem violasse credebantur, qui vim illis intulissent, & ob eam caussam hi sacri & hostes publici & devoti dicebantur, quos unicuique occidere lege licebat, ea ratione, quia cum his nulla religionis communio, vel fidei ac humanitatis ratio habenda est, qui publica humanæ societatis vincula ac communis jurisjurandi religionem violassent. Sic qui Principi, cujus corpus publico communique sacramento vallatum est, vel insidias struxisset, vel contra ipsum arma sumpsisset, is reus perduellionis„ & hostis publicus dicebatur, ejusque nomen publicis monimentis eradebatur. Statuæ disiiciebantur l. omnes l. Heracleanus C. T. de pœnis. (3) Prædones etiam publici appellabantur l. qui opes suas Theod. de bonis proscriptorum: Publici latrones l. fin. C. quando liceat unicuique sine judice vindicare se vel publicam devotionem: *Ergo desertores qui rei majestatis & hostes publici sunt, exercendæ (ut lex inquit) publicæ ultionis caussa licebat interficere*. Tertullianus in Apolog. *in reos majestatis & publicos hostes omnis homo miles est*. Eam ob rem quo religione eorum corpora tutiora fierent se Tribunos (1) pleb. & Pontifices Maximos appellavere, ut observavit Tacitus Annalium 3. lib. & Ennodius Ticinensis in Paneg. ad Theodericum Regem. Equidem Principis caput publicæ fidei committitur, communibusque viribus & auxiliis conservari ac defendi debet, quia qui pro communi salute, ac quiete incubat, vel ut inquit Cassiodorus in formula tuitionis, *cujus est propositi universos communiter vindicare*, eum publicis excubiis, ac communibus vigiliis conservari æquum est. Debet quidem Princeps communem suis tuitionem, specialem illis quibus etiam quorundam ex suis invisa potentia est, & idcirco eodem loco eleganter a Cassiodoro, *su-*

(1) *Quid sit in Rescriptis* Salva Civilitate.
(2) *Formula Tuitionis*.
(3) *Praedones & Latrones Publici*.
(4) *Cur se Romanorum Principes Tribunos Pleb. & Pontifices Max. appellavere*.

(a) Civiles aliqui legunt.
(b) Aliis magis placet *Elati*.

superfluum quidem videtur tuitionem specialiter a Principe petere, cujus est propositi universos communiter vindicare. Iis verbis tuitio dabatur. *Tuitionem nostri Numinis quasi validissimam turrim, contra inciviles impetus, & conventionalia detrimenta nostra concedit auctoritas &c.* Olim (1) hi qui adversus securitatem pop. Romani vel Principis, qui lege Regia in ejus majestatem & auctoritatem successerat, „ quid commisissent l. Juliæ pœna de majestate plectebantur. Nam majestatis „ crimen illud est quod adversus pop. Romanum, vel ejus securitatem com„ mittitur ut inquit Ulpianus, d. l. 1. ff. ad l. Juliam Majest. Hodie pro locorum consuetudine pœna imposita est, ut in Gallia furca, apud Allobroges pœna pecuniaria quam in Tuitionum rescriptis Dux inferre solet, ut ab Italis Doctoribus relatum est. Errat Felinus in cap. 1. de officio deleg. & Bartolus(2) cæterique juris Interpretes qui eos reos majestatis esse volunt qui legatis injuriam aut vim inferunt, cum non majestas lædatur, sed jus gentium violetur, & teneantur non l. Julia majest. sed de vi publica l. lege Julia. ff. ad l. Juliam. At hoc loco non prætermittam laudabile veterum institutum, qui eorum qui Reipub. vel Principis caussa absentes erant, (3) domum familiamque virorum illustrium fidei tutelæque soliti erant committere, ut Festo priori apud Cassiodorum libro 10. Agnelli Patritii domus, familiaque commendatur. *Pervia enim (inquit) sunt facultates absentium & quodammodo videtur occasio homines in delictum trahere, quæ non potest animum pervadentis de resultatione terrere.* Ego quoque sine hujus capitis injuria prætermittere non possum hæc verba, quibus eloquentissimus & sanctissimus Christianæ Religionis auctor Salvianus, insectatur hunc pravum & pestilentissimum morem, quo se decrescente Imperii Romani majestate, & grassantibus undique barbaris nationibus, inopes & tenues in clientelam & præsidium potentium dabant eorum patrocinia & tutelam emebant qui susceptores, & suscepti dicebantur, unde feudorum hæc jura manavere, quibus nunc Europa fere omnis utitur. Ejus igitur hæc verba sunc libro 5. (4) *Tradunt se ad tuendum protegendumque majoribus, dedititios se divitum faciunt, & quasi in jus eorum ditionemque transcendunt. Nec tamen grave hoc aut indignum arbitrarer, immo potius gratularer hanc potentum magnitudinem quibus se pauperes dedunt, si patrocinia ista non venderent: si quod se dicunt humiles defensare humanitati tribuerent, non cupiditati. Illud grave ac peracerbum est, quod hac lege tueri pauperes videntur ut spolient: hac lege defendunt miseros, ut miseriores faciant defendendo. Omnes enim hi qui defendi videntur, defensoribus suis omnem fere substantiam suam priusquam defendantur addicunt, ac sic ut patres habeant defensionem, perdunt filii hæreditatem. Tuitio parentum mendicitate pignorum paratur. Ecce quæ sunt auxilia ac patrocinia majorum. Nil susceptis tribuunt, sed sibi. Hoc enim pacto aliquid temporarie attribuitur, ut in futuro totum filiis auferatur, vendunt itaque, & quidem gravissimo pretio vendunt, majoris quidem cunctaque præstant, & quod dixi vendunt, utinam venderent usitato more atque communi, aliquid forsitan remaneret emptoribus. Novum quippe hoc genus venditionis & emptionis est. Venditor nil tradit, & totum accipit. Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit. Cumque omnis fere contractus hoc in se habeat, ut invidia penes emptorem, inopia penes venditorem esse videatur: quia emptor ad hoc emit, ut substantiam suam augeat, venditor ad hoc vendit ut minuat: inauditum hoc commercii genus est, venditoribus crescit facultas, emptoribus nihil remanet nisi sola mendicitas.* Quis hunc morem feudorum caput & originem esse non videt?

(1) *Poena violatae* Tuitionis.
(2) *Error, Bartoli & Felini.*
(3) *Insignis mos Veterum in tuenda eorum Familia qui Reipubl. caussa absentes essent.*
(4) *Salviani verba.*

Eo-

Locus Annæi Senecæ illustratus, & l. nubit, C. ad l. Juliam de adult. Tituli in sellis Scortorum, nomen in fronte, Mercatus Meretricius. Mos mercantium in emende Servo.

CAPUT II.

Viros quos commendat vitæ probitas ac doctrinæ sanctitas, indiscreta & varia rerum omnium delectat notitia, usus vero pro virtutis vitiique judicio discernitur. Procul ergo sint ipsi, quibus impudicitiam extorquet impudica pagina. Eorum tantum caussa scribimus, qui possunt impudica legere, nec facere. Publius Asprenas apud Senecam controvers. 1. sic loquitur. *proclama ingenuam esse te. Quid exspectas? Cum in lupanar veneris, jam tibi omnia Templa præclusa sunt. Conservarum oculis inquinatur, inter Ebriorum convivarum jocos jactatue modo in puerilem, modo in muliebrem habitum composita*. Equidem antiquitus meretrices probantur paratæ ad excipiendam utramque Venerem. Nec solum feminæ, pueri quoque fœminas agebant, edocti ad muliebris patientiæ legem. Clemens Alexandrinus Pædag. 3. Ἐπίτηγες (inquit) στᾶσι παρ' αὐτοῖς, τὴν σάρκα τὴν ἑαυτῶν εἰς ὕβριν ἡδονῆς πιπράσκουσαι γυναῖκες: πάντα μετακεκίνηκεν ἡ τρυφή, κατῄσχυνε τὸν ἄνθρωπον, ἁβροδίαιτος περιεργία πάντα ζητεῖ, πάντα ἐπιχειρεῖ, βιάζεται, πάντα συγχεῖ τὴν φύσιν τοῦ. γυναικῶν οἱ ἄνδρες πεπόνθασιν, καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν. γαμούμενοί τε καὶ γαμοῦσαι γυναῖκες, πόρος δὲ οὐδεὶς ἄβατος ἀκολασίᾳ κοινὴ δὲ αὐτοῖς ἀφροδίτη δημεύεται, συνέστιος τρυφή. id est „ in eis stant „ in fornice mulieres, carnem suam ad probrum voluptatis venundantes, & pue„ ri docti abnegare naturam, mulieres simulant, Omnia immutavit luxus, homi„ nem probro ac dedecore affecit, mollis & luxuriosa curiositas, superflua quæ„ rit omnia, aggreditur omnia, naturam coercet. Homines patiuntur muliebria(1) „ & feminæ præter naturam viros agunt & nubunt, uxoresque ducunt feminæ. „ Nullus est meatus ad quem non pateat aditus impudicitiæ. Jam vero eis com„ munis Venus publicatur conviviorum, delitiarum.„ (a) Quæ genera detestandæ libidinis persequitur Clemens, Imperator Heliogabalus expressit quem Ælius Lampridius (2) scripsit, semet detruncasse nupsisse, ac per obtruncatas corporis partes libidinem excepisse. Salvianus nunquam satis laudatus auctor lib. de Guber. Dei 7. *Quid rogo fieri illic prodigiosius potuit? in urbe Christiana, in urbe Ecclesiastica, quam quondam doctrinis suis Apostoli instituerant, quam passionibus suis Martyres coronarunt, viri in semetipsis feminas profitebantur. Et hoc sine pudoris umbraculo sine ullo verecundiæ amictu: ac quasi parum piaculi esset. Si malo illo malorum tantum inquinarentur auctores, per publicam sceleris professionem fiebat etiam scelus integræ civitatis*: Paullo post: *Cum enim muliebrem habitum Utri sumerent, & magis quam mulieres gradum frangerent, cum indicia sibi quædam monstruosa impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capita velarent. Atque hoc publi*ce

(1) *Homines in habitu muliebri*. (2) *Lamprid. in Heliogab.*

(a) Paullo diverse facit latinum Gentianus Hervetus Editionis Parisiensis apud Sebastianum Nivellium anno 1590. Pagina 257. „ Apud eos stant „ in fornice mulieres, & carnem suam „ ad probrum voluptatis venundantes, „ & pueri docti abrogare naturam mu„ lieres simulant. Omnia immutavit lu„ xus, hominem probro ac dedecore „ affecit: mollities ac delicata curio„ sitatis superflua quaerit omnia, omnia „ aggreditur, vim affert omnibus, na„ turam coercet; homines patiuntur „ muliebria, & fœminae praeter na„ turam viros agunt, & nubunt, uxo„ resque ducunt fœminae: nullus est „ meatus ad quem non pateat aditus „ impudicitiae. Jam vero eis quoque „ communis publicatur Venus, convi„ vicorum delitiae.„

ce in Civitate Romana, urbe illic summa & celeberrima: quid aliud quam Imperii Romani dedecus erat ut in medio Reipub. sinu execrandissimum nefas liceret admitti. Potestas quippe magna, & potentissima quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens debere patitur perpetrari. Præfert igitur Salvianus facem & Senecæ & Clementi. Quis enim Romanos rerum dominos, in tam execrabile nefas incidisse putet, ut eorum pars maxima aula fuerit virilem habitum & conditionem muliebri commutare? Dii prohibere scelus. Væ genti! Huic sceleri capitali & novissima pœna lege a Constantio & Constante lata imposita est, quæ exstat in C. ad l. Jul: de adult. (1) *Cum vir nubit in fœminam viris porrecturam quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id, quod non proficit scire? ubi Venus mutatur in alteram formam? ubi amor quæritur nec videtur &c.* Rectius legitur in veteri quadam membranula, nec invenitur? Scio in Arnobio & Minutio Felice extare quædam hujus pessimæ libidinis vestigia, quæ sciens & volens prætermitto. Prætermitto quoque quæ in hanc rem scripsit Divus Hieronimus in Epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis. Valerius Martialis, spurcissimus auctor libr. 12. Epig. 14. *impudentissimi viri Callistrati meminit, cujus effrenis licentia ibidem exponitur*, & multo liberius quam par est ad hunc locum videri potest Domitii Calderini Comment. Ac quis, ut Clemens scripsit, audivit mulieres uxores ducere? Id ego nuspiam legi Latinos frictrices Græcos τρίβαδας (2) mulieres vocitasse scio. quæ se inirent quas Juvenalis Satyr. 6. Satyricis salibus persundit. Et Martialis Epigram. Libr. 1. *Tribadem* Bassam inhoneste plus quam æquitas patiatur consuetudinis fœminam acrius exagitat; quo & in loco nonnulla Calderinus annotat. Male Juris Interpretes l. fœdissimam C. ad l. Jul. de adult. (3) ea de re interpretati sunt quibus erroris caussam præbuit quod in ea scripsit Accursius. Alii (inquit) dicunt loqui quando fœmina agit ut vir, sicut e contra vir ut fœmina, quorum opinionem Cynus secutus est. Ea ætate quasdam mulieres hujus nefandæ Veneris crimine pulsatas & damnatas esse didici. in d. l. fœdissimam dicitur non interdici earum nuptiis, quæ per vim stupro compressæ essent, sed earum quæ sponte pudorem suum alienis libidinibus prostituissent. Ex eadem Senecæ controversia didici cellis meretricum superimponi titulos Aurelii Fusc. hæc verba sunt. *Meretrix vocata es, in communi loco stetisti; superpositus est cellæ tuæ titulus, venientes recepisti*. Hos Tertullianus lib. de pudicitia, libidinum titulos vocat. *Ubi proponetur (inquit) liberalitas ista? sub ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis?* Eadem controversia Portius Latro *educta es in lupanar, accepisti locum, pretium constitutum est, titulus inscriptus est.* (4) *hactenus in te inquiri potest*. Non solum vero Titulus inscribitur sed etiam Meretricis e fronte pendebat nomen. Eodem loco hæc sunt Gestii Pii verba, *Nomen tuum pependit in fronte, pretia stupri accepisti & manus qua Deis datura erat sacra, capturas tulit*. Capturæ sunt proprie concubitus præmia. (*a*) Doctissimus Alciatus παρεργῶν x. observavit, mulieres quæ meretricum quæstum acciperent

no-

(1) *L. cum vir nubit C. ad l. Jul. de Ad.*

(2) *Frictrices.*

(3) *L. Foedissima C. ad l. Juliam de Adulterus intellectus.*

(4) *Meretricis nomen in fronte.*

(a) Sueton. in *Caligula* Cap. XL. *Ex gerulorum*, ait, *diurnis quaestibus pars octava*, ex capturis *Prostituturam quantum quaeque uno concubitu mereret:* ad quae verba Is. Casaub. nomen *Capturae*; quod latine sumitur *pro mercede Artium sordidarum, & obscoenarum*, cum Graeca, tum Hebraea significatione dilucide proponit.

nomen mutare consuevisse (1) ex hoc Plauti loco. (a)

Namque hodie earum mutarentur nomina,

. Facerentque indignum genere quæstum corpore .

Publius Vinitus eod. ait hanc Sacerdotem, de qua hæc excogitata controversia est nudam in littore stetisse ad fastidium emptoris, omnes partes corporis inspectas & contrectatas fuisse. Et sane Mangonum mos erat inspectare partes omnes corporis. Hinc Martialis.

Quidam me modo Rufe diligenter

Inspectum, velut emptor aut lanista

Cum vultu digitoque subnotasset.

Suetonius in Augusto. (b) *Et conditiones quæsitas per amicos, qui matres familias, & adultas ætate Virgines denudarent, atque perspicerent tanquam Thoranie mangone vendente* Idem in Caligula. (c) *Non temere (inquit) ulla illustriore fœmina abstinuit, quas plerumque cum maritis ad cœnam vocatas, præterque pedes suos transeuntes, diligenter ac lente Mercantium more considerabat, etiam faciem manu allevans si quæ pudore submitterent.* Disertissimus Poeta Claudianus in Eutropio.

Nudatum quoties medicus dum consulit emptor,

Ne qua per occultum lateat junctura dolorem,

Omnes pœnituit pretii venumque redibat

Dum vendi potuit.

Hinc Plinius minor 1. Epistolarum salse & facete dixit de venalibus, non melius auribus, quam oculis judicari. His me Hercules expleri non potest curiosus animus, addendum igitur est quo die, (2) quo loco mercatus meretricius celebraretur. Ex Plauti Pœnulo teneo per Aphrosidia 1. diem Veneris festum in Æde Veneris celebrari.

AG. .... Pulchrum & celebrem & venustatis diem ...

Plenum: dignum Venere qui sint Aphrosidia hodie.

Deinde paullo post eadem scena subjicitur ab Adelphasio scorto.

AD. Quia apud Ædem Veneris hodie est mercatus meretricius

Eo conveniunt mercatores: ibi me ego ostendi volo.

Hæc nefanda stuprorum & adulteriorum portenta non sine admiratione ac odio legimus, hodie pejora fiunt sed occultius.

Cur mari immergerentur Androgyni, Maris undam cur Magi veneratione prosequantur.

CAPUT III.

Apud Iulium Obsequentem libello de Prodigiis, variis ex locis didici, Androgynos sive Hermaphroditos (d) Aruspicum præcepto in mare deportari

(1) *Meretrices nomen mutabant.* (2) *Dies Mercatus Meretrici.*

(a) Habes hos vers. in Poenul. Sc.
„ Gid. Quis pultat? Mil: Qui te
„ proximus est. Gid: Quid
„ vis? Mil· Eho. „

(b) Neque pauca, neque supervacanea tradit cum ex Graecis, tum ex Latinis Auctoribus ipse Casaubon. ad haec Suetonii verba in August. Cap. LXIX. descripta.

(c) Recitata Suetonii verba in Calig. ad prolatum Cap. LXIX. August. multis persequitur, illustratque idem ut antea Casaub.

(d) Plautinus item hic locus est Poenul. Sc.
„ Negotii sibi qui volet vim parare„
legiturque communius
...... „ Diem pulcrum, & celebrem, &
„ venustatis plenum„
„ Dignum Veneri pol. cui sunt A-
„ phrodisia hodie.

(e) Non una tantum significatione An-

ri undiſque ſubmergi ſolitos. Duobus tantum, ni ſallor, locis, ſemimarem unum necatum, alterum expoſitum Flumini. Hujus inſtituti dum curioſius exquiro rationem, venit in mentem veteres ad pugnanda & expianda mala omina, æquoris aquis uſos ſrequentiſſime ſuiſſe. Atque illud teneo nil priſcis religionibus contineri, quod non naturali aliqua cauſſa inſtitutum, confirmatumque ſit. Equidem elementum pelagi ſanctiſſimum eſt, atque nitidiſſimum. Quicquid ipſo mari devoratur, quicquid vorax abſorbet Scylla, quicquid Cæli & tempeſtatis injuria perit, omne vel ad littus exploditur, vel Tauromitanis ſcopulis exponitur. Lubet addere Latini Pacati elegantiſſimam ſimilitudinem. (1) *Noſter pyrata quicquid undecunque convenerat, id nobis ſibique periturum, in illam ſpecus ſui Charibdim congerebat: Charibdim loquor? quæ cum plena navigia ſorbuerit, dicitur tamen eructare naufragia, & contortas fundo rates, Tauromitanis littoribus exponere.* Cadavera vero & alia quæque naufraga littoribus reddi haud vulgus ignorat. Plinius ait omnia plenilunio maria purgari, quædam & ſtato tempore, circa Meſſanam & Mylas fimo ſimilia expui purgamenta. Equidem illa natura, nil fœdi, nil inquinati pati poteſt. Itaque Diogenes Laertius ait Euripidem cum Platone in Ægyptum profectum, ibiqne ægrotantem marina curatione ſanatum a Sacerdotibus Ægyptiis. (2) Ex quo poſtea cecinit.

Θάλαττα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά. (a)

Magi principium illud veneratione maxima proſequuntur: Ita ut navigare nefas putent, quia pelagus humanis neceſſitatibus violare ſummi eſſe ſceleris arbitrantur. Hinc de Tyridate Mago a Nerone accito, Plinius. (3) *Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de ſe triumphum afferens, & ideo Provinciis gravis navigare noluerat, quoniam expuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare naturam ipſam fas non putent.* Porro marinas undas in purgationibus maxime uſurpatas veteres teſtantur ſatis. Apulejus lib. 11. Metamorphoſeos, *confeſtim (inquit) diſcuſſa pigra quiete, alacer exurgo meque protinus purificandi ſtudio marino lavacro trado, ſepties ſubmerſo capite fluctibus.* Inſra. *Ac deinde ſudore nimio permixtus exurgo: Summeque miratus Deæ potentis tam claram præſentiam, marino rore reſperſus magniſque Imperiis ejus intentus monitionis ejus ordinem recolebam.* Valerius Catullus averſas incœſtaſque Gellii Veneres carmine mordaci perſtringens, ait ejus libinides Oceanum (4) ipſum abluere non poſſe. Ejus hi verſus ſunt.

Suſcipit, o Gelli, quantum non ultima Thetis:
Non genitor Nympharum abluit Oceanus. (b)

M.

(1) *Mare nil fœdi patitur.*
(2) *Marinæ undæ ad medelam uſurpatæ.*
(3) *Nefas expuere in maria.*
(4) *Oceanus Purgator.*

Androgynus Graecis eſt dictus; ideſt *Marifœmina*, vulgo *Hermaphroditus*, verum & alia plura creditus eſt denotare; videlicet & homo *imbecillis*, & *muliebris*, quin & *Socors*, hiſque ſimiles homines nonnunquam per Graecos revocati ſunt ad *Androgynos* ita vocatos ea de cauſſa, quod praeter ordinam a communi hominum ſtrenuitate deflectant.

(a) Et hnc ad litteram ſonat latine „ Mare abluit omnia hominum mala,„ Quod ſenſus lege ſervata libuit modulari.

„ Omnia quae mala, quae ſordes hominum abluit, unda
„ Omniparente eſt quae manat „ ab Oceano.„

(b) Explicat hos Catul. verſus Achil. Stat., hujuſmodique explicationis ſeriem, lucem Auct. noſtr. allaturi, expreſſis verbis ſic annectimus. „ Genus „ Expiationis hoc fuiſſe videtur, eam„ que vim non mare tantum, ſed „ ipſos etiam Fluvios hsbere erede„ bant. Ex hoc genere videtur eſſe,

quod

Suscipit o Gelli, quantum non ultima Thetis:
Non genitor Nympharum abluit Oceanus (a)

M. Tullius pro Roscio Amerino. *Noluerunt corpus feris objicere, ne bestiis quoque quae tantum scelus attigissent immanioribus uteremur, non sic nudos in flumen dejicere, nec cum delati essent in mare, ipsum polluerent quo extra cum violata sunt expiari creduntur*, Lactantius Firmianus divinarum Institutionum v. cap. xx. *Et se pie sacrificasse opinantur, si autem laverint tanquam libidines intra pectus inclusas, ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent*. Hippolytus a noverca flagitatus ad incœstum, sic exclamat apud Senecam tragœdum.

Quis eluet me Tanais, aut quae barbaris
Maeotis undis Pontico incumbens mari,
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiaret sceleris.

Arbitror igitur in mare deportasse Androgynos, quod nullis nisi æquoris undis ejusmodi portentum lavari & expiari posse arbitrarentur. Solebant enim Romani quæcunque insolita aut prodigiosa contigerant, mali ominis avetruncandi caussa, expiationibus quibusdam & religionibus procurare. quicquid enim hujusmodi nuntiabatur accidisse, istud portenti & eventus infelicis, prodigiique loco habuisse in comperto est.

Illustrata L. Obnoxios C. de religiosis & sumpt. funer.. Et canon quæsitum c. 13. q. 2. Et totus Titulus ff. de cadaveribus punitorum.

CAPUT IV.

Lapideo sunt corde multi (inquit Cato) quos non miseret neminis: quis enim non putet illorum pectus esse ferreum, quorum crudelitas exquisito mortis supplicio satiari nequit, nisi quoque torta fracta laceraiaque membra prohibeantur sepulturæ beneficio? Summam & utilitatis, & pacis rationem nostros habuisse majores haud negare quis poteſt cum parricidas, homicidas, grassatores, cæterosque ejusmodi, feralibus culei angustiis concludi, furcæ affigi, igne absumi, in equuleo distendi, aliisque gravioribus suppliciis torqueri voluerunt. At quis probet illum qui jam ubique invaluit morem, quo punitorum cadavera ferarum nefando pabulo, & tristi lanienæ relinquuntur? Quasi parum esset vitam contra naturæ legem abstulisse, nisi quoque exani-

 mo

„ quod saepe apud Obsequentem de Pro-
„ digiis legimus. *Lunae Androgynus natus,*
„ *in mare deportatus*; atque alibi *praecepto*
„ *haruspicum, Puer Haruspicum jussu cre-*
„ *matus, cinisque ejus in mare dejectus.* Item
„ alibi, *In Etruria Clusi materfamiliae vi-*
„ *vum serpentem peperit, qui jussu haruspi-*
„ *cum in profluentem dejectus adversa aqua*
„ *natavit*. Et apud Juvenalem Sat. VI.

Ut quidquid subiti, & magni discriminis instat,
In tunicas eat & totum semel expiet annum.
Hibernum fracta glacie descendat in amnem
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Verticibus timidum caput abluet.

Et apud Persium,

Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput. ——— „

Additque praeterea Pausaniam in Boeoticis idem de mari significantem, idemque referentem ad Flumina Sophoclem in Oedypo Tyranno, postremoque producitur: „ Mari eluendi vim
„ maximam Lucretius tribuens in VI.
„ alio enim in genere idem prope
„ dixit:

Non si Neptunus Fluctu renovare operam det,
Non mare si totum velit eluere omnibus undis,

cum quo sensit Muret. & Cœl. Rhodigin. Cap. XLIV. lib. VI. auctoritate sententia firmatur.

mo corpori, & divinæ majestatis imagini, crudelitatis & inhumanitatis notæ inurerentur. Id ego magis barbaras quam bene moratas vel institutas gentes decere puto. Itaque a primis Christianæ religionis auctoribus quæsitum est, utrum eorum qui furcæ legitimis ex caussis affigerentur, cadavera post peractam Deo confessionem, sanctæ ac religiosæ telluri mandari liceret, & solennia pro eorum salute officia præstare. Invenio sic Maguntinensi Concilio desfinitum esse, cujus pars in decreto extat, caussa 13 q. 2. Verba Concilii hæc sunt. (1) *Si de omnibus peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pænitentibus, communio in fine secundum præcepta Canonum danda est: cur Canones communionem vel sepulcbrum eis interdicunt, qui pro peccatis suis pænam extremam persolvunt, & confitentur vel confiteri desiderant? Scriptum est. Non judicabit Deus bis in idipsum.* Sic immanissimi Principes Diocletianus & Maximianus rescripsere se non vetare digno subjectos supplicio tradi sepulturæ. l. Obnoxios. C. de relig. & sumptibus Paulus respondit, corpora animadversorum, quibuslibet petentibus ad sepulturam danda esse, l. ult. ff. de cadaveribus punitor. Ulpianus „ l. 1. Eodem dixit, non aliter sepeliri, quam si fuerit petitum & permissum, „ nec eorum corpora, qui majestatis *injuste* damnati essent peti potuisse, ossa & „ cineres combustorum peti posse, & observasse D. Augustum ut lib. x. de vita sua scribit, nec cadavera punitorum cognatis ipsorum negarentur. Sane corpora majestatis damnatorum nonnunquam concedebantur, ut Josippo sacrosanctum Christi cadaver a Pilato, quia majestatis damnatus fuit, quod se Regem Judæorum dixisset, (2) & eo modo majestatem, ac Imperium Cæsaris minuere videretur. Eum ob id crimen impie sublatum in Crucem testatur inscriptio, sive inscriptionis titulus (3) ut scriptores historiæ sacræ locuti sunt: Qui pro Romanorum more ejus capiti superimpositus fuit, solebant enim Titulum apponere caussam supplicii continentem, vel Præco exclamabat ut in l. fustibus C. ex quibus caussis irrog. inf. l. ictus ff. de his qui notantur inf. quod dicebatur superdicere. (4) l. si duo §. ult. ff. de jurejur. Sicut cum Titulus imponebatur inscribere, id quoque præconis eloquium dicebatur ut apud Spartianum in Severo. Fustibus eum sub Eloquio Præconis cæcidit. Qua de re videsis Jacobum Cujacium Doctorem meum Obser. 8. cap. 7. 13. cap. 3. quo nullus unquam Juris Civilis antiquitatem vel doctius scrutatus est vel integrius docuit. Quod vero Augustum lib. 10. de vita sua scripsisse observavit Ulpianus, eum capite damnatorum corpora cognatis ipsorum non negasse, Longe aliter Suetonius, in ejus vita, quem ait uni ex Philippense prælio captivo sepulturam petenti denegasse: Ejus hæc verba sunt. (5) *Nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, ut Statuæ Cæsaris submitteretur,* (a) *in splendidissimum quemque captivum, non sine verborum contumelia sæviit. Ut quidem uni sepulturam precante; respondisse dicatur, jam illam in volucrum potestatem fore.* Contumeliose quidem & crudeliter & juxta illud Horatianum, qui eandem quam Augustus dicendi formulam usurpavit.

Non hominem occidi, non pasces in cruce corvos.

Facile Princeps peterti jus sepulturæ dabat, ut apud Cassiodorum Theodoricus Rex Heeditii liberis tribuit lib. 2. Epistola 22. cujus hæc est elegantissima sententia. (6) *Insatiabilis quippe fletus est qui humandis non finitur corporibus interesse,*

(1) *Quorum Reorum Cadavera sepulturæ tradantur.*
(2) *Majestatis damnati etiam sepulti.*
(3) *Inscribere.*
(4) *Inscribere. Superdicere.*
(5) *Suetonii Verba quæ videntur contra ipsa esse quæ de se D. Augustus scripsit.*
(6) *Capite damnatos sepelire licuisse.*

(a) Contra clamat hic Causaub. „ *Subjiceretur* scripsimus, ut in Cod. „ Viterb. Cujacii, & aliis melioris notæ, non ut vulgo *submitteretur*. „

tereſſe, *dum ſemper ſe reum judicat qui cinèribus Juſta non præſtat*. Poſthumius junior declamat. *6. cruces ſuccidantur*, (*inquit*) *percuſſos ſepeliri carnifex non vetat*. Deinde aliquando poſt. *Dicendum eſt quod hoc ipſo admoneor exemplo*, *in honorem pietatis*, *etiam damnati ſepeliuntur*. Apud nos quiſque reus capite damnatur, non ſepelitur quod non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum. Fab. Quin. decl. 274. (*inquit*) *quoties crucifigimus noxiis celeberrimæ eliguntur viæ*, *ubi plurimi commoveri hoc metu poſſint*. *Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum*. Credo indulſiſſe Romanos animadverſorum cadavera ne videlicet eorum animæ centum annos errarent, & circum Stygis littora volitarent. Credebantur enim non prius inſepultorum animæ tranſuehi, quam poſt centum annos. Tertullianus de anima ſic ait. *Creditum eſt inſepultos*, *non ante ad Inferos redigi*, *quam Juſta perceperint*, *ſecundum Homericum Patroclum funus in ſomnis de Achille flagitantem*, *quod non alias adire portas Inferorum poſſet*, *arcentibus eum longe animabus ſepultorum*. Cujus doctrinam ſecutus Vergilius Sibyllam *6*. Æneidos ſic loquentem inducit. (1)

Hæc omnis quam cernis inops inhumataque turba eſt.
Portitor ille Charon, *hi quos vehit unda ſepulti*
Nec ripas datur horrendas, *nec rauca fluenta*
Tranſportare prius, *quam ſedibus oſſa quierunt*,
Centum errant annos volitantque hæc littora circum,
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

In hæc verba inops (*a*) inhumataque (*b*) notat Servius eos intelligi, qui neque legitimum

(1) *Animæ Inſepultorum errantes*.

(a) *Inopem* Turbam ex Privatione Sepulcri nominavit accomode Servius, quod nimirum inſepulta errantium animarum corpora Terrae mandata non ſint, & iccirco *Ops*, quae apud Veteres *Terra* fuit, illis auxilium *legitimo Sepulcro* non tulerit.

(b) Turba *inhumata* & ipſa dicitur aerumnoſa quod ejus oſſa nondum in Sepulcro compoſita ſint, Animaeque propterea ſedis quiete ultra Paludem Stygiam ſita prohibeantur; Superſtitioſa inde veterum opinione inductum eſt *Cenotaphium*, ſepulcrum videlicet Imaginarium, vacuum, inane quod ex ceſpitibus, aliave materia congerebant, ubi certo Exequiarum genere (illudque *Terrae Injectionem* priſci vocarunt) iis etiam qui naufragio periiſſent, vel quorum corpora haberi non poſſent eo ſolemni ritu Juſta perſolvebantur a Sacerdotibus ut abſens defuncti Cadaver ceu praeſens haberetur; meminitque *Cenotaphii* Virgil. Aeneid. III. 301. in Heleno funus celebrante.

Solenneis tum forte dapes, & triſtia dona
Ante urbem in loco falſi Simoentis ad undam
Libabat cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad Tumulum, viridi quem ceſpite inanem
Et geminas, cauſſam lacrymis, ſacraverat Aras.

Conſtructo vero Cenotaphio tranſvectas umbra docet item Virgil. Aeneid. VI. 505.

Tunc egomet *Tumulum* Rhaeteo in littore *inanem*
Conſtitui, & magna Manes ter voce vocavi.

Cenotaphium etiam idem eſt, ac *Sepulcrum Honorarium*, de quo in Claud. Cap. I. haec referuntur Suetonii verba: „ *Corpus ejus* (*Druſi* ſubintellige) „ *per Municipiorum*, *Coloniarumque*, *Primores*, *ſuſcipientibus obviis Scribarum* „ *Decuriis*, *ad Urbem devectum ſepultum eſt in Martio Campo*; *Caeterum* „ *Exercitus Honorarium ei Tumulum excitavit*; *circa quem deinceps ſtato die* „ *quotannis Miles decurreret*, *Galliarumque Civitates publice ſupplicarent*. „ „ Quibus verbis (inquit heic Budaeus)

timum neque imaginariam sepulturam haberent. Ut vero miseri habebantur ipsi apud Romanos quorum corpus jacebat inhumatum: Sic apud Hebræos maledicti a Deo, ut legi Deuteron. cap. 21.(1) *Quando* (inquit Moyses) *peccaverit homo quod morte plectendum est, & adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo: Non permanebit cadaver ejus in ligno sed in eadem die sepelietur,(a) quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno, (b) & nequaquam contaminabis terram tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem*. Josephus 4. Antiquitatum cap. 6. contra Appiooem lib. 2. addit Moysem jussisse ut quibuscunque legibus morte damnatus sepeliretur, nulliusque sive capitalis rei, sive hostis cadaver sepulchri bonore sive telluris beneficio privaretur. At noo modo contra hanc legem itur, verum etiam exquiruntur nova genera, quibus animadversorum corpora miserius exponantur. Caput a corpore avulsum alias affigitur, aliaa trunci corporis discissa & separata membra collocaotur, aliquaodo suspendio librantur, aliquando fractum & contritum corpus Rotæ innexum relinquitur. Cujusmodi illud est quod ab Æmonio Monacho describitur lib. 5. cap. 50.(2) *Nequissimus* (inquit) *Burchardus consensu sociorum fuga elapsus Flandria exire volens nec valens, sola iniquitate propria prohibente, infirmitate cujusdam familiaris reversus, & interceptus Regis Imperio, exquisito mortis genere alta rota superligatus corvorum & alitum rapacitati expositus, desuper oculis defossus, & tota facie dilaceratus,*

(1) *Apud Hebræos capite damnati sepeliuntur.*

(2) *Crudelissimum genus exponendi Cadavera.*

„ us) significat (Suetonius) *Cenotaphium* Druso in Germaoia exstructum, quum corpus ejus Romam devectus esset. Sic vocari possunt hodie, quas *Repraesentationes* in anniversariis Exequiis vocamus,„ remque universam cooclndit Florentinus io L. Monumentum D. *de Relig. & Sumpt.* Fun. inquiens „ Monumentum generaliter res est memoriae caussa in Posterum prodita: in qua si corpus, vel Reliquiae inferantur, fiet *Sepulcrum*: Si vero nihil eorum inferatur, erit *Monumentum* memoriae caussa factum, quod Graeci Cenotaphium appellant.„

(a) Missis pluribus, quae latius cum in *Dissertatione De Suppliciis Veterum Hebraeorum*, tum fusius hoc in loco disquirit. V. C. August. Calmet. Divino Sacrorum Bibliorum Testimonio explanando nonnulla ex Calm. ipse trascribere libuit.„ Id plerumque „ servabatur (habet ille in verba laudata sub ioitium declarationis) „ oe ultra diem negligerentur suspensa sive patibulo, sive Cruci Reorum Cadavera, perinde eoim illa habebantur atque abominandum aliquid oculis Dei, quo tota late Regio contaminaretur; quare statim subditur: *Nequaquam contaminabis Terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in Possessionem*; Ea insidebat menti Populi illius idea, aspectu scilicet mortui corporis, Domum, Urbem, Regionem vitiari, quare id sollicite curabant, ut Telluri actutum mandaretur, idemque sub finem expositionis affirmans.„ Inter „ gravissimas curas (ait) hanc semper potissimum habuerunt Hebraei, ut mortuorum sepulturam curarent quo honore nec ipsos pariter sceleftos sui ipsorum, interfectores privabant (Joseph. de Bello l. 3. c. 25.) Solemne erat Aegyptiis & Phoenicibus Cadavera in Cruce relinquere ut io saniem fluerent, quam inhumaoitatem lex Dei detestatur.„

(b) Sepeliendo Cadaveri hominis qui suspendio interiit rationem praestare Maledictionem Divioam, Estius docet prolata verba sic exponens„ Sensus.... litterae est. Quicumque in Cruce suspenditur Deo execrabilis est: & ita execrabilis, ut nec Cadaver permittendum sit diu in hominum conspectu relinqui, sed statim eadem die tanquam abominabile auferendum ab oculis, & ut heic dicitur, sepeliendum.„

tus, Infernis sagittis & lanceis & jaculis millies perforatus, miserrime interfectus, in cloacam projectus est. Hic vides originem ac initium Rotæ, quod supplicium puto potius Franciscum I. in Gallia fecisse crebrius quam innovasse.

Locus Petronii Arbitri emendatus. Quid clavus Annalis, ejusdem de rebus furto sublatis quæ sub crepusculum vendi solitæ erant locus illustratus.

CAPUT V.

APud Petronium Arbitrum multa sunt impudica fateor, & quæ Cato ipse iniquis oculis, animoque legeret iniquo. At ipsum idcirco dari æternis tenebris, oblivionique sempiternæ qui fieri potest? illum Venus ab oblivionis periculo, sarctum tectumque facias, qui in to ornanda nullas dicendi Veneres, nullas prætermisit elegantias. Væ Gothico sæculo? quo non modo capite minutum est Romanum Imperium, verum etiam litteræ ad internecionem occisæ: Per hocce tempus liberales artes velut nube quadam obductæ sunt, non solum Bibliotechæ ritu sepulchrorum clausæ, verum etiam incendio flammisque consumptæ. Væ quoque Cassianis (*a*) quibusdam Monachis? (1)qui cum sine tentigine ac prurigine Petronio dare operam non possent, illum lascivientem & luxuriantem ferme sustulerunt. Vellem quidem, ipse prætextatis verbis abstinnisset & rebus aliis conscribendis capitale ingenium, & graphicam eloquentiam occupasset, sane disertorum apud Latinos familiam duceret. At Neronis sævitiæ id adscribo, (2) cujus ulciscendi caussa sub exoletorum & Cynædorum spurcis figmentis incœstas & excecrabiles libidines palam fecit. Qui hoc non intellexere illi velut impudico & propudioso nebuloni fibulam imposuerunt, quasi ille Juvenale fuerit impudicior qui easdem res eodem ore prosequutus est. Desiderabatur ipse non ita diu, sed P. Pithœus & Cl. Binetus Romanæ majestatis optimi vindices fecere, ne ipsum vel amissum desideraremus, vel corruptum & inquinatum contemneremus. Illi velut inter altas cadaverum strages animam agenti, medicæ manus præsto fuere: possum ego quibusdam vulneribus sic mederi. Petronius.

Et paries circa palea satiatus inani,
Fortuitoque luto, clavus numerabat agrestes.

Actum erat de hujus loci elegantia nisi mihi Sextus Pompejus horum versuum interpretationem investiganti opem tulisset. Confidenter igitur sic lego.

Et paries circa palea satiatus Agresti,
Fortuitoque luto. Clavus numerabat & annos.

Fieri potuit quod contingit haud rariter, ut transmigrarent cognatorum versuum

(1) *Petronius a Cassianis Monachis quibusdam male acceptus.*

(2) *Petronius sub exoletorum nominibus insectatur libidines Neronis.*

(*a*) Impactam Monachis calumniam depellit Claud. Salmas.; audiatur ille Petronium Arbitrum ita commemorans „ Conservatus est *elegantiorum* „ *nequitiarum* curiosis *Petronius Arbiter*. „ Quod enim ex ejus *Satyrico* habemus, mera excerpta sunt alicujus studiosi, qui quae ad gustum suum in „ illo Auctore invenerat, eodem quo „ Opus legebat ordine, adversariis „ suis commendavit. Qui putant a „ Monachis sic *mutilatum* esse, vehementer errant. Qualis haec *obtruncatio* foret, quae resectis a reliquo „ Corpore membris, vel potius ipso „ corpore abjecto, solas aliquas partes reliquisse videatur? Certe desiderantur, vix videri possunt salaciora ac nequiora fuisse his, quae relicta sunt. Imo ista nullam procacitatis, & protervitatis ὑπερβολὴν vel „ ipsis lenonibus usurpandam reliquam „ faciunt. „

suum ultimæ dictiones, cui sane transmigrationi hoc loco datus est locus. Reposuimus vero loco *inani*, *& annos sive in annos*. Quia ex Sext. Pompejo dicimus Clavos annales dici ex quibus numerus colligeretur annorum, *Clavus annalis appellabatur* (inquit) *qui figebatur in parietibus sacrarum ædium, per annos singulos ut per eos numerus colligeretur annorum*. Quos Clavos figendi jus Prætori erat, & idcirco inter ejus Jura jus figendi clavi ponitur. *Titus Livius*. *Lex vetustas est* (inquit) *priscis lite ris verbisque scripta, ut qui Prætor maximus sit, Idibus Septembris clavum pangat*. Et in quodam vetustissimo marmore nuper Romæ invento,

M. Oratius Consul (*a*) *ex lege templum Jovis Opt. Max. dedicavit anno post Reges exactos. a Consulibus postea ad Dictatores, quia majus Imperium erat solemne clavi transfigendi translatum est*,

Ex quo videre est quo tempore id solemne translatum sit. Arbiter igitur barbari adhuc & inculti sæculi rudes & incompositos mores describens, dicit clavis annos numerari solitos, quos secuta ætas paullo cultior & elegantior per Consules numeravit. porro quænam est hujus loci sententia? *Veniebamus in forum deficiente jam die, in quo notavimus frequentiam rerum venalium, non quidem pretiosarum: Sed tamen quarum fidem male ambulantem, obscuritas temporis facillime tegeret*: Sub crepusculum mercatum institui absurdum est, itaque puto rerum furtivarum Forum intelligi, quæ in Suburra deficiente jam die venales proponerentur, (1) idcirco harum fidem male ambulantem dicit Horatius lib. Sat. 1,

> *Fallacem Circum, vespertinumque pererro*
> *Sæpe forum*. (*b*)

Hele-

(1) *Mercatus rerum furtivarum*.

(a) *M. Horatius Consul* Anno post exactos Reges, *M. Horatius Pulvillus* est dicendus; quod enim pulsis ab Urbe Regibus, nova sit in Rempublicam forma Consularis Potestatis invecta, qui primo erant Consules creati L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, annum integrum haud tenuerunt; Collatinus quidem Magistratu deposito (quaecunque fuerit caussa, passim vocata in Disputationem, videndaque penes Livium Libr. 2. Plutarch. in Poplicola, Gell. Lib. XV. Cap. XXIX. ex L. Pisone) Roma ultro cessit, eum Arunte vero Filio Tarquinii Superbi Regis, qui bellum Romanis intulerat, Brutus congressus in praelio cecidit; explendo hinc anni spatio, pro L. Tarquinio Collatino gessit Consulatum P. Valerius, quod leges admodum Populares tulerit, *Poplicola* dictus, quasi (ex Dionysio) *Populum colens*, Brutoque interfecto, eodem adnitente Valerio, Sp. Lucretius Tricipitinus, Lucretiae Collatini pridem Uxoris Pater, successit in Consulatu; ad Pulvillum deinde quod attinet, hoc eodem Anno, Consulatum perfunctum & docet Cassiodor. in Chronic. & Commentar. in Fast. Et Triumph. Roman. *De Primis Coss.* ad Ann. U. C. CCXLIV. Carol. Sigon. „ Livius praeterea (habet ille) ac Dionysius Auctores sunt, Lucretium jam aetate confectum, paucos intra dies mortuum esse, in ejus autem locum *M. Horatium Pulvillum* subrogatum. Addit Livius in quibusdam Annalibus Lucretium Consulem praetermissum & Bruto statim M. Horatium esse suffectum, forte quia nulla res insignem fecerit Consulatum, memoria excidisse. „

(b) Legit Petrus Gualterius

„ Fallacem *Circum Vespertinusque* pererro

Saepe *Forum*...

& ad rem nostram haud inepte eidem Gualterlo *Circus fallax est*, quod (ex Livio) non tantum *rerum furtivarum Venditores*, illuc autem & saepe convenirent *Conjectores*, *Astrologi*, *& Somniorum Interpre-*

Helenius Acron & Porphyrio Interpretes Horatii antiquissimi, de Suburra majore, hunc locum accipiunt, in qua vesperi furtivæ res semper venundabantur. Itaque Vespertiuum Forum dixit quia occidente Sole rerum furtivarum mercatus inciperet. Hinc Plautus salse in Milite glorioso proverbii loco usurpavit *Vesperi suo vivere*, (1) pro eo quod est furtis suis vitam sibi parare. Ea de caussa Propertius vigilacem Suburram dixit.

Jamne tibi exciderint (2) *vigilacis* (a) *furta Suburræ* (3)

Subiicit Petronius, *Cum ega & ipsi raptum latrocinio pallium detulissemus, uti occasione opportunissima cœpimus, atque in remoto angulo laciniam extremam concutere*, &c. Sepultum igitur hunc morem luci reddidi, quem nemo ante me vidit.

Na-

(1) *Vesperi suo vivere*.
(2) *Vigilax*.
(3) *Suburra*.

---

pretes ad fallacias, dolos, & praestigias compositi; horum jocis perhibetur delectatus Octavius Caesar Augustus, qui ad jucundam sermonis provocationem accitos e Circo Symphoniacos Pueros, quin & histrionum, ludiorumque caeterorum vilissima Capita inter mensam oblectationis caussa non raro adhibebat: audi Suetonium in ejus Vita Cap. LXXIV. hoc ita exponenter „ Caenam trinis ferculis, aut, cum „ abundantissime, senis praebebat, ut „ non nimio sumptu, ita summa co„ mitate. Nam & ad Communionem „ sermonis tacentes vel submissim fa„ bulantes provocabat, & aut Acro„ mata, histriones, aut etiam *Trivia„ les ex Circo Ludros* interponebat, ac „ *frequentius* (seu *frequentissime*, ut pla„ cet nonnullis) *Aretagolos* „, quos appellatos censet ad hunc locum If. Casaub. „ miseros quosdam Philosophos, „ mera bominum mendicabula, Sectæ „ fere Cynicae, vel Stoicae, qui quum „ Scholas, & Sectatores non haberenr, „ Convivia Beatorum frequentabant, „ & Romulidas Saturos variis de „ Virtute & Vitio Disputationibus ob„ lectabant, quos, & Seneca in Epi„ stola XXIX. *Circulatores* Philosophos „ nominat. „ Secus vero ac alii, qui *Vespertiuum* legunt, eidem Gualterio probatur *Vespertinus* ab Horatii mente sensu non longe diverso „ Quia Ve„ speri liberior est inambulatio in Fo„ ro minus celebri, ac frequenti. „

(a) Utique *Vigilacis* habet Josephus Scaliger Castigat. in Propert. heic adnotans „ Scribe Auctore vetere libro „ Vigilacis, quo verbo Juriscoosultus „ utitur. „ Jurisconsulti vero nomine Cajus venit, qui in L. *Si quid* Venditor. D. *de Aedil. Edicto* ait. *Et si laboriosum, &* Vigilacem *esse adfirmaverit non continuus labor per dies* noctesque ab *eo exigatur sed haec omnia ex bono, & aequo modice desiderentur*. Itemque Colum. Libr. 7. Cap. 12. *Maxime autem*, inquit, *debent in custodia* Vigilaces *conspici, nec erronei, sed assidui, & circumspecti magis, quam temerarii*.

Nationum solennes migrationes μέτοικοι , *pertermine* , διαβατήρια .

C A P U T VI.

ACceplmus ex veterum memoriis quasdam natlones vel fœcunditate nimia, non præstaotibus alimenta terris, vel horrore Cœli, vel sterilitate Soli, vel belli jure, grassante Victore, vel aliarum Regionum ubertate ac aeris temperie pellectas, & coactas, patrium & avitum solum mutare, ac extorres se passim per alias Gentes velut examina diffundere. Proletariæ Gallorum & Germanorum Gentes quæq; penitius sub Arcto consistunt Orientem &Occidentem inundavere(1)Testes Franci, (*a*) Ro-

(1) *Transmigrationes Septentrionalium Populorum.*

(a) Ad Francos quod attinet, caeteris missis eorum Regni Scriptoribus in Opere And. Dusne-Chevi Titulus „ Historiae Francorum Scriptores Coaetanei „ Edition. Parisiens. *Sebastian, Cramoisy* Ann. Chr. MDCXXXVI. Pag. 129. *Ex memoriali Historiar. M. S. Job: Parisiensis Canon. Regularis apud S. Victorem* in §. *De Francia* , *&* *Origine Francorum ferme sub initium leguntur haec verba* : „ De Origine Francorum, „ & de Regibus, & Regni progressu, „ satis concorditer loquitur Gregorlus „ Archiepiscopus Turonensi in Histo- „ ria Francorum, Hugo Floriacensis „ V. Libr. Historiae suae , Magister „ Hugo de S. Victore in Chronicls, „ & Sigebertus cum tractat de Regni „ Francorum , & quorundam alio- „ rum Origine sic dicit . *Post illud famosum , & cunctis Saeculis notum Troianae Civitatis excidium , Victoribus Graecis cedentes Reliquiae Trojanorum , Pars eorum cum Aenea ad fundandum Romanum Imperium ad Italiam venit ; Pars alia scilicet XII. M. Duce Anthenore in Panoniae finitimas Partes secus Maeotidas Paludes pervenit . Ibique Civitatem ipsi similiter fecerunt , quam ob sui memoriam* Sicambriam *vocaverunt . In qua multis annis habitantes in Magnam Gentem coaluerunt . Indeque post exeuntes , usque ad Gallias ferocitatis suae vestigia dilatarunt , Hos postea Romanis infestos Constans Constantini Magni Filius bello oppressit , & Romano subjectos Imperio mansuefieri a sua feritate coegit . Post annos* XXXIII. *a Valentiano* I. *Imperii sui anno* X. *evocati ut Alanos sibi Rebelles contererent , hac Pactione , quod* X. *annis a Tributo anuno sibi & Romanis debito forent immunes , ipsi fortitudine , & prudentia sua jam experta , Duce Priamo , Meotidas Paludes Romanis invias ingressi , exterminaverunt Alanos . Valentinianus itaque eorum delectatus Virtute ipsos prius Trojanos dictos , deinde Anthenorides , post Sicambros , Francos eos lingua Attica , seu Graeca vocavit , quod latine interpretatur* Feroces (nonnulli exposuerunt *Victores Indomitos*) *Exacto itaque decennio, quum ab eis repeteretur Tributum , ipsi pro dicta Victoria insolescentes , & de suis viribus praesumentes , non solum Romanis negaverunt Tributum solvere , sed etiam praesumpserunt rebellare . Ob hoc Romanus Exercitus super eos irruens , eos victos pene usque ad internecionem contrivit.* Haec Sigebertus , & Memorialis Auctor subjungit extemplo : „ Residui autem (Franci) primo versus Rhe- „ num in Germaniam & post in Syl- „ vam Carbonariam versus Camera- „ cum venerunt ac demum Franciae „ Regionem conquisierunt „ ad quae Duae accedunt postea eodem narrante Scriptore de Francorum appellatione Opiniones , altera ducta ex ipsis Sigeberto , & Hugone de S. Victore, nempe cognominatos Francos a Duce quodam *Francione* multarum Gentium Domitore fortissimo, qui Victor cum suis , copla , & strenuitate lectissimia Danubium lnter, Rhenumqua consedit a Regia Potestate immunis eo usque quo Priamus Francis primus creditur imperasse: Altera vero est Opinio Hugonis

Gothi, (*a*) Visigothi, (*b*) Gepidæ, Hunni, Vandali, qui copiis suis orbem Romanum late ac diffuse pervagati sunt. Phryges Metropoli urbe excisa exustaque natale Cœlum deserentes, Duce Ænea in Latium fluxere ac

gonis a S. Victore (illamque in alia quadam Historia perfectius reperisse se meminit Auctor. Memorial.) eaque testatur subversa Troja evasisse inter caeteros Francionem ac Furcum. Filium primum Hectoris, secundum Troili, qui & Hector & Troilus Patrem Priamum Trojanorum Regem habuerunt. Turcus una cum Gente, quae ipsum est sequuta, descendit in Scythiam, ubi a Ductoris nomine Populi vocati sunt Turci, Francio, & Socii incoluerunt prius Terras circa Danubium deinceps post annos plures ad manendum locum commodiorem quaerentes universam lustravere Germaniam & in Galliam postremo devenerunt, ibique ad permanendum commodum, nec non amoenum locum nacti Urbem supra Sequanam fluvium aedificaverunt, quidam a lutositate amnis *Luteciam* vocarunt, se autem vel a Paride Filio Priami, vel (ut alii sunt arbitrati) a *Paresia* Graece, quae latine est *Audacia* nominaverunt Parisios.

(a) Liceat proferre quae de Gothorum Procerum Origine in suo *Rerum Geticarum* libro Jornandes ita proponit: „ Horum ergo (de Gothis est sermo), ut ipsi suis fabulis ferunt,
„ primus fuit Gapt, qui genuit Halmal, Halmal vero genuit Augis, Augis genuit eum qui dictus est Amala, a quo & Origo Amalorum decurrit. Et Amala genuit Isarna, Isarna autem genuit Ostrogotha, Ostrogotha genuit Unilt, Unilt genuit Athal, Athal genuit Achiulf, Achiulf genuit Ansilam, & Ediulf, Vuldulf, & Hermerich, Vuldulf vero genuit Valeravans, Valeravans autem genuit Uvinitharium, Uvinitharius quoque genuit Theodemir, & Uvalemir, & Uvidemir, Theodemir genuit Theodericum, Theodericus genuit Amalasuentam, Amalasuenta genuit Athalaricum, & Mathasuentam de Uterico Viro suo, cujus affinitati generis sic ad eam conjunctus est. Nam supradictus Hermericus Filius Achiulfi genuit Hunnimundum, Hunnimundus autem genuit Thorismundum, Thorismundus vero genuit Berimund, Berimund genuit Uvidericum, Uvidericus genuit Eutharicum qui conjunctus Amalasuentae genuit Athalaricum & Mathasuentam. Mortuoque in puerilibus annis Athalarico, Mathasuentae Uvitichis est sociatus, de quo non suscepit Liberum, adductique simul ad Belisarium in Constantinopolim, & Uvitichis rebus excidente humanis Germanus Patricius Fratruelis Domini Justiniani Imperatoris eandem in conjugio sumens, Patriciam Ordinariam fecit, de qua Filium genuit item Germanum nomine, Germano vero defuncto ipsa Vidua perseverare disponit „ additurque paullo infra. „ Nunc autem ad id, unde digressum fecimus redeamus, doceamusque, quando Ordo Gentis unde agimus cursus sui metam expleverit. Ablavius enim Historicus refert, quia ibi super limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, Pars eorum qui Orientalem plagam tenebant, eisque praeerat Ostrogotha, utrum ab ipsius nomine an a loco Orientali dicti sunt Ostrogothae, residui vero Vesegothae in parte Occidua. Et quidem jam, sicut diximus, eoa transito Danubio aliquantum temporis apud Moesiam Thraciamque duxisse.

(b) Vesegotharum Instituta, Religionem, Defectionem eodem Libr. aperit Jornandes his verbis: „ Veseghotae, idest alii eorum (nempe Gothorum) Socii & Occidui soli cultores metu Parentum exterriti „ (victi scilicet per id ferme tempus ab Hunnis fuerant Gothi) quidnam de se propter Gentem „ Hunnorum deliberarent, ambigebant diu-

Romanis Gallisque dederunt initium. Lubet Septimi Tertulliani verba transcribere, quae extant lib. de anima *Inveniemus (inquit) apud Commentarios etiam humanarum Antiquitatum, paullatim humanum genus exuberasse, dum Ab-*

„ diuque cogitantes, tandem communi „ placito Legatos ad Romaniam direxere ad Valentem Imperatorem Fratrem Valentiniani Imperatoris Senioris, ut partem Thraciae sive Moesiae, si illis traderet ad colendum, ejus legibus viverent, ejusque Imperiis subderentur. Et ut fides uberior illis haberetur, promittunt se, si Doctores linguae suae donaverit, fieri Christianos. Quo Valens comperto mox gratulabundus annuit, quod ultro petere voluisset, susceptosque in Moesiae partibus Gethas quasi murum Regni sui contra caeteras Gentes statuit. Et quia tunc Valens Imperator Arianorum perfidia saucius, nostrarum Partium omnes Ecclesias obturasset, suae Partis Fautores ad illos dirigit Praedicatores, qui venientibus rudibus, & ignaris illico perfidiae suae virus defundunt. Sic quoque Vesegothae a Valente Imperatore Ariani potius quam Christiani effecti. De caetero tam Ostrogothis quam Gepidis Parentibus suis per affectionis gratiam evangelizantes, hujus perfidiae culturam edocentes omnem ubique linguae hujus nationem ad culturam hujus Sectae invitavere. Ipsi quoque (ut dictum est) Danubium transmeantes Daciam Ripensem, Moesiam, Thraciasque permissu Principis insedere; quibus evenit (ut adsolet Gentibus nec dum bene loco fundatis) penuria famis„ orta ex fame incommoda, vexatosque a Romanis Vesegothas sub Regulo Fridigerno ad convivium excepto a Lucipino Romanorum Ductore qui sub idem tempus per dolum Vesegothis necem moliebatur a Romanis defecisse ipse narrat Jornandes: „ Illa namque dies (convivii a Lupicino instructi) Gothorum famem, „ Romanorumque securitatem ademit: coeperuntque Gothis, jam non ut Advenae & Peregrini, sed ut Cives, & Domini possessoribus imperare, totasque partes Septentrionales usque ad Danubium suo jure tenere. Quod comperiens in Antiochia Valens Imperator mox armato Exercitu in Thraciarum partes digreditur, ubi lacrymabili bello commisso vincentibus Gothis in quodam praedio juxta Hadrianopolim saucius ipse refugiens, ignorantibus quoque quod Imperator in tam vili Casula delitesceret Gothis, igneque (ut assolet) saeviente inimico supposito, eum Regali pompa crematus est haud secus quam Dei prorsus judicio, ut ab ipsis igne combureretur, quos ipse veram Fidem petentes in perfidiam declinasset, & ignem Charitatis ad gehennae ignem detorsisset. quo tempore Vesegothae Thracias, Daciamque Ripensem post tanti Gloriam Trophaei, tanquam solo genitali potiti, coeperunt incolere. „

Gepidarum disce regionem eodem Auctore ut antea Jornande, qui memorato antea *Rerum Geticar.* Libr. ita scribit. „ Daciam dico antiquam, quam nunc Gepidarum Populi possidere noscuntur. Quae Patria in conspectu Moesiae sita trans Danubium Corona Montium cingitur, duos tantum habens accessus, unum per Bontas, alterum per Thabas. Hunc Gothiam, quam Daciam appellavere Majores (quae nunc ut diximus Gepidia dicitur) tunc ab Oriente Roxolani, ab Occasu Tamazites, a Septentrione Sarmatae, & Bastarnae, a Meridie Amnis Danubii fluenta terminant. Tamazites a Roxolanis alveo tantum fluvii segregantur. „

Hunnorum genus itidem Jornandes Libr. *Rer. Geticar.* hunc in modum exponit: „ Ad littus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Vistulae fluminis ebibuntur, Vidioarii resident, ex diversis nationibus aggregati, post quos ripam Oceani Itemesti tenent, pacatum hominum ge-

„ nus

Aborigines vel vagi, vel extorres, vel gloriosi quique occupant terras, ut Scythæ Parthos, ut Menidæ (a) Peloponnensum, ut Athenienses Asiam, ut Phryges Italiam, ut Phœnices Africam, dum solennes Nationum migrationes, quas Μετοικίας *appellant consilio exonerandæ Popularitatis in alios fines examina Gentis eructant. Nam & origines nunc in suis sedibus permanent, & alibi amplius gentilitatem suam fœneraverunt.* Idem in libro de Pallio, quo non extare inter Græcos & Latinos, scolasticum Opus elegantius & eruditius ausim affirmare, *Transvolavere redundantium Gentium examina, Scythæ exuberant Persas, Phœnices in Africam eructant, Romanos Phryges pariunt, Chaldæum semen in Ægyptum educitur, dehinc cum inde transducitur Judæa Gens est.* Eleganter μετοικίας dixit solennes Nationum migrationes μέτοικοι (inquit Suidas) οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταστάντες καὶ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες (*) in Paneg. Flaviensium nomine Constantino A. dicto. *Ob hæc igitur merita & prisca, Divus Pater tuus Civitatem Heduorum voluit jacentem erigere, perditamque recreare non solum pecuniis ad Kalendaria largiendis, sed & metœcis undique transferendis, ut esset illa Civitas Provinciarum velut una Mater, quæ reliquas urbes quodammodo Romanas prima fecisset.* Metœci quoque fit mentio l. 4. cap. 10. de jure fisci. Metœcus a Metœcio dictus, id est duodecim drachmis quas quotannis velut Inquilini luere cogebantur qui in aliena Civitate larem fovebant, ut Cœlius Rhodiginus in Commentariis lect. Antiquar. scripsit. Anno sal. cIↄ. cc. 38. imperante Federico II. Tartari gens Scythica ex

---

„ nus omnino. Quibus in Austro adsedit Gens Agazzirorum fortissima frugum ignara, quae pecoribus, & venationibus victitat. Ultra quos distenduntur supra Mare Ponticum Bulgarum sedes, quos notissimos peccatorum nostrorum mala fecere. Hinc jam Hunni, quasi fortissimarum Gentium foecundissimus Cespes, in bifariam Populorum rabiem pullularunt. Nam alii Aulziagri, alii Aviri nuncupantur, qui tamen sedes habent diversas. Juxta Chersonam, Aulziagri, quo Asiae bona avidus Mercator importat, qui aestate Campos pervagantur effusos, sedes habentes prout Armentorum invitaverint Pabula, hyeme supra Mare Ponticum se referentes. Hunugari autem hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium. Quos tantorum Virorum formidavit audacia. Quorum mansionem primum esse in Scythiae solo juxta Paludem Maeotidem, secundo in Moesia Thraciaque, & Dacia, tertio supra Mare Ponticum, rursus in Scythia legimus habitasse „ nec ulterius quidquam de Hunnis certi perhiberi, hic ex ipsius testimonio Jornandis est compertum.

Quam Orbis terrarum partem Vandali tenuerint liquet ex ipso Jornande memorato pridem libr. *Rer. Geticar.* dum enim Gebericham Gothorum Regem virtute, bellicaque disciplina insignem exhibet, de Vandalis item sic verba facit: „ Primitias Regni sui (Geberich) mox in Uvandalica Gente extendere cupiens contra Visumar eorum Regem, qui Adsingorum e stirpe, quae inter eos eminet, genusque indicat bellicosissimum, Douxippo Historico referente, qui eos ab Oceano ad nostrum limitem vix in anni spatio pervenisse testatur prae nimia terrarum immensitate. Quo tempore erant in eodem loco manentes, ubi nunc Gepidae sedent juxta flumina Marisia, Miliare, & Gilfil, & Grissia, qui Amnes supradictos excedit. Erant namque illis tunc ab Oriente Gothi, ab Occidente Marcomanni, a Septentrione Ermunduli a Meridie Hister, qui & Danubius dicitur.

(a) Ad mentem Junii a Joh. Ludov.

(*) Latine dices: „ Qui ab alia Civitate sede mutata, in aliam habitatum concessere. „

ex Septentrione more veterum Nationum (*a*) erupere, pars Occidentem, pars Orientem invaſit, eorum prædæ ac libidini ceſſere Polonia & Ruſſia, (*b*) quæ etiam hodie ab his terrarum Prædonibus vi poſſidentur. Sacrificia vero pro more in

tran-

---

dov. De la Cerda heic non leguntur *Menidae* ſed *Temenidae*, nampe quod hoc videantur inuuere vel ipſius Tertulliani verba in Libr. De Pallio: *Herculea Poſteritas qui Temeno Patre Peloponeſum occupando producunt*; caeterum *Maenidae* dicuntur, nulla vero ratione *Temenidae*, primaeque lectioni ſervatur fides a Jacobo Pumelio, cum in Libr. *De Anima* Cap. 30. a num. 372. ad 376. tum in Lib. *De Pallio* a num. 30. ad 42. pluribus ad varias Populorum Tranſmigrationes exponendas accomodatis Tertullianum dilucide illuſtrante.

(a) Barbararum Gentium, quae olim prodierunt ex Septentrinne Occidentaleſque praeſertim Regiones tenuere, immanitatem, inundationes, praelia, vel ſecundo, vel adverſo Marte commiſſa, prae aliis narrat accurate Carol. Sigonius in *Libr. Iſtoriarum De Occidentali Imperio*. Breviter hine ſummatimque delibatur aerumnoſus Ordo calamitatis, qua Septentrionalibus irruentibus Populis miſere vexari coepit, diuque turbata eſt praeſertim Italia: „ „ Hunc in modum (habet Sigon. mox relatus Libr. X. ad Ann. Chr. 401. ſub initium Pontificatus Innoc. Papaa I. Imp. Caeſſ. Arcadio, Honorio, & Theodoſio Juniore Aug. eam ferme per aetatam, qua invadendae Italiae dira Alaricum Gothis tunc imperantem libido inceſſit) Hunc in „ modum quae omnibus ante eſſe for„ midini ſolita ſuerat. ipſa immanem „ ex ultima barbarie Gentem horrere „ demum Italia coepit, ita ut ab hoc „ tempore uſque ad Caroli Magni Im„ perium omnium calamitatum aut prae„ ſentium ſenſu, aut impendentium „ metu perculſa nunquam quieverit, „ verum humanorum malorum extre„ ma omnia paſſa ſit; atque Eccleſia „ Dei, quae paullo ante conſtituta per „ Conſtantinum (ſcilicet *Eccleſia Dei* ex Servatoris Chriſti Domini Suprema Inſtitutione Petro antea Summo Romano Pontifici, eique poſtea Succeſſoribus demandata Imp. Caeſ. Flav. Conſtantini Max. Aug. liberalitate quievit, facta per illum ſingulis Chriſtum colendi publice copia) „ inde per annos cen„ tum in aliqua eſſe dignitate, ac poten„ tia coeperat, maximam ex omni par„ te jacturam, labemque contraxerit. „ Coetera quae ad eas Gentes referuntur occurrunt in Jornande, ſive Jordano ea de cauſſa potiſſimum ſupra commemorato, quod Gothus Auctor ſit, ſuaeque propterea Gentis diligentius res inveſtigaverit, haud longo ſane a Gotborum vaſtationibus intervallo diſſitus; floruit enim Ann. Chr. 552. & de *Rebus Geticis Libr.* a Gothorum incunabulis ad Regem Vitigin uſque devictum a Beliſario Hiſtoriam perſtrinxit a compluribus magnae notae Viris adnotationibus ornatam, & frequenter in lucem non mediocri librariorum cura diligenter emiſſam.

(a) Sythicum Genus Tartaros extra Patrium Solum effuſos ſcribit inter alios Mathias a Michou *Tom. I. Hiſtor. Polonicae De Sarmatia Aſiana Atque Europea Lib.* 1. a Cap. 1. ad Univerſum Cap. IX., itemque ſub Libri finem Capp. XVI. & XVII.; Quae loca Tartari vel ditione tenuerint, vel rapacitate vaſtaverint apud ipſum eſt videre. De barbarae Gentis impetu primum in alienas Terras crudeliter facto ille quoad par eſt diligentiſſime verba facit, nec unam tantum irruptionem verum & multas immaniſſimorum Praedonum incurſiones deſcribit, primum quidem Ann. Dom. MCCXII. quo per Poloucorum Finea Tartari populabundi Rutenorum ſunt ingreſſi Regiones, adverſoque Marte proſtrati *Ruteni in peſſimum, horrendum inciderunt periculum, quale in Terris Ruſſiae nunquam auditum eſt. Eaque*

prima

transitu fiebant ut in sacris commentariis legimus Deum Opt. Max. Hebræis ex Ægyptiorum vinculis aufugientibus jussisse ut Paschæ solemnia celebrarent. Theodoretus lib. Quæstionum in Exodum. Pascha (inquit) Philo interpretatur est διαβατήρια, Iosephus ὑπέρβασιν Symmachus ὑπερβάσεις Theodotion φασὲχ (a) Hebraica voce non mutata Διαβατήρια sacra sunt quæ in transitu fieri moris erat. Plutar. in Lucullo. ἔθυσε τῷ εὐφράτῃ διαβατήρια (*) Captare quoque auspicia soliti erant Romani cum de fine Romano in agrum peregrinum transibant, quod auspicium Prætermine dicebatur. Victorinus Afer de Ortographia, cui soli hujus nominis notitia debetur: *Prætermine (inquit) dicitur auspicium quia fit eum de fine Romano in agrum peregrinum transgrediuntur.* Qui grammaticos parvi pendit, hæc se ignorare fateatur necesse est.

Nonii Marcelli locus ex Gellio emendatus, additis de Matronis vetustiorum auctorum quibusdam locis.

CAPUT VII.

NUllus Grammaticorum Nonio Marcello mendosior & contaminatior extat, nullus cui lectionum copia major sit & judicium levius in colligendo. Ad eum emendandum quoniam docti omnes velut dato signo concurrunt, ego ipsi hoc loco dabo operam. Verba ejus hæc sunt quæ mihi auxilium emendationis implorare videntur. (1) *Matronæ & Matrisfamilias dissimilitudinem hoc modo veteres docti separant quidam, ut sit Matrona quæ peperit semel, Materfamilias quæ sæpius. Sed hæc definitio videtur absurda. Ad hæc fidelius locupletiores. Matronam quæ in matrimonio sit mariti etiam ante susceptos liberos, dictam*

(1) *Nonii Locus Corruptissimus.*

(*) Sacrificavit Euphrati Diabateria.

prima Clades extitit quam Ruteni a Tartaris pertulerunt, unam & alteram deinde passi Ann. Dom. MCCXXVIII.; nam *in maxima multitudine Tartari Russiam ingredientes, Universam Terram Renesansea vastaverunt, Ducem occiderunt, senes, & impuberes necaverunt, reliquam multitudinem in captivitatem abduxerunt, Castra incenderunt. Iterum hyeme ejusdem anni venerunt Tartari in Terram Susdalorum, & ea universa vastata, Ducem Georgium & Filios ejus, pluresque alios Susdalorum Principes interfecerunt, Castrum Rostou incenderunt, captivos & praedam pro libito abduxerunt. Sequenti quoque anno in Smolnensem, & Cirnyeoviensem Regiones venientes, eas crudelissima caede, nulli aetati parcentes, pervastaverunt, Castra, & Fortalitia, ex quibus Duces, & Milites prae timore fugerant, incenderunt, & Onusti captivorum multitudine in Terras suas redierunt.* subnectiturque postea horrenda vastatio, qua Anno Dom. MCCXLI. *Tartari denuo in Russiam venerunt, & Kiou amplissimam Urbem & Metropolin Rutenorum magnifice constructam funditus deleverunt.* Haec de Tartaris semel iterumque Populos vexantibus leguntur in memorato Math. a Michovia Opere Libr. 1. Cap. 2. & 3. Plura quaerenti caetera ejusdem libri capita sunt adeunda.

(a) De *Phase*, hoc est de *Transitu Domini* scrutanti Divinos libros pervius est Exod. Cap. XII. Vers. XI. indeque ratio Paschatis liquet, & nominis *Phase* comperta fit expositio: *Paschale* autem *Festum* annotat heic Nicol. de Lyra, *dicitur Phase, quod significet Transitum, quia tunc Filii Israel recesserunt de Aegypto, ut transirent ad Terram Promissionis. Item quia illa nocte Dominus transiens per Aegyptum, percussit Aegyptios, & salvavit Hebraeos, & hoc est quod dicitur: Et transibo per Terram Aegypti.*

meliore tamen matris futura spe. M. Tullius nomine nuncupatam. Matrem vero familias quæ in familia, (a) *&c.* Jacobus Cujacius c. v. doctor meus omnium quantum est qui vivant hominum homo honoratissimus, postrema Nonii verba castigavit Obser. 7. cap. 11. Alium ego ejus emendationis fundum & subscriptorem non postulo. In uno Cujacio ipsæ loquuntur litteræ. Eodem ego Auctore quo ille in eo emendando usus est, utar quoque, sicut illi Gellius, ita mihi fœliciter affulsit. Hæc mihi in Nonio verba mendosa & monstruosa videntur, *Sed hæc definitio videtur absurda. Ad hæc fidelibus locupletiores.* Ego pensitatis & excussis antiquæ lectionis vestigiis ita lego. *Hæc differentia videtur absurda. At hanc Aelius de loquendi proprietate.* Meminit ejus Ælii (1) litterati hominis ac ejus libri de loquendi proprietate Aulus Gellius lib. 18. cap. *6.* apud quem hæc Matronæ & Matrisfamilias extat iisdem fere verbis differentia, quam ipse Gellius insectatur, ejusque auctorem laudat Ælium de loquendi proprietate. Nec sane Nonius aliunde hanc differentiam quam ex Gellio hausit. Aliam ego soleo adhibere differentiam inter Matronas & Matresfamilias. Matronæ tantum dicebantur illustres ac nobiles fœminæ: Matresfamilias vero quæcunque in familia mancipioque mariti essent. Georgius Cedrinus in annalibus (2) (*) ὅτι Ῥωμαῖοι τὰς σώφρονας γυναῖκας ματρώνας ἐκάλουν, οἱ δὲ Ἕλληνες οἰκοδεσποίνας. *Servius in Virgilii commentariis hoc loca.*

> *Qua te sola puer multis e matribus ausa.*
> *Persequitur.*

Ex Matribus inquit id est ex nobilibus. Nam Matres nonnisi nobiles dicimus. Unde & Matronæ dictæ sunt. Matres quoque familias Græci dixerunt οἰκοδεσποίνας, & hæ propriæ dicebantur quæ per coemptionem in Mariti manum conveniebant, qua in coemptione interrogabatur mulier an Materfamilias & vir Paterfamilias esset. Paullus Apostolus ad Timotheum 1. (3) βούλομαι (inquit)

οὖν

(1) *Aelii nomen restitutum.*
(2) *Matronae Matresfamilias.*
(3) *Illustratus Paulli locus.*

(a) Habe verba Gellii ex Libr. 18. Cap. *6.* quae in Auct. Nostr. desiderantur, ac sunt ejusmodi: *Matrem autem familias (probabilius est) appellatam esse eam solam, quae esset in Mariti manu, mancipioque, quoniam non in Matrimonium tantum, sed in familiam quoque & in sui haeredis locum venisset.* Quibus equidem Verbis mirum in modum illustratur in ducendis Uxoribus antiquum Romanorum institutum; Veteri enim ex illorum lege nubentes mulieres tres ad Vrirum asses deferre consueverant, unum quidem manu gestantes perinde ac si emptionem perficerent, Marito porrigebant, alterum, quem gerebant in pede, solebant in Foro Larium familiarium ponere, tertium cum in Sacciperio condidissent, vicinali compito, ut plurimum, resignabant; Contingebat hinc, ut mulier sane *in manu, mancipioque Mariti esset*, aut ejus, in cujus manu mancipioque erat Maritus suaque illi haeres fieret, quemadmodum inter caeteros Ulpian. pluries tradit in Institution. Vir autem non in manum, idest potestatem veniebat Uxoris, sed quod coemptus erat, id ei sui haeredis Jus tribuebat, ut Boeth. prae aliis declarat in Topicis. Usus vero invaluerat, virum mulierem interrogare, an sibi *Mater-Familias* esse vellet, uxorque mutuo Virum, an sibi vellet esse *Pater-Familias*, ac si uterque responderet *velle*, Mulier vocabatur *Mater-Familias*, quod scilicet (ex Gellio) non *in Matrimonium tantum, sed in Familiam quoque Mariti, & in sui haeredis locum veniret*; Haec ex priscorum hominum sensu est *Mater-Familias*, quae inspecta postea Vocabuli formula latius semper Auctoribus patuit, quod proponunt. ostenduntque manifeste Lexicographi.

(*) Latine dixeris: „ quod Romani „ prudentes mulieres *Matronas appellabant*, Graeci vero *Matresfamilias*.

ὁμῦ νεωτέρας γαμεῖν, τεκνογονεῖν, οἰκοδεσποτεῖν, μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι τῷ ἀντικει-μένῳ λοιδορίας χάριν. (a) Vetus Interpres οἰκοδεσποτεῖν, vertit Materfamilias esse, Erasmus domum administrare. Uterque recte. Matri enim familias curæ familiæ & domesticorum negotiorum incumbit, ut laoam facere, curare victum vestitumque familiæ, dare operam ut tersa nitidaque supellex domusque sit. Quoniam vero ut inquit Clemens Alexandrinus, γάμος ἐςὶ σύνοδος ἀνδρὸς κ' γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ id est matrimonium est prima viri ac mulieris conjunctio legitima ad liberorum procreatiooem. (1) Paullus dixit γαμεῖν, τεκνογονεῖν. (b) Equidem hæ duæ in Matresfamilias desiderantur virtutes ut sci-

(1) *Matrimonii definitio.*

(a) Habet vulgata nostra „ *Volo* „ *ergo Juniores nubere*, *filios procreare*, „ *Matresfamilias esse*, *nullam occasionem* „ *dare adversario maledicti gratia* „ locumque Calm. explicat inquiens : „ „ Malo illas iterum oubere, quam „ io Viduarum ordine, & munere ver- „ sari aut quod perniciosius fuerit de- „ esse promissis quae juraveriot, sive „ otium sectari, vanamque spectandi, „ effutiendi, audiendi omnia curiosita- „ tem. Quae continentiae dono oon „ gaudeot, oubant. Secundas igitur „ nuptias oon damnat Apostolus, eas- „ que tanquam libidinis remedium „ permittit. „ Perperam itaque sceleßteque Sanctae Catholicae Fidei Saec. 2. montanus una simul cum asseclis Cataphrygibus ceu *Scortationes* eliminavit *Secundas nuptias*, ex Paulli meote, Sacrorumque Doctorum sententiis ex omni labe, ootaque inhooestatis prorsus immunes.

(c) Latina fert interpretatio: *Uxorem ducere Filios generare*; Caeterum in Vulgata nostra Divina Scriptura noo semel Paullus scripsit, *Uxorem habere*, & hoc legitur inter alia ad Cor. I. VI. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque* suam uxorem habeat, & *unaquaque* suum Virum habeat, ibique Glossa: „ Nota quod unicuique liceat U- „ xorem accipere, nisi faciat sibi il- „ licitum propter votum, vel aliquid „ tale. „ Similiter a Paullo dicitur *Uxorem accipere* ubi supr. V. 28. *Si autem acceperis Uxorem*, *non peccasti*, quod Estius sic expendit: „ Sensus Apostoli: „ Non ita dico, ne quaeras Uxorem „ quasi peccatum sit Uxorem ducere; „ & id a me prohibetur. Nam oup- „ tiae non sunt peccatum, sed res bo- „ oa a Deo instituta : proinde nequa- „ quam consequens est, siquis Uxorem „ duxit eum peccare, Quod etsi ita „ sit, contingit tamen actum, seu „ contractum quo ducitur Uxor, vitia- „ ri fine, vel aliqua alia circunstantia „ mala, sicut & alios actus genere „ suo bonos. Unde Thomas ita lo- „ cum hunc exponit: *Si acceperis Uxo-* „ *rem*, *scilicet bono fine*, *non ad exple-* „ *tionem libidinis*, *non peccasti*. „ De *Filiorum generatione* loquitur etiam Paullus ad Timoth. 1. 3. 15. mulierem in Ecclesia a munerum virilium, honorum Sacrorum dignitate exclusam in salutis parte ita constituens: *Salvabitur autem per* Filiorum geoerationem, qua ex dicendi formula (juxta Calmetum) haud significatur naturalis Filiorum procreatio „ quasi opportuna salutis via sit „ plurium liberorum procreatio; vel „ peccata expiet Mulier, dum Filios „ cum cruciatu parit, uti nonnullis „ visum est. Id si verum esset, magno „ salutis adminiculo carerent Virgines „ caelibesque. *Generare* hoc loco est *edu-* „ *care*, ut io aliis Scripturae locis. Ita „ *Machir in genibus Joseph* genuisse di- „ citur; & Noemi *suscepisse Filium* O- „ bedum; quod scilicet Josephus Fili- „ um Machir, & Noemi Obedum Ne- „ potem educaveriot. Eodem hoc sen- „ su in Sacris Voluminibus passim Pa- „ ter ouncupatur is, qui Filium alie- „ num educavit. „

ſcilicet crebris puerperiis atque natalibus honeſtetur ac procurandæ rei familiari fœlicem navet operam. (1) Mirum eſt quantum generoſis mulieribus jus faveat. Ut quærendæ prolis ergo contrahitur matrimonium, (*a*) ſic ſterilitatis cauſſa rumpitur atque diſſolvitur. Sterilitas primum invenit divortium, fœcunditas jura ſingularia ſibi quæſivit. Mulieri jus trium liberorum habenti filii inteſtato mortui hæreditatem detulit S. C. Tertyllianum. (2) Hinc illa in antiquo marmore gloriatur.

Meja fui fœlix, ſeptem circundata natis
Dum vixi aſtabat Romula turba mihi.
Ut mihi grata vicem natorum turba placebat,
Hoc mihi de pario marmore ſtruxit opus.
Manibus utque meis nati pia vota dedere.
Perſolvere meis manibus inferias.
Poſtquam nulla mei (ſuperis) vos cura fatigat.

Reliqua tempus edax abſumpſit. Ex tertio carmine puto, pro viginti vicem (3) dixiſſe antiquos ut decem a quo velut decennium ſic ſorte a vicem vicennium a tricem tricennium dictum eſt. Apud Mænandrum comicum quidam Pater Sponſum filiæ ſic affatur, *παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων σοὶ γὲ ονίγε τὴν ἐμαυτῦ θυγατέρα* id eſt ad ſeminandos liberos tibi unicam trado filiam. Apud Ennium in Creſphonte quædam Materſamilias ſic loquitur, *ille me duxit uxorem liberum ſibi quærendum gratia*. At quæ domeſticis curis vacaret haud minore exiſtimatione digna putabatur. Ob lanificium (4) celebratur Caja Tarquinii uxor. In vetuſtis lapidibus inter matronalia ornamenta & decora illud eſt præcipuum. *Domum*

(1) *Matronae decora.*
(2) *Foecunditatis laus.*
(3) *Viçem pro viginti.*
(4) *Lanificii bonos.*

(a) Uno quidem Fœdere maritali, rerumque una communione, ait Calm. ad Cap. 2. Geneſ. v. 24., Sponſus, & Sponſa, una utriuſque in alterutrius Corpus poteſtate, in unam, eandem carnem coaleſcunt Filiorum productione, ſciendumque circa hoc, inquit Nicol. de Lyra ad Cap. VII. Epiſt. I. ad Corinht. „ quod vis generativa ordinatur „ ad conſervationem ſpeciei per Filiorum generationem, ad quod Opus „ Mulier data eſt in Adjutorium Viro, „ propter quod prima neceſſitas inſtituendi Matrimonium fuit propter „ procreationem Prolis: „ Caeterum ad Conjugium, ſcilicet Matrimonium, *Conjuctionem* nempe *Maris & Feminae, in qua vitae conſuetudo individualis retinetur*, ſingula quae praecipue referuntnr, neque ignoranda, neque ſunt praetermittenda: „ Nuptiarum Bonum (habet Gloſſa ad mox relatum Cap. VII. Epiſt. I. ad Corinth. v. 2.) eſt Tripertitum, *Fides*, *Proles*, *Sacramentum*. *Fides* ne cum alio, vel cum „ alia coeatur. *Proles* ut religioſe educetur. *Sacramentum* ne Conjugium „ ſeparetur. His tribus Bonis excuſatur Coitus Carnalis, qui eſt inter „ Conjuges, ita ut vel non ſit Peccatum vel Veniale. Quando enim cauſ„ ſa Prolis conveniunt, excuſatur ut „ non ſit Peccatum. Quando vero cauſſa concupiſcentiae ſatiandae vel refrænandae, Veniale eſt.„

(b) *Quaerendi* profecto *liberi* ex Matrimonio, ea tamen ratione, ut ad Matrimonium caetera quae ſpectant haud vitientur. Lubet heic ad illa quae hac in re mox ſunt producta, Sancti Thomae Aquinatis. *In 4. Sentent. Diſtin. XXVII. Quaeſt. I. Art. I.* ſequens teſtimonium adjungere: „ Ad ſecundam „ quaeſtionem (*Utrum Conſenſus ſit cauſſa Matrimonii*) dicendum, quod „ in Matrimonio eſt tria conſiderare. Pri-

mum servavit, *lanam fecit*. (a) *Dixi*, *Abei*. Itaque arbitror non modo nuptiis, natalibus, & puerperiis: verum etiam bonis moribus laudatiores commendatioresque fieri Matresfamilias.

„ Primo *Essentiam* ipsius, quae est *Con-*
„ *junctio*, & secundum hoc nominatur
„ *Conjugium*. Secuodo *Caussam* ejus,
„ quae est *Desponsatio*, & secundum hoc
„ vocantur *Nuptiae* a *Nubere*, quia in
„ ipsa Solemnitate Desponsatioois; qua
„ Matrimooium perficitur capita nu-
„ bentium velantur. Tertio *Effectum*,
„ qui est *Proles*, & sic dicitur *Matri-*
„ *monium*, ut Augustinus dicit contra
„ Faustum ob boc quod Mulier non
„ debet ad aliud Nubere, nisi ut sit
„ Mater. Potest etiam dici *Matrimoni-*
„ *um*, quasi *Matris munium*, idest *Of-*
„ *ficium*, quia *Foeminis maxime incum-*
„ *bit Officium Educandae Prolis*. Vel
„ dicitur *Matrimonium*. *quasi Matrem*
„ *muniens*, quia *jam habet*, *quo defen-*
„ *datur*, *&* *muniatur*, *scilicet Virum*.
„ Vel dicitur *Matrimonium*, quasi *Ma-*
„ *teriae Unius*, quia *in eo fit Conjunctio*
„ *ad unam Prolem materialiter inducen-*
„ *dam*, nt dicatur Matrimonium a *Mo-*
„ *nos*, *&* *Materia*. Vel dicitur *Matri-*
„ *monium*, ut Isidor. dicit *a Matre*, &
„ *Nato*, quia per *Matrimonium efficitur*
„ *aliqua Mater Nati*.„

(a) *Mulierem fortem*, sive ut aliis placet, *Mulierem Virtutis*, *strenuam*, *Mulierem Opum* Divioi commendant libris *Proverb*. 31. v. 13., quae ad caeteras animi dotes, haud vulgarem quoque *Lanificii* peritiam adjungit; Audi *Lamuelem* (nec eum porro Regem Ezechiam, ut Scriptor quidam non imeruditus levi ductus conjectura hariolatur) itaqne audi Salomonem (nonnullis ex Rabbinis septem Nominum hominem, ex Sancto Hietonymo tribus tantum Nominibus insignem; octo habentem Nomina, ut advertit Pineda in Eccles. Cap. I. vers. I, Sect. V. a num. 29. ad totnm 31., nec non De Reb. Salomon. Libr. 1. Cap. 16. num. III. IV.) Salomonem, inquam, audi *Multinomium* propterea (quod Rabbini Patres, Interpretes docuere communiter) Salomonem *Lamuelis* nomine designatum, audi exponentem quae Bethsabeae Matris Oraculo didicorat (baud ergo heic Abi, vel Abia summi Sacerdotis Zarehariae Filia est intelligenda, cujus ad nos usque traducenda curaverit monita, ejus Filius Rex Ezechias) sive Divioo Spiritu afflata ex se Betbsabea propbetaverit, ut plerique sunt arbitrati, sive per Nathanum edocta, quod opinati suot alii, praecepta Filio custodienda mandarit; haud contemnendum hooestae, amplissimaeque Mulieris Praeconium per haec ferme verba prolato loco declarat: *Quaesivit lanam*, *&* *linum*; *&* *operata est consilio manuum suarum*: videlicet: *Manuum suarum ingenio*, *ac industria* egit praestaotissime, quod &, vertuot Hebraei: *fecit in voluntate manuum suarum*, more nimirum periti Artificis, qui linum, & lanam texendi artem optime callet, *quidquid voluit*, *fecit ex manibus suis* ea quidem ratiooe, ut Telas, generisque cujuslibet Panoos non emerit pecunia, verum sibi talia paraverit, qualia pro libito voluerit; Antiquum illud equidem, clarum, & laudabile Foeminae probae Institutum haud obscure Bethsabea allati mox Cap. vers. 19. ita prosequitur: *Manum suam misit ad fortia*, *&* *digiti ejus apprebenderunt fusum*: nam quae diligenter, ac impigre mulier *manum suam misit* (ut ex Hebraei vocabuli fide Rabbinorum nonnulli, Vatabl., Pagnin., aliique loquuntur) *ad Colum*, *ad vertibulum in rectitudine*, *ad vertebram*, ex vulgata nostra versionee sanius, meliusque *manum suam misit ad fortia*, quod Graecae vocis ex sensu ducunt quoque Symmach; Aquila, & Tbeodot., postremoque juxta Lectionem Septuagiota: *Brachia sua extendit ad utilia*; operosa, inquam, & sedula baec Mulier, rite, propriequ e *manum suam misit ad fortia*, illa plaoe de caussa, qua in quod *est rectum*, quod *aptum*,

quod

Solemnia verba militaris Auctoramenti, atque ejus quo se locarent Arenae. Seneca emendatus atque illustratus.

CAPUT VIII.

ANnæus Seneca Epistolar. 37. ad Lucillium sic ait: *Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, promisisti Virum bonum, sacramento ligatus es.*

---

quod *conveniens est* opus totis artubus incubuerit. Tametsi vero *mittens ad Fortia manum suam*, industriis operibus, muliebriqua praesertim Virtuti consentaneis, hujusmodi Muliar supra caeteras omnea enituisse intelligatur, in Opere tamen *Lanificii*, & *Linificii* se gessisse praeclarius est accipienda, quo *industria* potissimum, aut Mulieris *fortitudo* commendantur; In hoc anim, ait heic Calm. „ ponit Mulier „ proba strenuitatem, gloriamque ut „ graviter laborando, praestandisque „ Operibus Familiae utilibus, ac se„ xui, & conditioni aptis se se ex„ cerceat „ quam sane ad artem a natura ficta, & comparata est prudentissima Mulier, & quodcumque aliud illa valat agere „ eximium licet, ac „ magnum, at extra conditionis suae „ fines, nihil omnino est, si cum iis „ conferatur quae agit in optima rei „ domesticae administratione „. Id autem data veluti Opera Divino propositum est eloquio ut accomoda nonnunquam ad universarum Gentium Institutiones, & consuetudines, Immortalis Rerum, & Legum Auctor Deus Opt. Max., quae justa sunt, ac aequa supremo propemodum consilio pensare, ac probare videatur. Apposite foemineum ad *lanificium* sunt recolenda, quae olim penes Hebraeos invaluisse Sacri plerumque Libri meminerunt; Praecipue Tobiae Cap. 2. vers. 19. *Anna* legitur *Uxor ejus* inlustris, & Sanctissima Foemina, quae *ibat ad Opus Textrinum quotidie*, idest (quod fert Hebraeus apud Calm.) *Textrinam excercebat*, docta (quod alii exposuerunt) *vela cortinas & alia hujusmodi muliebria* conficare; nec una tantum Uxor Tobiae, quaa (juxta quod habent Septuaginta) *serviebat in Gynaeceis*, *muliebris hujus Operis* clara est testimonio, videre illud est luculenter expressum in adducto Proverb. Cap. XXXI. a vers. 13. ad extremum Cap. vers. 31., quo in loco „ se offert Bethsabea Davidis Regis „ Uxor, quaa totam sa, & serio cu„ ris Domesticis tradit, quaeque vel „ per se, vel per alios, se dirigente „ fieri curat Pannos in usum Fami„ liae „ quo & in artificio summa cum lauda versatur Materfamilias, & Moribus, & solertia plurimum celebrata cujus (eodem in Capite) multiforme *Lanificii* genus recensetur, & praedicatur, ac demum *Forti de Muliere* per Lamuelem dicitur: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis Opera ejus.* „ Fruatur „ (subjungic heic Calm.) laborum „ suorum mercede, & diuturnam Fa„ miliae suae prosperitatem, rerum„ que copiam spectet. Gesta ejus pa„ lam ubiqua noscantur, & praedice„ tur in Conventu Populi, quantum „ illi debeac Maritus, quantum Filii, „ & Familia Universa, *Laudent eam* „ *in Portis Opera ejus*, idest sola nar„ ratio Oparum illius ad Laudem suf„ ficiet; vel tacentibus nobis illam „ sane praedicant Opera; haec loqui „ sinamus nosque attenti auscultemus. „ Aliter, *Date ei de fructu manuum* „ *suarum*. Meritis laudibus illius gesta „ commandate: aequum est anim, ut „ modicam hanc mercedem e tot egre„ gie gestis referat „ & additur post non multa. „ Talis est *Mulier Fortis* „ Salomonis: non vulgaris Mulier, non „ infimae conditionis, cujus Maritus „ inter primos sedet cum Principibus, „ & Senatoribus: domesticis vacare illam

ex . Deridebit si quis tibi dixerit mollem esse militem & facilem . Nolo te accipi, eadem

„ lam curis non jubet necessitas : Do-
„ mum habet refertissimam Opibus;
„ frequentem Servis, & Ancillis. Nec
„ turpis avaritiae caussa laborem suum,
„ & domesticorum ad quaestum con-
„ fert : magnificentiam explicat in ve-
„ stibus, quibus ipsa , & Maritus in-
„ duitur, in Supellectili domus, in le-
„ ctis, domo denique universa. Pieta-
„ tem, Timorem , Dei , Sapientiam,
„ proprias illius laudes merito appella-
„ veris, Vigilans est, agendi studiosa,
„ laboriosa, domi se continens, regen-
„ dis domesticis , & Liberis educandis
„ occupata. Vestium superbiam temnit,
„ vanasque occupationes ; mitia erga
„ suos , liberalis in pauperes , & pro-
„ pria Sexus sui Opera gerens. *Manum*
„ *suam misit ad fortia, & digiti ejus ap-*
„ *prehenderunt fusum* . Frustra in illa
„ quaeras ludos, vana oblectamenta,
„ crapulam, otium, inutiles salutatio-
„ nes , lites , obtrectationes , & alia
„ hujus generis, quibus ferio occupan-
„ tur nostrae aetatis Foeminae ; quae
„ necessitate comparandi sibi victum
„ careant. „ Ne quis tamen emunctae
plusquam Opus est, Naris, vel hoc pro supervacaneo & inutili habeat, vel fusius quam par est explanatum, graviter ne reprehendat , opportuna quippe ac idonea res est visa, Matronale decus ex Divinae primo, ac nitido lumine haurire Sapientiae. Magis inde conspicuum, & nobile *Lanificium*, quod neque sibi duxerunt illiberale Hebreae Matronae non solum, ac Reginae, verum & Graecorum quaelibet Foeminae Principes. Homerum consulenti Dea Calypso praesto est Operi Lanifico intenta Odyss. E. Vers. 62.

Ἱςὸν ἐποιχομένη, χρυσείῃ κερκίδ᾽ ὕφαινεν.

Vertitque Spondamus.

„ Telam percurrens , aureo radio texebat „

Ac immutatione paulisper facta in numeros contrahitur

„ Percurrens telam, aurato contexere
" visa
„ Est radio.

quin & Regina Penelope , Uxor Ulyssis , apud Ovid. in Epist. Heroid. in diuturna Conjugis exspectatione ad molestiae, longiorisque morae solatium Lanificium se adhibere testatur Epist. 1. v. 9.

Nec mihi quaerenti spatiosam fallere Noctem,

Lassaret viduas pendula Tela manus,

neque despiciendam esse Sororum Operam Regiam suam Vestem Alexander Magnus Matri Darii Regia Curt. Libr. V. omni asseveratione sic affirmat. *Mater*, hanc *Vestem*, *qua indutus sum*, *Sororum non solum donum* , *sed etiam Opus vides* . Habe praeterea quo in pretio *Lanificium* Romanis fuerit ex Alex. ab Alex. Genial. Dier. Libr. 4. Cap. 8 scribente : „ Quo enim tempore inter
„ Romanos , & Sabinos foedus ictum
„ est , cum Romulo , & Tatio conve-
„ nit , ut Sabinae ab omni Opere , prae-
„ ter quam *Lanificio* immunes forent,
„ scribitque Varro *Lanam* cum *colo*, &
„ *fuso* Tanaquilis, & Sandalia in Tem-
„ plo Anci Martii ad sua tempora du-
„ rasse incolumem , factamque ab eo
„ Togam Regiam virgulatam (undula-
tam ex aliis) qua Servius Tullus
„ usus fuit „ nec non D. Octav. Aug. (quod refert Sueton. in ejus Vit. Cap. 73.) *Veste non temere alia quam domestica usus est* , quo in loco habet Philipp. Beroald. „ M. Cato Censorius in
„ Libro qui inscriptus est, *Carmen De*
„ *Moribus* : versari, inquit, in foro ho-
„ neste mos erat, domi quod satis erat.
„ Est itaque domestica vestis quam do-
„ mi induimus , exuta forensi Toga,
„ Ea fere semper utebatur Augustus
„ confecta manibus suarum Foemina-
„ rum. „ Caeterum ibidem ait Isaac. Casaub. „ Frustra est Vir doctus , cui
„ mirum adeo videtur Vestes Forenses
„ a Foeminis fuisse contextas . Non
„ meminerat tot veterum Testimonio-
„ rum , quibus hoc de facili probari
„ potest. Mitto Alexandri exemplum
„ qui apud Curt. Libr. v. vestem, qua
„ indutus erat *Sororum non donum solum,*

eadem honestissimi hujus & illius turpissimi Auctoramenti (a) *verba sunt*, *uri*, *vinciri* • *fer-*

„ *rum*, *sed etiam Opus esse* serio affir„ mat. Apud *Statium IV. Sylv.* optat „ Roma Imperatori Domitiano.

Da gaudia Fastis
Continua: hos humeros multo sinus ambiat Ostro,
Et properata tuae manibus Praetexta Minervae.

„ Ecce optat ut quotannis fiat Consul, „ & semper Consulari Praetexta mani„ bus Uxoris confecta decoretur. Ex „ hoc more interpretandum, quod re„ fert *Tacitus Libr.* 2. *Annal.* 14, Ger„ manicum *per quietem vidisse se operatum*, *& sanguine Sacro respersa Praetexta*, *pulchriorem aliam manibus Aviae Augustae accepisse*. Non enim sine re „ hoc somniavit, sed caussam habuit „ eo quod Augustus, & Filii tam ip„ sius, quam Liviae Togas, Praete„ xtas, & id genus Vestes Forenses „ confectas Liviae, Octaviae, & Ju„ liarum manibus gestare essent soliti.„ Iis tamen missis, quae vocari possunt in controversiam pro comperto illud est habendum, quod in ejusdem D. Octav. Vit. Cap. LXIV. Sueton. ipse sic praemisit: *Filiam & Neptes ita instituit* (Augustus) *ut etiam* Lanificio *assuefaceret*. ad quae pariter Casaub. „ Egregium & „ in primis laudabile Graecorum, & „ Romanorum Institutum: cujus testes „ tot ferme sunt, quot Scriptores in „ utraque lingua„ & paullo infra„ Hanc „ porro Augusti disciplinam domesticam „ Carolus Magnus Princeps aeterna „ memoria dignus, imitatus est; nisi „ Suetonium *Eginhardus* nimis imitatur. „ Sic ille: *Filias Lanificio assuescere*, *Coloque ac Fuso*, *ne per otium torperent*, *Operam impendere*, *atque ad omnem honestatem erudiri jussit*. Attamen penitiora ad hunc locum, idem qui mox, Beroald. per haec ferme verba ita depromsit. „ Apud Romanos nuptiali voce „ in Talasio: quod signum fuisse Lani„ ficii, Varro, & Festus Pompejus pro„ diderunt. Talasionem enim vocabant „ *Quasillum*: qui alio modo appellatur „ *Calathus*: quod genus vasculi est uti„ que Lanificiis accomodatum: &, ut „ inquit Plutarchus in Romulo, haec „ vox exhortatio erat, & provocatio „ ad Lanificium, quod Graeci Ταλασίαν „ dicunt, namque Mulieres nulla alia „ in re Viris Operam suam navabant, „ quam in his, quae ad Lanificium „ pertinerent. Unde institutum est, ut „ nubentes Virgines comitaretur Colus „ compta & Fusus cum stamine. Non „ me praeterit Historiam de *Talasio* vul„ gatissimam aliter narrari ab Histori„ cis, sed haec omittenda non sunt, „ quae ex litteris interioribus deprom„ ta magis juvant studiosos, „ Mittantur alia, quae fusius elegantiusque de *Lanificio* expedit Andr. Tiraquel. L. 10. Connub. a num. 40.; ac deinceps; illud attamen haud est silentio praetereundum, quod Alex. ab Alex. de Aegyptiis, & Persis a caeterarum Gentium more alienis refert adducto sup. loc. sub finem Cap., nimirum apud primos, *Viris domi pensa curare*, *Foeminis vero in foro vacare usus erat*. *Apud Persas autem Matronas lanae admovere manus*, *aut Calathum*, *& pensa tractare probro*, *& turpitudini dabatur*. Ac demum et laudabilis moris auctoritas gravissimo, sanctissimoque documento firmetur, Virginem Demetriadem instituens audiatur Hieronymus: *Habeto lanam semper in manibus*, *vel staminis pollice fila deducito*, *vel ad torquenda subtegmina in alveolis Fusi vertantur*. Eademque fere ratione monet alibi Laetam ut Filiam imbuat: *Discat & lanam facere*, *tenere colum*, *ponere in gremio Calathum*, *rotare Fusum*, *stamina pollice ducere*. Exercendum itaque per Mulieres *Lanificium*, cujus perpetuae commendationis est argumento prae caeteris ex V. C. Harduin. in Plin. Libr. 8. num. 74. Filiae Ottonis M. Imper. Sepulcro, ut Ditmarus docet Libr. 2. Fusum appensum.

(a) „ Gladiatorii (addit heic Lipsius) „ quo in verba Editoris, aut Lanistae „ jurabant„ Id equidem ii praestabant Gladiatores prae aliis, qui se ultro li- *ben-*

ferroque necari. Virum (*a*) bonum (1) Latini dixere sicut Græci ἀγαθὸν virum scilicet strenuum & Martium: Hinc Hiero a Senatu vir bonus sociusque egregius appellatus est. Titus Livius *ab Senatu* (inquit) *ita regi, virum bonum egregiumque socium Hieronem esse atquo uno tenore &c.* Itaque promittere Virum bonum (2) ex solennibus sacramenti militaris verbis tractum est. At vero de militari sacramento hæc legi. (3) Opes Deorum in aciem ferebantur ac velut initiabantur milites, dictumque Imperatoris proponebatur quo juniorum qui non convenissent & eorum qui injussi abiissent capita devovebantur. Livius 10. *& Opes Deorum etiam adhibuerant ritu quodam Sacramenti vetusto, velut initiatis militibus delectu per omne Samnium habito nova lege ut qui juniorum non convenisset ad Imperatorium edictum quique injussus abiisset caput Jovi sacratum esset*. An non horrenda est illa Sacramenti religio, qua suos vincit obligatque milites L. Papyrus Cursor paullo post apud eundem. (4) *Sacrificio perfecto per viatorem Imperator acciri jubebat nobilissimum quemque genere factisque. Singuli introducebantur. Erat cum alius apparatus sacri qui profundere animum religione posset: Tum in loco circa omni contecto, Aræ in medio, victimæque circa cæsæ, & circumstantes Centuriones strictis gladiis. Admovebatur altaribus, miles magis ut victima quam ut sacri particeps, adigebaturque jurejurando quæ visa auditaque in eo loco essent, non enuntiaturum. Dein jurare cogebatur diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque composito ui isset in prælium quo Imperatores duxissent, Et si hi aut ipse ex acie fugissent aut si quem fugientem vidisset non extemplo occideret*.

Prætermitto jurisjurandi formulam (5) quam ex Cincio Gellius retulit noct. Atti. lib. 16. cap. 4. Et Joannes Salisb. ex Jul. Frontino & Vegetio cap. 7. lib. 6. Hinc forte posteriorum temporum mos ille fluxit quo milites juramentum concepturi admovebant suis cervicibus gladios. De quo Ammianus Marcellinus lib. 21, *Jussique universi in ejus jurare nomen solemniter, gladiis cervicib. suis admotis sub execrationib. diris verbis juravere conceptis.* Quem morem etiam hodie Tartari retinuere: (6) quos ex Annalib. Sarmatarum & ejus qui Abbatis Vsperg. Chronicis Paralipomena adjecit didiei solitos esse super Frameas jurare, aquam qua eorum gladii Frameæque eluuntur epotare, & jusjurandum militare his verbis concipere. *Quicunque pacta, ligam & fraternitatem violaverit, aut contra eam violandam insurrexerit vel aliud quippiam intentaverit a frameis incidendus occidendusque*

(1) Vir bonus.
(2) Promittere Virum bonum.
(3) Solennia Sacramenti Militaris.
(4) *Mira Sacramenti Religio.*
(5) *Mos veterum in Sacramentis admoventium gladios Cervicibus.*
(6) *Solennia verba Tartarorum in jurejurando Militari.*

bentes Arenae addixissent; Duplex enim Gladiatorum fuisse genus Auctor est idem Lipſ. Saturn. 2. 5. alii nempe *Coacti*, alii *Voluntarii* „ *Coacti*, Servi, Da„ mnati, Captivi, *Voluntarii*, Liberi, „ quique pretio se addicebant. Hi po„ stremi proprie *Auctoroti* dicti. Vetus „ Horatii Interpres: „ *Auctorati vocantur, qui se vendunt ludo. Auctoratio enim dicitur venditio Gladiatorum*. Juramenti vero facta videtur expresse mentio per verba Senecae Epist. jam adducta. *Ab illis, qui manus Arenae locant, & edunt, ac bibunt, quae per sanguinem reddunt, cavetur, ut ista, vel inviti patiantur: a te ut volens, libensque* „ Allusit Tibullus „

„ Ure meum potius flamma Caput, &
„ pete ferro
„ Corpus, & intorto Verbere Terga
seca.

Lipsius huc usque:

(a) Audi Nonium: „ Bonus, & „ fortis, & pius dici potest. Lucillius „ libr. XXX. Calvus Palatino quidam „ Vir nobilis bonus bello. Virgil. in „ Georg. Libr. 2.

——————— Et bona bello
Cornus....

pereat, & tanquam aqua defluat atque evanescat. Hoc sane barbaricum, nescio quid olet, nec mirum, cum hodie nulla gens sit quæ cum ipsa barbarie ac crudelitate certare possit. Sic Tert. in Apologetico refert quasdam nationes sanguinem humanum in fœdere hausisse. *De sanguinis pabulo*, (inquit) *& ejusmodi tragicis ferculis legite, nec ubi relatum sit, diffusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum, nationes quasdam fœderi comparasse, nescio quid & sub Catilina degustatum est*, (*a*)

At turpissimi illius auctoramenti, quo se perditi & conclamati homunciones ad arenam locarent, verba mendosa sunt hoc loco. (1) *Lego enim uri virgis, ferroque necari, non vinciri;* (*b*) hæc enim sunt solemnia & concepta verba, Horatius Flaccus,

> *Quid refert uri virgis ferroque necari,*
> *Auctoratus eas.* (*c*)

Id

(1) *Auctoramenti cautiones sive Solemnia vi juramenti.*

(a) „ Haud aliter Minutius (subdit heic Jacob. Pamelius) *ipsum credo nempe Saturnum docuisse, sanguinis foedere conjurare Catilinam*. De quo sic Sallustius: Fuere ea tempestate qui dicerent, „ Catilinam Oratione habita cum ad „ jusjurandum Populares sceleris sui „ adigeret, humani Corporis sanguinem „ Vino permistum in Pateris circumtulisse, inde, cum post execrationem „ omnes degustassent, aperuisse consilium suum, atque eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent, „ alius alii tanti facinoris conscii „ additque ibid. Joh: Ludov. De la Cerda praeter Flor. Libr. 4. Cap. 1. Catilinae scelus exponentem, & Sidon. Epist. I. Libr. 2. ita scribentem: „ „ Rediit ipse Catilina nuper Aturribus, ut sanguinem fortunasque miserorum, quas ille ibi ex ponte propinaverat, heic ex asse misceret. „

(b) Eandem vel sibi difficultatem esse subortam, loc. Saturn. mox producto Lips. in hunc ferme modum testatur: „ Sed in Senecae loco *vinciri* verbum suspectum habet: & fortasse „ *Virgaris*. In tria enim jurabant, *Ustionem*, *Verbera*, *Necem*, cum cecidissent, & ferrum juberentur recipere: Flammam, & *Verbera*, siquando timidius pugnarent, aut fugerent „ a ferro „ & post relata verba Acronis in Horatium adducta etiam heic a Casel. nostr. prosequitur. „ Sen. Epist. „ VII. exprimens saevientis Populi voces: *Occide, ure, verbera. Quare tam timide incurrit in ferrum? Quare parum audacter occidit? Quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obviis pectoribus excipiunt*. „ Ubi rideatis licet notam „ orae appositam *Plagis, idest retibus*. „ Imo verberibus, o stupor, & tu iis „ dignus. Quintiliani verba huic rei „ in Gladiatore: „ *Fremebant ubique omnia apparatu mortis. Hic ferrum acuebat, ille accendebat ignibus laminas: hinc Virgae inde flagella adferebantur*. Reliqua legas ibid. usque ad finem Cap. Lipsii prolato.

(c) Neque diversus est a Durant. Nostr. Turneb. ad hunc Horat. loc., neque sensu dissimili Lambin. ibid. „ „ *Auctoratus*, ait, obnoxius, obligatus „ nempe mercede accepta. *Auctorati* „ dicuntur Milites, posteaquam jurarunt in verba Imperatoris, *Exauctorati* ubi Militiae Sacramento sunt „ liberati, sed proprie dicuntur *Auctorati* gladiatores, qui mercedem „ acceperunt, ut depugnent in ludo, „ & ut urantur flammis, Virgis secentur, ferro necentur, haec enim „ lex fuit gladiatoria, ut notat Acro „ C. Asinius Pollio lib. 10. Epistol. „ *ob Fadium quendam Militem Pompejanum. quia, cum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctorari sese nolebat, & ad Populum confugerat, primum Gallos Equites immisit*, &c. „ *Merces ipsa* (inquir M. Tull. Offic. 1.) „ *in Mercenariis auctoramentum est servitutis*. „

Id probat Hellenii Acronis Commentarius in hunc locum. *Nam gladiatores* (inquit) *ita se vendunt & cautiones faciunt, uri flammis, virgis secari, ferroque necari*. (1) Porphyrio jus esse dicit in gladiatorem constitutum. Petronius quoque Arbiter sic ait. *Itaque ut duraret inter omnes tacitum mendacium, in verba Eumolpi sacramentum juravimus uri virgis ferroque necari & quicquid aliud Eumolpus jussisset, tanquam legitimi gladiatores domino corpora vitasque religiosissime addicimus*. Auctorati (2) vero erant qui se vendebant ludo, auctoratio dicebatur venditio gladiatorum. Vetus Glossarium, auctoratus αὐταίρετος εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, & Μονόμαχος. De his elegantissime disputat Tertull. 2. lib. ad Martyres. *Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? Certe ad feras ipsas affectatione descendunt & de morsib. & cicatricibus sibi formosiores videntur. Jam & ad ignes se quidam auctoraverunt, ut certum spatium sub Tunica ardente conficerent. Alii inter Venatorum taureas patientissimis scapulis inambulaverunt*. Taureas (a) (3) interpretor, flagella ex Taurino corio, sicut Bucceas ex Bovillo apud Plautum. Cyprianus quoque Septimi Tertulliani magistri, ut vocabat sui, æmulator optimus, & pene idem, hos sic perstringit lib. Epist. 2. *quid illud oro te quale est? ubi se feris objiciunt, quos nemo damnat? ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa viventes in ultroneum funus armantur. Malis suis miseri gloriantur; pugnant ad bestias non crimine, sed furore*.

Quid sit apud Ammianum Marcellinum impetrabilis efficacia addita quadam de verbi significatione impetrare, ac patrare.

CAPUT IX.

Cum legerem Ammiani Marcellini historias, easque non raptim, nec velitatim, sed more meo accurate ac diligenter, ut multis in locis hærerem, fecit ignorantia significationis verbi impetrare. Quod ne cui contingat, hoc Caput illi sacrum erit. Ille auctor cum de Nicatore Seleuco loqueretur, illum efficaciæ impetrabilis (*b*) Regem dixit cum de Scipione Æmiliano illius impe-

pe-

(1) *Tetigit hoc Lipsius in Saturnalibus ut postea vidi.*

(2) *Auctorati qui..*

(3) *Tanneæ.*

(a) *Taureae* quid praestarent ad hunc Tertull. locum sic explicat De la Cerda: „ Illis ergo *Taureis* solebant Ferae „ agitari in Venatione & homines amen„ tissimi volebant esse loco Ferarum, „ & nudis scapulis excipiebant ictus in „ ludo Venationis. Itaque *Venatores* hic „ erant Servi Arenarii, qui bestiarios „ fugientes caederent. Salvian. libr. 8. „ ad finem: *Nec solum hoc, sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus videntium sibilis quasi* Taureis *caedebatur*. Athanas. in Epist. ad Solit. Vitam agentes, de Arrianis „ Eutychum Subdiaconum Alexandriae „ infestantibus: Καὶ Πολιτεύσαντες εἰς τὰ νῶτα ταυρέαις ἴσα θανάτῳ κατακοπῆναι: *quem primum* Tauriis *usque ad mortem curarunt verberari*. Vita Pontii Martyris 14. Maij: *Statim egressi sunt duo Venatores cum* Tauriis & Nervis *secundum consuetudinem*. Glossae: *Taureae Plagae, Nervi*. Juvenal. Sat. VI.

——————— *Taurea punit*
Continuo flexi crimen facinusque Capilli.

Plura missa heic fiunt ibid. apud memoratum. De la Cerda fusius obvia perquirenti.

(b) Seleucus *Nicator* interdum, *Nicanor* vocatus nonnunquam ex multitudine, frequentiaque Victoriarum: Quem itaque antea dixerat Ammian. Marcellin. Libr. XIV. *Nicanorem Seleucum, efficaciae impetrabilis Regem*, cognomenti tantum indicio, nominavit postea *Seleu-*

leu-

petrabili vigilantia obstinatas in perniciem Romæ duas potentissimas Africæ urbes (*a*) excisas esse dicit, lib. 17. Alias inquit nihil impetrato intra mœnia, alias impetrabiles virtutes dixit. Equidem quid esset vocabulum illud (1) dubitabam, deque lectionis ingenuitate dubius eram animi. Quia nullum Auctorem eo modo locutum esse non ignorabam. Plauto hujus verbi significationem acceptam fero. Impetrabile eo quod ad exitum perducit. Impetrare, ad exitum perducere sive consummare est. Plautus in Pœnulo.

Incipere multo est quam impetrare facilius.

Impetrare ac perpetrare ab antiquo verbo Patro, derivata sunt. Patrare (2) est consummare: Itaque patratio rei veneriæ consummatio dicta est Hinc Patres quod patratione peracta filios procreassent, Isidorus in glossis. *Pater* (3) (*inquit*) *dictus est quod Patratione peracta filium procreet*: Lucretius.

(*Et bene parta patrum*,)

Cornutus in huna Persii locum.

Patranti fractus ocello.

Patranti (*inquit*) *id est consummanti & Patres dicti eo quod patratione peracta filios procreant. Unde Juvenalis.*

Oculosque in fine patrantes.

Sic enim legendum puto non ut vulgo trementes, patrare verbum obscœnum (*b*) est in veteri glossario patrat ματαῖται, καταχφάτως, ὡς εἴτ' αἰσχρῶς.

Quas solemnitates in servorum venditionibus fieri observaverim, & de quonam Ædilium edicti loco quæ sit mea conjectura.

CAPUT X.

Ex veterum memoriis accepi, Romanos mancipiorum, quæ venum daturi essent conditionem vel sanitatem tituli inscriptione, pilei coronæve impositione, eretæ signaculo ac ipso corporis motu solitos indicare. Titulos Servi

(1) Impetrare *quid*.
(2) Patrare.
(3) *Unde Patris nomen fluxit*.

leucum Nicatorem Libr. XVII. Magni *Alexandri Successorem*, *cui factum a crebritate vincendi cognomentum*; a quo, si verae constantique hominum memoriae adhibenda sit fides, post annum ab Alexandri Magni obitu Regno suscepto Ann. Mund. 3682. Seleucidarum Familiae, ac Dominationi factum magna cum gloria est initium.

(c) Nimirum ex Livii, Vell. Paterculi, ac Val. Maximi, testimonio *Numantia*, & *Carthago*.

(d) Mala quandoque consuetudine in obscoenum intellectum honestus candidusque sermo detorquetur; probe videlicet, ac recte usurpaverunt Prisci Verbum *Patrare*, ea non tantum significatione, qua *Patrare* idem est ac *Liberis Operam* dare, verum ex vi verbi *Patrare* intellexere *Perficere*, seu *quidpiam incoeptum ad finem* usque perducere: adducitur hoc sensu Sallust. in Catil. *Sperabat propediem magnas copias se se habiturum*, *si Romae Socii incoepta patravissent*, similiterque loquitur Cicer. in Verrina I. *Putasne posse*, *quae C. Verres in Quaestura*, *quae in legatione*, *quae in Praetura*, *quae Romae*, *quae in Italia*, *quae in Achaja*, *Asia*, *Pamphiliaque patrarat*, *ea quemadmodum locis*, *temporibusque divisa sint*, *sic criminibus*, *& Oratione distinguere*? His itaque aliisque compluribus exemplis, quae passim copioseque suppetunt in Scriptoribus latinis, sin impudentius, liberius saltem Verbum Patrare, quod uberius est, sensuque multiplici *rem perficere* demonstrat, in unicam tantum Filiorum Procreationem converti, vitanda sane culpa, videtur.

vi (1) omnes gestabant qui venum ibant, in quibus quid morbi vitiique cuique esset, quæ conditio inscribebatur. Apud Aulum Gellium ex Ædilium edicto, hæc verba reperiuntur: (2)

Titulus servorum singulorum, ut scriptus fiet curato: Ita ut intelligi recte possit; Quid morbi vitiique cuique fiet: Quis fugitivus, Errove fiet, noxave solutus non fiet.

Ulpianus l. 1. ff. de ædil. Edict. aliter Ædilium verba refert, cujus requiro fidem vel ipsius qui detruncatis veterum illorum libris, Pandectas compilavit. Sic ergo scripsit Ulpianus. *Qui mancipia venduut, certiores faciunt emptores quid morbi vitiique cuique fiet &c.* (3) Ausim per Genium meum jurare sive ut antiqui per Jovem lapidem, Gellium rectissime Ædilium verba proposuisse, Ulpianum sive Tribonianum immutasse. Venit in mentem hujus immutationis caussa. Scribendorum forsitan Titulorum mos iste obsoleverat, ac in ejus locum successerat, ut venditores eorum certiores facerent emptores, quæ in mancipiorum venditionibus declarari Ædiles jusserunt, id est quid morbi vitiique &c. Itaque visum est ei, quicunque Ædilium edictum sic proposuit, negotium istud, & tempori accomodare suo. Penes Ædiles cura rerum omnium Venalium erat, & penes eos cognitio, quod nullus adhuc observavit. Id ego alias fusius. Ars servi ejus titulo inscribebatur, & id Titulus sive Inscriptio dicebatur. Plinius in Epistolis: *Est (inquit) home probus officiosus litteratus, & ars quidem ejus & quasi Inscriptio comœdus in qua plurimum facit.* Veretur Plinius Inscriptionem (4) dicere, quia de liberto suo loquebatur. Porro ut titulo vel voce ipsa venditoris, Mancipii status declarabatur, ita qui Pileati (*a*) Servi venales essent, pileo (5) ipso denotabant horum nomine venditorem nihil præstare. Rationem hujus moris ex Cœlio Sabino Juris auctore vetustissimo didici quem Gellius ait hano ejus rei dedisse caussam. *Quod, inquit, ejusmodi conditionis mancipia insignia esse iu vendnndo deberent, ut emptores errare & capi non possent: neque lex vendendi operiunda esset, sed oculis jam perciperent quodnam esset mancipiorum genus.* Deinde subjicit has Sabini reliquias, *Sicuti antiquitus Mancipia jure belli capta coronis indnta venibant, & idcirco dicebantur sub corouis venire,* (6) *namque ut ea corona signum erat captivorum Venalium, ita Pileus impositus demoustrabat ejusmodi servos venumdari quorum nomine emptori venditor nihil præstaret.* Præterea Transmarinorum Mancipiorum pedes creta (7) notabantur, Plinius: *Est & vilissima creta,* inquit, *qua circum producere ad victoriæ notam, pedesque Transmarinorum ad-*

(1) *Tituli in Servis venalibus.*
(2) *Verba Aedilicii Edicti.*
(3) *Detecta immutatio eorum qui Pandectas condiderunt.*
(4) *Inscriptio quid.*
(5) *Pileus in Venalibus.*
(6) *Sub Corouis venire.*
(7) *Cretati pedes.*

(a) Huc loci neque praetermittendnm aliud Servorum genus, qui & *Pileati* vocabantur; Servi nimirum illi, qui funus Domini antecedebant, eosque vel ob hoc ipsum libertate donatos scribit Justinian. L. *Unic.* §. *Sed & qui &* seq. C. *de Latin. libert. tollen.* Mentio vero ubi fit Pilei adnotandum est cum Turneb. Adverf. libr. 8. Cap. 4. olim Romanos vel nudo Capite processisse, vel caput veste solum velasse, Saturnaliorum si demas dies, per quos Pileum gerebant, exinde Martialis Epigram. XI. VII.

Permitti puto *Pileata* Roma.
eaque de caussa nullae penes Veteres Statuae Romanorum visuntur Pileum gestare, cujus quidem consuetudinis rationem Eustath. Libr. I. Odyss. a priscis Graecis Latinos fortasse hausisse arbitratur, quum Homerus nec *Pilei*, neque *Causiae* ullo prorsus modo testimonium inducat, heroicoque saeculo ejusmodi Capitis Operimenta videantur hominibus penitus insitata.

vectorum Venalium denotare instituerunt majores. Hæc quoque verba de Claudii libertis, quorum pedes cretatos vocant, ponuntur, *ut pratoria quoque ornamenta decerni a Senatu, jubente Agrippina, Claudii viderimus libertis, tantumque non cum laureatis fascibus remitti illo, unde creatis pedibus advenissent*. Sic a quibusdam accipiuntur hi Propertii versus, Quos doctissimus & mihi charissimus Vir Josephus Scaliger, decus & ornamentum hujus seculi docte ac enucleate explicavit.

At quorum titulus per barbara colla pependit
Cœlati medio cum saliere foro:

Putavi aliquando legendum cretati, (a) id viderint docti. Porro a collo pendebat titulus, ut Seneca in controversiis *nomen suum pependit in fronte*. Et quod idem eruditissime docuit, præcone Venales (1) prædicante saltare ac currere insliti erant servi, credo ut sanitate ac celeritate corporis valetudinem significarent, & sic emptores allicerent.

Verbum munitare Apulejo & Aulo Gellio restitutum: quid sit apud eundem scrutariam facere.

CAPUT XI.

QUod Græci de Platone ac Xenophonte usurpavere, non alia scilicet quam eorum lingua usurum Jovem, vel Musas si Græce loqui vellent: id ego apud Latinos Plautum atque Apulejum sibi vindicare dico, & sane qui dixit Apulej Asinum rudere, is nescivit unquam quid esset latine loqui. Apulejus igitur Metamorphoseos lib. 4. sic loquitur. *Ego vero quanquam alias hordeum tunsum minutatim, & diutina refectione virulentum &c.* Illic sane duplex mendum radices egit, quod nos restituta veteri lectione sic extirpamus. *Ego vero quanquam hordeum tunsum minutaverim & diutina refectione jurulentum &c.* Codices quidam retinuere munitatim. jurulentum se deportasse, & in ejus locum virulentum suffecisse gloriatur Philippus Beroaldus. (2) Ego contra legendum statuo jurulentum (3) quod Interpretor madidum; Sic enim hordeum jumentis dabatur.

(1) *Venales saltabant & currebant.*
(2) *Error Beroaldi.*
(3) *Jurulentum quid.*

(a) Servorum pedes creta signati, haud semper *Cretati* sunt dicti: In hanc profecto sententiam *Albos* pedes nominavit Juvenal. Sat. 1.

Nuper in hanc Urbem *Pedibus* qui venerat *Albis*.

Gypsatos pedes vocavit Ovid. *in Amoribus*.

Nec tu, siquis erit Capitis mercede redemptus,
Despice *Gypsati* nomen inane *Pedis*.

Cretatos vero ut plurimum Veteres Mancipiorum pedes appellaverunt, hoc servato vel inter Mancipia discrimine, ut Heri Sigillo Mancipiorum pedes signarentur, si privati hominis essent, ad Rempublicam vero si pertinerent, Sigillo publico: *Coelatos* ea de caussa servos pronuntiasse Propertium ad hunc Plin. loc. sentit V.C. Jac. Dalecampius, quin & Cretatis Pedibus Plinius homines venales intelligit, qui a summis divitiis ad extremam redacti forent rerum inopiam, neque ii porro Transmarini sunt Servi. De Claudii autem Libertis, queis *jubente Agrippina* (quod scripsit Plinius) *Praetoria decreta sunt ornamenta a Senatu* quum sermo est, alium intelligendum non esse praeter Pallantem Libertum Claudii, cui etiam placuit H-S centies quinquagies decerni, auctor est Lips. in Tacitum, & ad hunc quoque referuntur *Cretati Pedes*, quos Tibullus, ut superius Ovid. *Gypsatos* affirmavit.

Nota loquor, Regna ipse tenet, quem saepe coegit
Barbara Gypsatos ferre Catasta Pedes.

iur. Auctor Queroli *bordea* (inquit) *insectantur fracta & madida, spicas nonnulli vorant, &c.* Lucillius apud Nonium.

Cam jurulentas diceret vini uvas designavit.

Jurulentas (a) id est aqua madentes, sicut vini buas (ex duobus enim vocabulis unum facio) vino aspersas & madidas; itaque Lucillius ait quempiam designasse vini buas cum ab illo jurulentæ peterentur. Munitare verbum est priscum quod pro manducare usurpavere veteres. Apud Sext. Pompejum Munitio (1) est morsicatio ciborum. Apud Gellium istud verbum una tantum littera vitiatum, Viros eruditionis egregiæ ac præsertim Adrianum Turnebum divexavit, cujus apud me sententia & si potior sit, ab eo tamen dissentio. Gellius cap. 24. lib. 2. de veteri quodam Senatus consulto loquens. *In quo* (inquit) *Principes Civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent.* (2) i. *mutua inter se convivia agitarent, juravere apud Coss. verbis conceptis*; Cap. 2. lib. 18. (3) *quam ob caussam Patritii Megalensibus mutitare soliti sint, Plebs Cerealibus*. Turnebus miratus insolentiam & novitatem verbi credidit legendum mutuitare, quasi mutua inter se convivia agitare. Ego vero lego munitare, quo sane in iis epulis atque conviviis quæ ludis Megalensibus & Cerealibus agitarent, tanquam solenni verbo usi sunt.

Endem quoque Apulej libro sic latronum Antistes loquitur, *enim vero vos bonæ frugis latrones, inter furta parva atque servilia timidicule per balneas, & aniles cellulas reptantes scrutariam facitis*. Quo loco Beroaldus, Vir non alioquin spernendæ auctoritatis, persunctoriam dedit Interpretationem. Scrutariam (inquit) facere est minutula quæque furtim angulatimque perquirere, nos longius repetamus, & curiosius perscrutemur, quid hæc verba sibi velint, in quibus profecto inest abstrusior sententia, quæ Jano Parrasio propius visa est, sed nondum satis intellecta. Lucillius apud Gellium.

Quid & scruta (4) *ut veneat, scrutarius laudat*
Præfractam strigilem, soleam improbus dimidiatam.

G. Budæus & Turnebus Galliæ nostræ lumina jampridem docuerunt scruta vilia vasa esse sive frivola, quæ Sexto Pompejo vasa sunt; futilia, quassa, quæ Græci γρύτην, sive γρυτάρια vocant, quorum vendito γρυτοπώλης & γρυττάρης dicitur. Itaque scrutariam facere (5) Intrepretor hæc vilia vasa furari, id est quod latinissime dicimus *convasare*; Convasare inquit Nonius, est omnia furto colligere, Terentius in Phormione.

Aliquid convasassem, (6) *atque hinc me conjicerem pronus in pedes.*

Hoc tangit Horatius.

Non sum mœchus ais: Neque ego Hercule fur ubi vasa
Prætereo sapiens argentea.

Har-

(1) Munitio.
(2) *Lips. in Satur.* Mutitare *retinet non male.*
(3) *Veteris S. C. mendum sublatum.*
(4) Scruta.
(5) Scrutariam facare.
(6) Convasare.

(a) Placet hac in re novam *Jurulenti* significationem apponere; *Jurulenta* nimirum haud ea tantum intelliguntur quae a qua madent verum ea itidem *Jurulenta* nominantur, quae *jasculenta, jure, & Brodio preparato, carnulentoque fuat conditiora*: id vel ipse testatur sic Apulejus Libr. 2. de Asin. Aur. *Pulpam frustatim confectam, abacum Pascuae Jarulenta*; quin & *juruleata* pro *jasculentia* usurpavit prae aliis Varr. in 1. de Ling. Lar. *Vasa*, inquiens, *in mensa Escaria, ubi Pultem, aut* Jurulenti *quid poaebant.* Non desunt autem qui *Jusulentum* quandoque pro *Jurulento* dictum eidem putent Apulejo, jure, nec ne, viderint docti Lectores; unum interea lubet adnotare penes relatum mox Apulejum *jascum* reperiri, quod Juris est diminutivum, tametsi nonnulli sint Rati (perperam fortasse) haud *jascum*, verum legendum *Viscus*.

Harpax in Plauti Pseudolo.

Hostes vivos rapere soleo ex acie, ex hoc nomen mihi est.

PS. Polite multo magis opinor vasa ahenea ex Aedibus

Scrutariam igitur facere est vilia vasa furari. & hæc est nisi fallor vera & ingenua Interpretatio.

Ulpiani explicatio l. aut damnum §. quicumque ff. de pœnis. Quid gesticulatio.

CAPUT XII.

QUærit Ulpianus, in L. aut damnum §. quicunque ff. de pœnis utrum hi, qui in ludum venatorium damnantur servi pœnæ efficiantur, & respondet magis esse, ut servi fiant, *hoc enim, inquit, tantum distant a cæteris, quod instituuntur venatores, aut Pyrrhicarii, aut in aliam quoque voluntatem gesticulandi, vel aliter se movendi gratia*. Quodnam sit hoc voluptatis genus, non docuit adhuc aliquis quem legerim; Ego puto intelligi spurcissimos & fœdissimos illos motus gestusque corporis, (1) quos in Theatris Horcistæ, vel Pantomimi exprimerent. Cassiodorus lib. 4. Epist. ult. de Theatris sermonem faciens, *his sunt, inquit, additæ horcistarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polymnia reperisse narratur, ostendens homines posse & sine oris affatu suum velle declarare*. Idem paullo post subjicit de Pantomimo. *Pantomimo (2) igitur cui a multifaria imitatione nomen est, cum primum in scenam plausibus invitatus advenerit, assistunt consoni chori diversis organis eruditi, tum illa sensuum manus oculis canorum carmen exponit. & per signa composita, quasi quibusdam literis edocet intuentis aspectum: in illa leguntur apices rerum & non scribendo facit, quod scriptura declaravit. Idem Corpus Herculem designat, & Venerem fœminam præsentat, & marem Regem facit & militem, Senem reddit & juvenem, in uno credo esse multos tam vana imitatione discretos.*

Hæc ad hujus loci intellectum satis superque erant. Lubet tamen addere quosdam Christianorum Auctorum locos, quibus nihil æque invisum infestumque fuit, quam ejusmodi pudendæ ac inhonestæ corporum figuræ, ad quas se histriones componebant, quibus non modo visus aspectusque polluitur, verum etiam animus, ad ipsas quæ in Theatris exprimuntur libidine accenditur & inflammatur. Salvianus prodeat primus, qui in his accusandis quam rationem teneat, vel quo se vertat nescit, (3) dubius scilicet ac incertus, quo pacto res impudicas & inhonestas, pudice ac honeste accusare possit. *In Theatris (inquit) nihil bonum reatu vacat, quia & concupiscentiis animus & auditu auris, & aspectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, ut etiam explicare ea quispiam atque eloqui salvo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscœnitates, illas morum turpidines, illas gestuum fœditates, quæ quanti sint criminis vel hinc intelligi potest quod relationem sui interdicunt &c.* Beatus Cyprianus Sanctissimus Martyr libro Epistolarum 2. ad Donatum adhuc Magum; *deinde morum quanta labes? quæ probrorum fomenta? quæ alimenta vitiorum histrionis gestibus inquinari? videre contra fœdus jusque nascendi patientiam incæsta turpidinis elaboratam. Evirantur mares, omnis honos & vigor sexus enervati corporis dedecore emollitur, plusquam illic placet, quisquis magis virum in fœminam fregit.* Ejus Magister Tertullianus lib. de Spectaculis (4) Theatrum libidinis consistorium vocat, &

(1) Gesticulatio.

(2) Pantonimus.

(3) *Verecundia Salviani in accusandis fœdis Theatrorum Gesticulationibus.*

(4) *Theatrum Consistorium Impudicitiæ.*

& adjicit. *Hoc modo etiam a Theatro separamur; quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur, ita summa gratia ejus plurimum de spurcitia concinnata est, quam Ætellanus gesticulator,* (*a*) *quam minus* (Sic enim lego non minus) (*b*) *etiam per mulieres repræsentat sexus, pudorem* (non ut vulgo pudoris saxum) *exterminans ut facilius domi quam in scena erubescant.* Dissertissimus & vetustissimus auctor Arnobius lib. disputationum 2. *Ideo* (*inquit*) *ut vos sanctissimi atque augustissimi Numinis Symphonias agerent, & fistulatorias hic artes, ut inflandis buculas distenderent tibiis; cantionibus ut præirent obscænis, numerositer, & Scabillorum concrepationibus sonoris, quibus animarum alia lasciviens multitudo, incompositos corporum dissolveretur in motus, saltitaret & cantaret, orbes saltatories verteret,* (1) *& ad ultimum lumbis & coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret*, Ejusmodi gestus in honorem Veneris & Liberi fiebant. Unde Tertullianus eodem libro. (*c*) *Et est plane in artibus scenicis Liberi & Veneris patrocinium,* (2) *quæ privata, & propria sunt scenæ. De gestu & corporis fluxu mollitiam Veneri, & Libero immolant: illi per sexum, illi per fluxum dissoluti.* Id autem Gesticulatio dicebatur & Valerius Maximus de ludis scribens; dixit juventutem intentam Deorum obsequiis, rudi atque incomposito motu corporum, jocabundam gestus dedisse, unde hæ Theatrorum impuritates fluxere.

(1) *Orbes Saltatorios vertero.* (2) *Liber & Venus Scenae Patroni.*

(a) *Atellanus gesticulator* ex Pamel. in hunc loc. *Gesticulatur Atellanus*, ut nonnullis arridet; se utcumque res habeat *Gesticulationem* compertum est processisse ex *Atella* juxta Ptolomaeum, & Stephan. Oscorum Oppido, *ubi grande & egregium Amphitheatrum:* hinc *Atellani Ludi*, quos Liv. commemorat libr. 7. illudque *Genus Ludorum* (ait ille) *ab Oscis acceptum juventus tenuit, nec ab Histrionibus pollui passa est.*

(b) Ita omnino legendum, (sentit ad haec Tertulliani verba Pamelius) pro „ eo quod antea corruptissimum *Minus*, „ nam eisdem pene verbis & B. Cyprian. „ Epist. 2. & Lactant. & August. de *Mimis* loquuntur, de quibus aliquid di„ximus ad dictam Cyprian. Epist. num. „ 30. Alludit huc etiam Isidorus, quum „ dicit *Theatrum* etiam Lupanar voca„tum, & Prostibulum, eo quod post „ ludos exactos ibi Meretricesproster„neretur. Quod ipsum jamdiu antea re„prehendit Chrysost. Hom. 6. in Math.„ contra vero sententia prorsus opposita de la Cerda: „ Non autem audio (ait) Jaco„bum Durant. qui Libr. 1. Variar. Cap. „ 12. ita legit: *Quam minus etiam per.* „ *Mulieres reppraesentat sexus pudorem ex*„*terminans*. Tum quia nulla mutandae „ Lectionis ratio, tum quia elegantissime „ ad notandam nuditatem Foeminarum „ dicitur *exterminare pudoris sexum*, quia „ in sexu foemineo pudor regnat, tan„quam in domicilio proprio. Est etiam „ multo satius, ut intelligas *mulieres mi*„*mas*, non *mulieres sexus*, imo hoc ἀτό„πως dicitur. Adhibeo, si cui placeat, „ aliam explicationem. Fortasse *extermi*„*nare sexum pudoris* erit, quod Lactant. scribit Libr. 6. cap. 22. *Histrionum quoque impudentissimi motus, quid aliud nisi libidines docent & istigant? quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum, animumque mollita, impudicas foeminas inhonestis gestibus mentiuntur.* „ Itaque hi„strio deposito Virili habitu assumptum „ Foemineum maculat turpissimis gesti„bus, exterminatque ab illo pudorem, „ faciens quod Foemina non faceret, & „ sic inhonestat sexum, qui natura est „ *pudicus* „. Fare age, sapiens Lector; Quæne. dictioni Tartulliani rite legendae verior, & accomodatior via censeatur?

(c) *Theatrum impudicitiae Consistorium*, quod nota licentiae ac improbitatis signatum praeter Tertullianum mox relatum, unaque cum illo non paucos alios, & praecipue aversati sunt integerrimi Viri,

Moriones, miriones Therſites, Orphei, σαῖνοι Paniſci, mimarii, ſcurræ pumiliones præſtigiatores, plani Panthali.

CAPUT XIII.

JAmpridem ſunt in deliciis monſtra, eoque venit humanum faſtidium, ut nulla placeat, niſi quorum naturæ infeſta ſit ipſa natura. Deus tuam opem! Quæ portenta quondam niſi Oceano ipſo, & flammis explicari poſſe religio priſca cenſebat, hodie pretioſa ſunt, in eaque Principes cœco atque inconſulto ardore rapiuntur. Atque mehercule poſtquam prodigioſa viſa ſunt, humana inviſa fuere. Quid non ceſſas, natura, portenta edere? vel quid non portentoſos ſpiritus iiſdem includis corporibus? His ſane quibus arridet inſolentes figuræ, quo ſibi placeant magis, opto ut tales quales amant & mirantur formas ſortiantur. D. Auguſtus ut ſcribit in ejus vita Suetonius Tranquillus id genus animantia plane abhorruit; Suetonii hæc verba ſunt. *Nam pumilios atque diſtortos, & omnis generis ejuſdem ut ludibria Naturæ malique ominis abhorrebat.* Jureconſulti eos non eſſe liberos arbitrantur, (1) qui contra formam humani generis converſo more procreantur, puta monſtruoſa aut prodigioſa l. non ſunt ff. de ſtatu hominum. Et ſane tantum antiquis in ſuo genere placuit perfecta & abſoluta natura, ut claudum ferre legem (2) mali ominis ac Prodigii peſſimi loco

(1) *Non ſunt Liberi qui contra formam humani generis naſcuntur.*

(2) *Claudus legem ferens mali Ominis loco habitus.*

ri, Sanctiſſimique ex Latinis Hieronymus, & Auguſtinus in Epiſtolis, ex Graecis, Clemens Alexand. *in Paedag.*, & Chryſoſt. Homil. *de Pœnitent.* vitia peculiaria bene multa quae habuit ejuſmodi ſedes nequiſſimae improbitatis, execrabile crimen Idololatriae caetera inter ob oculos ponunt in *Artibus* maxime *Scenicis*, quae in fide Liberi & Veneris mutua fuerunt: Rem totam ita fuſe perſequitur ad productum Tertullian. locum de la Cerda. „ Venus & Liber mutuum Patrocinium conferunt in *artibus Scenicis*, „ quae Artes, poſitae *in Geſtu, & fluxu Corporis*: haec enim ſunt privata „ & propria ſcenae: Juvenis ita capiat. *Eſt Patrocinium Liberi & Veneris in artibus quoque Scenicis de Geſtu & Corporis fluxu quae duo privata & propria ſunt ſcenae.* Itaque loquutio iſta; *Patrocinium eſt Liberi & Veneris de Geſtu & fluxu corporis* nihil eſt aliud quam „ Geſtus, & fluxus Corporis Patronos ha- „ bent Baccum & Venerem, quae duae „ ſunt artes propriae Theatri. *De Geſtu, & fluxu* eſt ob geſtum, & fluxum, Per *geſtum* intelligit geſticulationes omnes mi- „ micas & impudicas, per *fluxum* libidinem „ omnem, Probat vero Patrocinium hoc, *nam mollitiem &c.* jdeſt illi qui diſſoluti „ ſunt per ſexum, & diſſoluti per fluxum *mollitiem immolant* Veneri & Bacebo ut „ gratiſſimam Victimam. Per *mollitiem* in- „ tellige vel preſſe peccatum mollitiei, vel „ late voluptatem omnem diſſolutam. Sic „ ego intellexeram hunc locum nec muto „ ſed moneo mihi non diſplicere explica- „ tionem Heraldi qui in 6. Libr. Arnobii „ ita accipit: Mollitiem immolant Veneri „ & Libero, diſſoluti per ſexum, illi Ve- „ neri, diſſoluti per fluxum iſti (ſic enim „ Herald. legit) Liber. ſequitur *quae vero voce &c.* docuit hactenus artes proprias „ Theatri eſſe obnoxias Idololatriae, quia „ illae habent Patronos Baechum & Ve- „ nerem; docet nunc artes communes „ ejusdem habere parem maculam. Quia *vox* qua fit Cantilena habet mancipem „ Apollinem Deum muſicae; *modi* ideſt „ Rythmi, ac numeri Muſas; *organa* Mi- „ nervam, *lyrae* Mercurium. Inde conclu- „ dit *oderis Chriſtiane*. Porro deos in- „ ventores cantilenae modorum organo- „ rum lyrarum vocat *mancipes* eum re- „ ſpectu ad publicos redemptores. Qui „ enim Paſcua & decimas, ac ſimilia re- „ dimebant dicebantur *manicipes*: ſic iſti „ Diviculi arrogabant ſibi has arteſ.

loco olim fuerit. Itaque Marcus Tullius de quodam Tribuno pleb. qui legem de ambitu promulgavit εἰρωνικῶς sic loquitur primo epist. ad Atticum. *Lurco autem, Tribunus plebis, qui magistratum simul cum lege Elia iniit, solutus est & Ælia & Fusia, ut legem de ambitu ferret, quam bono auspicio claudus homo promulgavit.* Sic Æthiopi, sic Eunucho mane domo exeunti occurere inaospicatum omen erat. Multa hujus generis exempla observavit ex Luciano, Appiano, Plutarcho, Xenophonte Vir egregiæ eruditionis Johan. Brodæus Miscell. 4. Nec solum membris suis absolutus quærebatur qui vel legem promulgaret, coloniam duceret, exercitum in populum lustraret, verum etiam qui boni nominis esset, ut de quodam Lucrino Festus refert. Apud Suetonium Pumilii (1) sunt brevi & humili corpore homines paullum supra terram extantes, distorti (2) vero qui sunt distorti oris, ut Miriones, (3) vel qui membra quædam distorta habent. Miriones apud Tertulianum aliter accipiuntur hoc loco.. *Solent quidem etiam isti Miriones de quibusdam personis ab hæresi captis edificari in ruinam.* Miriones hic sunt, non quos populus oris distorti caussa miratur, sed qui singula mirantur, & ad omnia attoniti stupescunt. Moriones (4) fatui sunt atque inconditi homunciones qui ridicularia fundendi caussa sunt in pretio. Plinius epist. 17. epist. 7. ad Genitorem. Lampridius in Alexandro, *Nanos & Nanas* loquit, *Moriones, & vocales exoltos & omnia Acroamata & pantomimos populo donavit.* Hic acroamata sunt mancipia quæ festivis sermonibus, & exquisitis salibus audientum aures demulcerent. Ita Clodius a M. Tullio Acroama dicitur, hujusmodi Scurræ, (5) & Mimarii dicuntur Julius Capitolinus in Vero sic air, *adduxerat secum & fidicinas & tibicinas, & histrionis, scurrasque mimarios, & prestigiatores, & omnia mancipiorum genera quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate, prorsum ut videretur bellum, non Parthicum, sed histrionicum confecisse.* Scurræ quoque Corpore dicebantur, unde improbus illorum jocus apud Lactantium, (6) qui Cyprianum Coprianum vocitabant, quod ut puto intellexit adhuc nullus. Præstigiatores (7) vero sunt, qui quibusdam præstigiis illuderent oculis, sicque mira facere videntur. Hos Athenæus θαυματοποιοὺς vocat lib. Dipnosophistar 14. & quos impostores dicimus πλάνης Et plani (8) sunt ut interpretatur vetus glossarium Græco latinum Erronei, erratici, & seductores sive ut idem Athenæus, qui corpore ad spectantium libidinem & voluptatem abuterentur. Ut apud eundem Athenæum de quodam (9) Cephisidoro Dionysius Synopœus ait, *Κηφισυδώρον φησὶν ἐπικαλούμενον πλάνον τινὰ ἐν ἀθήναις γενέσθαι τὴν σχολὴν, εἰς τοῦτο τι μέρος ἢ βίου καταχρώμενον τοῦτον ἀτυχοῦντα πρὸς τὸ σίμον ἀνατρέχειν ἢ συγκαθεῖναι τῇ ἐπὶ τῇ βακτηρίᾳ.* quendam inquiens planum cognomento Athenis fuisse, qui in hanc vitæ partem otio abutebatur, hunc incidentem inquit ad firmum sive cilicinem accurrere ac super baculo descendere. Ab illo vero sicut plani dicti sunt. sive ut a discurrendo, ut Planetæ, sive ab illo quem Acron Interpres Horatii ait, fingere sibi crus fractum esse solitum, ut vehiculis alienis efferretur, cui postea cum vere fregisset, creditum non fuit, sic ex illo Pantaleonte de quo refert multa ex Theogneto & Chrisippo Philosopho, Penthali forte appellati sunt. Sed malo ex verborum conjunctione interpretari. *Vetus glossarium πένταθλος. Quinquercius Sextus Pompejus Pentalum, inquit, Antiqui dixerunt quinquartium, id autem genus exercitationis ex iis quinque artibus constat, tactu disci, cursu, saltu, jaculatione, luctatione.* Eadem mancipia quæ audientes perfunderent voluptate Græcos sive Alexandrinos,

(1) *Pumilii.*
(2) *Distorti.*
(3) *Miriones.*
(4) *Morriones.*
(5) *Scurræ.*
(6) *Lactantii loc. illustrat. de nomine D. Cypriani.*
(7) *Praestigiatores.*
(8) *Plani.*
(9) *Cephisidorus Planus.*

nos, ab illlo Homerico blatterone Thersitas (1) Appellasse ex Clementis Alexandrini lib. Pædag. ult. conjicio, καὶ συγκατακλίνονται τοῖς φαλακροῖς παίζουσι σικίννοις τέρασι γαυρούμενοι: & τὸν μὲν Θερσίτην ἀκούσαι, γελῶσιν αὐταὶ δὲ πολυτιμήτους ὠνούμεναι Θερσίτας, &c. & accumbunt quidem una cum acuto capite monstris, sicinnis portentis lætantes, rident quidem cum Thersiten audiunt: Ipsæ vero Thersitas maximi pretii ementes &c. Et sane Thersites genus erat mancipii Alexandrini, quo genere oblectatum fuisse Verum Capitolinus dixit.

Et velut ii ab Homerico Thersite appellati sunt, si viri fortes a Catone, novi & recens ad hnnores evecti Romuli, Orpbei, (2) qui in Leporario sive θηριοτροφείῳ varia animantium genera buccina convocabant, ex Orpheo antiquissimo Poeta, cujus cantu oblectatas feras, aum sequi solitas finxit mendax Græcia: Et sic eos appellari scripsit M. Terentius Varro de re rustica lib. 3. cap. 13. Sic Petronius Annibalem, pro ferocissimo & capitali hoste, Cyclopem pro Arcbipirata, & alil auctores Spartacum pro famoso latrone, Tanaquilem Sidonius Appollinaris & Ausonius pro egregia uxore, (3) & Matref. Persius Nerionem (4) (*a*) pro nova nupta, inquit enim

Nerio jam ducitur (*b*) *uxor*,

Sicinnos (5) Satyros esse, & genus Satyricæ saltationis esse dicunt nonnulli, in quorum eo sententiam. Ita apud Suetonium, qui paniscorum babitu, i. Satyrorum, per antra & cavas rupes prostituerentur, in fœdissimo Caprearum secessu, Tiberio in delitiis erant. Vereor na potior sit eorum ratio, qui

Quæ

(1) *Thersites*.
(2] Orphei.
(3) Tanaquil pro Uxore.
(4) Nerio pro nova Nupta.
(5) *Siccinni*,

(a) Sensu lnnge dissimili ad Persium hic Interpretes exponunt non *Nerionem*, quae nova sit nupta, verum *Nerium* avarissimum longe omnium foeneratorem trium Uxornm dote locupletatum: ita Scipio Ferrar.: *Nerio*, ait, *nomen est improbissimi hominis Foeneratoris, quem sibi imitandum proponit avarus: Horat. in Sermon. Sat. III. lib. 2.*

Scribe decem a *Nerio*, non est satis...

Itemque Jo. Murmell. *Nerio*, inquit, *nomen Foeneratoris est apud Horatium in Sermon.* unaq; cum istis Cornut. de *Nerio* affirmat, nomen factum esse: *Nerius quidam morte conjugum locupletatus. Foenerator factus est notissimus: de quo Horatius ait lib. 2. Ser. 3.*

Scribe decem a *Nerio*......

Ille, inquit, nobilitatus conjuges tumulando:

Simulque cum istis Theod. Marcilius scribit: *Invidet procer hic Nerio Foeneratori tertiam uxorem efferenti, cum sibi etiam prima sit superstes*, ac demum Jo. Tornorupaeus *Nerium* sic intelligit: *Aut si hoc ipsum abs te, o bone Jupiter licet non exorare; saltem eo genere felicitatis patiare me fortunari, quo Nerius beatus est: Nerius jam tertiam uxorem ad sepulchrum effert*. Singulos autem ea mente proposuimus, ut de Auct. nostr. aequum Lector sapiens judicium ferat, qun nos consulto abstinemus, ejus dicto libenter audituri.

(b) Non desunt, qui legsnt pro τὸ *ducitur*, verbum aliud, nempe conceditur Mart. adbibentes Testem.

Septima jam, Pbileros, uxor tibi *conditur* agro.

Nulli plus Phileros, quam tibi reddit ager.

Verum male in aliis (ait hic Theod. Marcilius)

——— jam tertia *conditur uxor*.

„ Melius in glossis, & apud Serv. ad IV. Georg. est „

——— Nerio jam tertia *ducitur* uxor.

„ Servius ibi, & rationem subjun„ git. *Nam*, inquit, *ducere proprie fu„ nerum est*. Recte Servius. Nam Sa„ tyrice Parsius ludere voluit. Ducitur „ intelligi posset vel de nuptiis, vel de „ funere „ ibidemque Jo. Britannie. multis eandem lectionem probat.

hujuſmodi monſtris oblectantur, quam mea qui in his cognoſcendis, abutor tempore, labore, atque ingenio.

Quæ ſint apud Divum Marcum communes manus quid apud Hebræos commune.

CAPUT XIV.

FOrſitan nihil commune magis eſt, quam id quod de vocabulo commune, & verbo communicare dicturus ſum; dicam tamen quid ea de re didicerim. D. Marcus (1) capite ſeptimo καὶ ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ κοιναῖς χέρσι, τοῦτ᾽ ἔστιν ἀνίπτοις, ἐσθίοντας ἄρτους, ἐμέμψαντο (a)

Hic a Phariſæis Apoſtoli accuſantur, quod communibus, id eſt illotis manibus ederent, quod Moſaica Lege juberentur manibus, & ulnis aquam dare antequam cibum ſumerent. Eleganter ille communes manus. Hebræis enim quicquid turpe, ſordidum atque impurum erat, id commune dicebatur, (2) ea credo ratione, quod quæ publica & communia ſunt, ſordeſcere videantur. Sic apud D. Matthæum ſoter ait, οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, τοῦτο κοινοῖ ἄνθρωπον. (b).

(1) *Locus D. Marci illuſtratus.* (2) *Comunicare.*

(a) Latine dixeris „ & cum viderent „ aliquos ex diſcipulis ejus communibus „ manibus, ideſt illotis, comedere pa„ nes, murmurabant „ accomodate vero ad Noſtram Vulgatam Catholice ſic eſt legendum: *Et quum vidiſſent quoſdam ex Diſcipulis ejus, communibus manibus, ideſt, non lotis, manducare Panes, Vituperaverunt*. Abs re fortaſſo non erit quod hoc in loco Durant. protulit ſequenti Calm. explicatione nitidius luculentiuſque declarare. „ Id procul dubio „ ſervabant Diſcipuli, quod munditiei „ legibus imperatur, ubi ad menſam ac„ cedas: at pro lege id habendum eſſe „ non putabant: Manus, ſi quando im„ mundae eſſent, lavabant, neque ali„ ter, Phariſaei, & Judaei, quibus ſu„ perſtitioſa erat Religio, res hujuſmo„ di leviſſimas ſtudioſiſſime ſervabant, „ eas legis ſepem eſſe dictitantes, qui„ bus ſervatis, facilem eſſe graviorum „ Sanctionum Obſervationem. *Commu„ nia* (Maccab. I. 47. 62. Act. X. 14., Rom. XIV. 14. & in Scripturis Divinis alibi compluries) dicebantur ab „ Hebraeis illa quae communi uſui de„ ſerviebant; ea porro immunda cenſe„ bantur quippe omnium manibus tra„ ctata, fieri non poſſe videbatur, quin „ labem aliquam referrent: at ſacra & „ munda, a communi prophanoque uſu „ longe aberant. „

(b) Sonat latine „ non quod ingre„ ditur in os communicat cum ho„ mine, ſed quod ex ore illius de„ promitur. Divina eadem Scriptura Vulgata Catholice reddit: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*; explicatque dilucide Nicol. de Lyra: *Non quod intrat in os* „ ideſt Ci„ bus corporalis, *Sed quod procedit ex „ ore*, ideſt verba, quæ ſunt malitiæ „ interioris ſignificativa, *hoc coinquinat „ hominem*. Conſiderandum, quod Chri„ ſtus non dicit hic contra legem; licet „ enim aliqui Cibi in lege reputarentur „ immundi, ut caro Porcina & hujus„ modi, hoc tamen non erat ſecundum „ eorum naturam quia *Omnis Creatura „ Dei bona eſt*, 1. ad Tim. 4. unde Gen. „ 1. *Vidit Deus cuncta quae fecerat: & „ erant valde bona*. Dicitur tamen Por„ cus immundus, & Agnus mundus, „ ut dicit Aug. contra Fauſtum: quia „ per animalia immunda ſecundum le„ gem ſignantur quaedam Vitia quae „ ſunt evitanda, & ideo quia lex Evan„ gelica, quae Spiritalis eſt incohata „ erat per Chriſtum, ideo & illa Ob„ ſervatio figuralis ciborum non erat am„ plius obſervanda. „

Vetus Interpres communicat hominem dixit, Erasmus impurat. Vetus interpres Hebræam dicendi formulam sequutus est, Erasmus latinam. Sept. Tertullianus id imitatus est. lib. de Patientia, in quo communicare pro coinquinare usurpavit. *Non vasculorum (inquit) inquinamentum, sed eorum quæ ex ore promuntur communicare*. Quod apud eundem Tertullianum ante me observaverat B. Rhenanus, vir cui in his litteris parem Germania non tulit.

Quid apud antiquos sint ungulæ, quid Scorpiones confirmatum quod Impp. scripsere verbera ingenuis esse aliena l. 8. C. de Repudiis, virgæ in ludis Episcopalibus usurpatæ, flagrorum & virgarum differentia.

C A P U T XV.

UT cæterarum rerum, ita suppliciorum sunt vicissitudines quædam. (1) Quæ prisci hominum sceleratorum puniendorum gratia & exempli terrorisque ergo invenere, ea jamdudum obsoleverunt, receptaque sunt in eorum locum longe dissimillima: Itaque cum legimus in veterum monumentis ungulas, Scorpiones, cæteraque hujusmodi, suplicii novitate ac ignorantia hæremus attoniti. Vngulas (2) soleo interpretari ferrum, in ungues ferarum compositum & efformatum, quo ad eliciendam ex reis veritatem, apparitores Judicum sive lictores latera perfoderent atque persecarent. Constantinus Imp. dominorum in servos atrocius sævientium crudelitatem lege coercens, herum ipsum homicidii reum esse vult, *qui telo (inquit) visus, lethale vulnus inflixerit, aut suspendi laqueo præceperit, vel jussione tetra præcipitandum duxerit. aut veneni virus infuderit, vel dilaniaverit pœnis publicis, corpus, ferarum unguibus latera persecando &c.* Posset hic locutus accipi de his, qui damnantur ad bestias quorum artus ferarum unguibus dilaniantur, faucib. devorantur: sed exploratum est Auctores priscos cum ungulas (supplicii id genus) denotarent, solitos adhibere latera, iis enim ungulis latera tantum dissecabantur. Has Constantinus Imp. & Julianus Cæsar ungulas latera sulcantes, rectissime vocant. *Sit (inquiunt) equuleo deditus ungulisque sulcantib. latera perferat pœnas proprio dignas facinore.* Constantinus l. 1. de Emend. servor. C. Vestigia ferarum dixit. Divus. Hyeron. ad Innocentium de muliere septies icta. *Neque multo post, cum lividas carnes ungula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quærerent veritatem, infelicissimus juvenis volens compendio mortis longos cruciatus evitare &c.* Prudentius v. c. variis locis hujus supplicii meminit. & ungulas elegantissime rasiles scopulos dixit. (3) sic apud Tertullianum accipio scopulos lib. de anima. *Si certorum quoque scelerum mercedem cogitamus, patibula, vivicomburia & culleos, & uncos & scopulos*, Ammianus Marcell. lib. 14. unguib. mulcatns dixit. Isidorus in glossis ungulæ (inquit) dictæ sunt quæ effodiant. Id genus quoque fidiculæ dicebantur, (4) & sic ungulas interpretatur vetus Glossarium ὄνυχες οἱ εἰς τὰ βασανιστήρια. Fidiculæ. Idem Isidorus hanc de Scorpionis significatione explicationem dedit. (5) *Virgæ sunt summitates frondium arborum, quæ dictæ sunt quod virides sint, vel quod vim arguendi habeant, quæ si lenis fuerit virga est, si certe nodosa vel aculeata scorpio rectissimo nomine dicitur quod arcuato vulnere in corpus figatur.* De caussa Scorpionis sive pœnæ sic in Scorpiaco loquitur Tertul. *quæ cauda erit quodcunque de posthumo corporis propagatur, & verberat, perinde ut scorpii senos illa nodorum venenata intrinsecus venula subtilis arcuato impetu insurgens hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens &c.*

Scor-

(1) *Suppliciorum Vicissitudines*.
(2) *Ungulae*.
(3) *Rasiles* Scopuli.
(4) Fidiculae.
(5) Scorpio genus Flagri.

Scorpio bellicum fuit tormentum de quo Ammianus Marcellinus lib. 53. Fit mentio hujusmodi flagri quod Scorpionis obtinuit appellationem, in Martyrologio quam frequentissima. Jeroboam Regum lib. 3. cap. 12. ex juvenum consilio hanc ad populum orationem habet, *ὁ πατήρ μου ἐπαιδ ἀσεν ὑμᾶς μάστιξιν: ἐγὼ δὲ παιδεύσω ὑμᾶς ἐν σκορπίοις*. id est ut Hyeron. transtulit *Pater meus cecidit vos flagellis ego autem cædam scorpionib.* (a) Præterea ut ex Romanorum scriptis didici loris & flagris cædi, plane servile atque illiberale fuit. (1) Imperator in l. 8. C. de repudiis ajunt, justas habere divortii caussas mulierem, *si se verberibus (inquiunt) quæ ingenuæ aliena sunt afficientem Maritum probaverit*. Macer Tribunus pleb. apud Sallustium sic ait. *Verum nescio quæ vos torpedo occupavit quia neque gloria movemini neque flagitio: cunctaque præsenti ignavia mutastis, abunde libertatem rati quia tergis abstinetur*. Itaque festivissimum apud Plautum mancipium, tergum suum ostreatum (2), vocat, quia ut in ejusmodi animalibus magna est ludentis naturæ varietas, sic ejus tergum ulcerum & plagarum varietate distinctum, ostreæ speciem præferre videretur. Posthumus Junior sive M. Florus decl. 3. „ sæviat denique in terga, verberibus exigat servilem plagarum patientiam „. Valerius Maximus „ virgarum verbera contumeliosa dixit. Terentius in Adelphis.

Nam si molestus esse pergis, jam intro arripiere atque ibi,
Usque ad necem operiere loris (b). *S. loris liber. Æ. sic erit.*

Indignatur homo liber ac ingenuus eum flagrorum minas sibi videt inferri. Æschino servilia minitanti supplicia, objicit libertatem quam inhumaniter ac serviliter accipere capitale fere fuit. Ex quibus caussis liber fustibus cædebatur, ex his servum flagellis cædi Macer scripsit l. 10. ff. de pœnis: Multi ejus generis quæ apud antiquos extant sciens prætermitto. Illud est maxime notandum quod D. Augustinus ad Marcellinum Comitem scripsit de Virgis, quas ex eo solum loco veritatis eruendæ, & quæstionis habendæ caussam adhibere didici Caussa 23. q. 5. cap. Circuncellinnes, *Noli (inquit) perdere paternam diligentiam quam in ipsa inquisitione servasti, quoniam tantorum scelerum confessionem non extento aculeo non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti: qui modus correctionis & a magistris ar-*

(1) Flagris *cædi servile erat*. (2) *Tergum ostreatum*.

(a) Habeo ad hunc loc. Syr. *Pater meus castigavit ferulis, ego castigabo vos loris*: Cæterum rectius ex Hieronym. per Durant. heic relato lectio Scripturae Vulgatae probatur: *Cædam vos Scorpionibus*. „ Est autem Scorpio (quod adnotat prae aliis Interpretibus Divinorum Librorum Nicol. De Lyra ad Vers. 14. hujus Cap.) Genus Flagelli durissimi, habens in fine cordularum, seu Catenarum nodulos plumbeos, vel ferreos, & ideo vocatur Scorpio, quia graviter pungit, & quia sicut Scorpio pungit cauda, eam super caput reflectendo, sic extremitas hujus flagelli, in qua est plumbum, vel ferrum, percutiendo reflectitur ad anterius percutientis super corpus percussi „ Plura *De scorpionibus* ex Calm. in *Dissertatione de suppliciis* peculiariter sunt haurienda.

(b) Ad *Lora* quod attinet Donatus attendendus in hunc Terentii loc. ita scribens „ Lora apud Veteres Laura dicebantur a lauro Triumphorum sub qua mos erat Captivos vinciri, dueique per pompam: ideo autem ut conditionis reminiscantur loris cædantur mancipia. Nam Mancipia dicuntur, quod manu capta sunt; Servi. qui servati sunt, quum eos occidi oporteret jure belli: unde Vergil. sic inducit Captivum rogantem.

Per Patrios manes per spem surgentis Iuli
Te precor hanc animam serves natoque, Patrique.

artium liberalium, & ab ipsis parentibus adhibetur, & sæpe in judiciis solet ab Episcopis adhiberi. (1) Quod scribit Augustin. in Episcopalibus judiciis virgas adhiberi id patet ex 86. dist. C. non liceat c. v. q. v. c. illi & 45. dist. cap. cum beatus. Sic ex Philone gravissimo & Sanctissimo auctore didici olim Alexandriæ Ægyptios flagris cædi Alexandrinos virgis. Ejus igitur hæc verba extant in libro contra Flaccum Ægypti præsidem, quæ ego latina dabo (2). *Est inquit in illa urbe flagrorum differentia, pro eorum conditione qui cæduntur, Aliter Ægyptii flagellantur ab aliis, Alexandrini vero virgis cæduntur ab Alexandrinis lictoribus quos vocant Spathephoros. Hunc morem & in nostris hominibus servarunt superiores præsides & ipse quoque Flaccus primis Magistratus sui temporibus. Est certe & in pœnæ parvum quoddam solatium, & in cruciatu remissionis nonnihil, quando res ita ut sunt finiuntur, nec augetur maliciose molestia, sed cum accidit nihil æquitatis relinquitur. An non igitur fuit iniquissimum, cum de plebe Alexandrina Judæi liberalibus & civilibus flagris punirentur, quando viderentur commeriti, Magistratus, Senatoresque honoratos vel ipsis appellationibus hac parte inferiores habent suis subditis & exæquari Ægyptiorum obscurissimis maximorum flagitiorum pœnas luentibus corpore.*

Veram esse & ingenuam Modesti lectionem, quam Baptista Pius emendare conatus est.

CAPUT XVI.

ABsit ut alicujus manes lacessamus. Ita est in literarum studiis natura mihi comparatum ut libenter ea legam vel etiam laudem, quibus conscribendis docti ac præstantes Viri insudavere, errores vero tantum agnoscam, non culpem. Si aliquoties morosius quam fert natura, in alicujus lapsum feror, (credite) id non tam ejus contra quem scribo, minuendæ auctoritatis caussa facio. B. Pius Vir fuit non ineruditus, sed inops judicii. & miseros homines dixit, vir quispiam hac ætate harumce musarum Princeps, qui sub tam lenis maxillis manderent, quod Suetonius de Tiberio, D. Augustum usurpasse dixit. Lubet igitur subjicere Modesti verba (3) sive ejus qui librum hunc de re militari scripsit, qui inter M. Tullii monumenta ineptissime relatus est quem Pius emendare conatus est prorsus infeliciter. *Equitum alas dicunt ab eo, quod ad similitudines alarum ab utraque protegant acies quæ nunc vexillationes vocantur, a velo quia velis. hoc est flammulis utantur*, Scribe flammeolis inquit Pius, est enim flammeum velum, & per diminutionem flammeolum quo nubentes tegebantur boni ominis caussa. Dum urceum facere cogitat Pius amphoram finxit manus: Dum errorem tentat extirpare, sevit errorem, id erit ipsi in expedito, qui legerit. Georgii Cedrini hæc verba, ὅτι βιζιλλατίονες οἱ Ῥωμαῖοι ἱππεῖς εἰς καὶ βίζιλα παραπετάσματα ἐκ πορφύρας καὶ χρυσοῦ εἰς τετράγωνον σχῆμα πεποιημένα ταῦτα. ἐξαρτῶντες ἐπὶ μακρῶν δόρυ τῷ κύκλῳ, παραπορευόμενοι τῶν βασιλέων, κατασκέπτουσιν αὐτόν. εἰσὶ δ' αὐτὰ λεγόμενα φλάμμουλα. id est Romani equites appellantur vexillationes, & vexilla vela sunt quadrangula forma, ex auro & purpura contexta & longis contis suspensa, circa Regem gestant eumque tegunt. Sunt autem forte ea quæ flammula (4) vocantur. Renatus Vegetius lib. 2. *Equitum alæ dicuntur*, *inquit*, *quod ad similitudinem alarum, ab utraque parte protegant acies: quæ nunc vexillationes vocantur, a velo, quia velis, hoc est flammulis utuntur*. Idem lib. 3. cap. 5. *Muta signa sunt Aquilæ, Dracones, vexilla, flammulæ, rufæ primæ &c.*

Hi

(1) *Virgae apud Episcopos in quaestionibus usurpatae.*

(2) *Virgarum & flagrorum differentia.*

(3) *Modesti locus a vulnere Pii vindicatus.*

(4) *Flammula.*

Hi loci Modesto satis patrocinantur, verbum non amplius addam.

Seneca emendatus in libro de consolatione ad Albinam Matrem.

CAPUT XVII.

QUi litteras amat, & Senecam amat, cui cordi est virtus & digna viro libertas, & animi constantia fortitudoque, huic & cordi est Seneca. (1) Et quidem qui accuratissime Senecæ monumenta legerit, erit apud literatos in honore ac pretio, qui concoxerit summi boni ducet loco, in rebus humanis integre ac gloriose versari. Hinc ut hac ætate eum nitore suo prodiret in publicum, Viri diligentia & ingenio præstantes, navarunt operam, nec præstare omnino potuere. Et quia quasi collatis signis docti omnes ad exigendam libris barbariem concurrunt, ego quoque cum ipsa decernam, & nunc Reciperatoris officio fungor, res ablatas raptasque restituendo & unicuique suum reddendo. Restituatur igitur Senecæ Titulus suus, ut in M. scripto meo est. *L. Annæi Senecæ liber ad Helbiam matrem suam de consolatione filii sui.* Ex libro ipso apparet hunc esse veterem & naturalem non recentem aut adoptatum Titulum. deinde sic locutus putide ac turpiter corruptus est. (2) *Ut antiquiora quæ vetustas obduxit transeam, Phocide relicta Graii qui nunc Massiliam colunt, prius in hac insula consederunt: ex qua quid eos fugaverit incertum est, utrum Cœli gravitas, an præpotentis Italiæ conspectus, an natura impetuosi maris. Nam in caussa non fuisse feritatem incolarum, eo apparet quod maxima tunc trucibus & incenditis Galliæ populis se interposuerunt.* In manuscripto meo legitur, *cum curibus*, ego ex ipso lego, tum curibus & sic legendum manifestissime probat Trogi Pompei Epitome lib. 43. quæ ipsam historiam breviter perstringit his verbis. *Temporibus Tarquinii ex Asia Phocensium juventus ostio Tyberis invecta amicitiam cum Romanis junxit, unde in ultimos Galliæ sinus navibus profecta Massiliam, inter Ligures & feras Gentes Gallorum condidit.* Quirites a Curibus dictos ignorat nullus qui Reipublicæ Romanæ crementa, & incunabula noverit. Quod ait Seneca Phocenses se Curibus & inconditis Galliæ Populis interposuisse: hoc est quæ Trogus ait primo se Romanis junxisse, deinde in ultimos Galliæ sinus profectos Massiliam condidisse. Nisi mavis legere *Dum Liguribus*. Ut Trogus dixit *inter Ligures & feras Gentes Gallorum*. Una ex his lectionibus ingenua est, quam afferam nescio. infra idem Seneca. *O fortunatiorem Marcellum (inquis) eo tempore, quo exilium suum Bruto approbavit quam quo Pop. Rom. consulatum vexit. In veteri, Bruto exprobavit quam Reipub. consulatum.* Malo ut legatur approbavit, Rexit suppositium verbum est, & idcirco relegandum. Deinde: (3) *Minus beate vivebat Dictator noster qui Samnitum legatos audiit cum vilissimam cibum in foco ipse manu sua versaret, illa quæ jam sæpe hostem percusserat lanceamque in Capitolini Jovis gremio reposuerat.* In quibusdam libris laneeam, in meo laureamque rectissime. Quoties victoriam publica lætitia sequeretur. Imperatores pro more, lauream in gremio Capitolini Jovis ponebant, & laureas litteras mittebant. Pacatus Drepanus in Panegirico Theodosio A. dicto de eodem Fabricio & priscis Imperatoribus sic loquitur. *Curii, Coruncani, Fabricii, ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Jovis laureis, Viri triumphales rusticabantur.* Tranquillus in Domitiano, *De Sar-*

(1) *Senecæ laus.*
(2) *Locus ejusdem emendatus.*
(3) *Alienus ejusdem locus correctus.*

matis lauream modo Capitolino Jovi retulit (a) Plin. major c. 30. lib. 15. de lauro sic loquitur *Romanis praecipua laetitia victoriarumque nuntia additur litteris* (b) *& militum lanceis pilisque. Fasces Imperatoris decorat, ex his in gremio Jovis Opt. Max. deponitur, quoties laetitiam nova victoria attulit*. C. Plin. in Paneg. Trajano dict. *Allata erat ex Pannonia laurea Diis, ut invicti Imperatoris exortum victoriae insigne decoraret. Hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat &c.* Paullo post ait Trajani adoptionis die, laurum Capitolino Jovi dicatam fuisse.

Imperatorum Constantinopolitanorum mos in sumendo de captivis hostibus supplicio. Asino imponi, & de tondendi infamia.

C A P U T XVIII.

DOcueruot jampridem in his studiis Principes Viri, hostes Populi Romaoi, Triumphantium Imperatorum currus secutos pro more abripi in carcerem,

(a) Tranquilli verba prolata Isaac.
Casaub. hac singulari animadversione
prosequitur „ Clarum ex hoc loco erra-
„ re doctissimos Viros, qui Triumpha-
„ re & Jovi Capitolino Lauream refer-
„ re idem esse putant. Majus enim &
„ longe digoius Triumphi quam Lau-
„ reae jus, quod etiam stante Republica
„ omnibus competiit, qui caesis hosti-
„ bus Imperatores salutati fuissent, si-
„ ve illi res Triumpho dignas gessissent,
„ sive starent eorum facta intra gloriam
„ Triumphi : Praeter hoc certissimum
„ Testimonium, sunt & alia non mi-
„ nus liquida. Libr. V. scribit Sueton.
„ Cap. XIII. Neronem ob Teridatis in
„ Urbem adventum, *Imperatorem con-*
„ *salutatum, Lauream in Capitolium la-*
„ *tam*, Nemo tamen sanus Triumphas-
„ se eum propterea dixerit. Antonium
„ Collegam Ciceronis ex bello Catili-
„ nario lauream reportasse quis nescit?
„ atqui triumphandi neque jus, neque
„ spem ullam habuisse Antonium certis-
„ simum est. M, quoque Tullium prae-
„ liis aliquot in Cilicia feliciter gestis,
„ & Imperatorem fuisse salutatum, &
„ laurea fasces suos ornasse constat.
„ Triumpho res dignas eum gessisse
„ adeo non constabat, ut Catoni, &
„ Senatorum plerisque aliis absurde fa-
„ cere visus sit, qui Triumphum pe-
„ teret. „

(b) Quidam (in haec scribit Plin. verba Philip. Beroald.) „ male litterati
„ existimant ideo Plinium dixisse *litte-*
„ *ris addi laurum*, quia Poetae, & lit-
„ terati lauro coronantur; cum Plinius
„ intelligi haud dubie voluerit de litte-
„ ris laureatis quae lauro coronatae, ut
„ docuimus, mittebantur ad Victo-
„ riam, laetitiamque nuntiandam. De
„ litteris laureatis intelligendum est apud
„ Caesarem sic scribentem in III. Belli
„ Civilis Commentario : sed neque in
„ litteris, quas scribere est solitus, ne-
„ que in falcibus insignia laureae protu-
„ lit. „ Ejusmodi *litteris laureatis* & nomen fuisse *Victricibus* Auctor est Mart. VII. epigr. V.

> Publica *Victrices* testantur gaudia Chartae,
> Martia laurigera cuspide *Tela* virent.

scripsit Calder.

> Martia laurigera cuspide *Pila* virent..

Adjunxitque: *Chartae Victrices* „ idest
„ Lauro circumdatae, nam literae, Au-
„ thore Plin. De Triumpho, Lauro cir-
„ cundabantur. „ Lauream exinde a Jove in sinu exceptam praeter memoratum heic Plin., & Jul. Obseq. *Libr. de Prodig.* Cap. 123.. aliosque complures, prodidit Sil. Ital. Libr. 15.

> Sed dabo qui vestrum saevo nunc Marte fatigat
> Imperium superare *manu laurumque* superbam
> *In gremio Jovis* excisis deponere Poenis,

& Libr. 4. Silv. Stat.

> Restat Bactra novis, restat Babylona Tributis
> Frenari; nondum *gremio Jovis indita Laurus*.

nem, ibique lictoribus mancipatos trucidari consuevisse. Quo ad Roma Imperii caput, & sedes fuit, hic mos invaluit, atque etiam vetustiorum consuetudinum remansere quædam velut Imagines atque vestigia. At statim ut in Byzantinam Civitatem Imperii domicilium, & insignia transfusa sunt, successitque Occidentis honori Oriens, Romanorum paullatim mores evanuere, ac in Peregrinos ritus transiere; Itaque quantum mos sumendi de hostibus supplicium, qui apud novissimos Imperatores obtinuit, ab illo prisco & vere Romano desciverit, non potest evidentius explicari quam relatione. Solitos eos Imperatores (1) captum hostem in pavimento distendere, ejus cervices insultando conculcare, pedibus manibusque male acceptum & lacerum, Asino imponere, in hæc verba prorumpentem, ἐλέησον μέ ἀληθῶς βασιλεῦ.. Eoque modo de Thoma exactas Majestatis pœnas, a Michaele Balbo, ex Georgii Cedrini Annalibus didici. Quid esse potest magis contumeliosum, quam hosti in pavimento distento crura manusque effringendo illudere? Ignominiosum quam Asino imponere? Miserabile quam cogere tam miserandis verbis salutem deprecari, hostis fortunam agnoscere, suæ velut nuntium & repudium mittere? Agathias lib. historiarum 4. (2) *Rusticus & Joan. Cubazis Interfectores (inquit) Mulis impositi publice circunferuntur præcone clamante, ut singuli leges vererentur, & singuli innoxio sanguine abstinerent*. Procopius in Vandalicis ait Valentianum Imperatorem, Johanni qui Romæ purpuram sumpserat dextram præcidisse, Asino insidentem circunduxisse & in hippodromum conjecisse. Appianus in Mithrid. scripsit Mithridatem, Manium Attilium Imperatorem Romanorum captum Asino impositum, Pergamum duxisse, proclamante Præcone, *Ecce Manius*. In tripartita historia cap. 9. lib. 6. legitur de Georgio Alexandriæ Pontifice Alexandrinos ejus cadaver ignominiæ caussa Asino impositum, per Urbem traduxisse, deinde flammis consumpsisse. Apud Stobæum, Nicolaus qui mores gentium scripsit, apud Pisidas adulterii convictum, ait una cum muliere Asino insidentem, per Urbem circunduci per aliquot dies. Apud Cumæos, ut Plutarchus in quæstionibus Græcorum scripsit, mulier adultera, in forum deducta saxo imponebatur, dein infamiæ caussa Asino per Urbem vehebatur & in idem saxum rursus exponebatur. Idcirco ejusmodi ignominiam Cumæi ὀνοβάτιν dixerunt, Julius Pollux ὀνοβατεῖν esse dixit cum Asini equas saliunt. Atque, ut infamiæ caussæ Asino imponere sic quoque caput radere (3) consuevisse, ex ejusdem Cedrini historiis didicimus. Extant variæ Imperatorum Constitutiones apud Constantinum Harmenopolum in προχείρων libris aliosque auctores quibus id supplicii sive potius infamiæ genus, variis criminibus adhibetur. Apud Romanos promittere capillos, (4) ac nutrire comam, neque ingenuum, neque pudicum decebat & qui mittebatur manu, calvus fiebat & pileum capiebat: Rei capillos promittebant, mulieres Reæ (5) sibi præcidebant. Qua de re sic Sidonius Apollinaris in Epistolis scripsit loquens de quodam delatore. *Quorum (inquit) dolore lætatur, pascitur fama, præcipue pulchrum arbitratus ante turpare, quam punire damnandos. Crinem Viris nutrit, mulieribus incidit: e quibus tamen si rara quosdam venia respexerit, hos venalitas solvit, illos vanitas, nullos misericordia*. Verumtamen senescente jam Imperio Romano, priscisque sublatis fere omnibus moribus tonderi (6) ac radi ignominiosum fuit. Apud Hebræos id quo-

que

(1) *Imperatorum Constantinopolitanorum mos in exigendo de hostibus supplicio.*

(2) *Ignominiosum mulis imponi & per Urbem vehi.*

(3) *Caput radere.*

(4) *Promittebat antiquitus Rei capillos.*

(5) *Apud Romanos mulieres reæ Capillos praecidebant.*

(6) *Tonderi ignominiosum.*

que infame habebatur, Quo loco ad Hierusalem *Dominus dixit, rade, & detonde te delicatorum tuorum caussa*, adnotavere (a) Theologi veteres ac Interpres Octateuchi nitidissimus, Procnpius Gazeus Snphista, (b) tonsuram ignomioiæ ac luctus indicium fuisse. Apud Græcos lugentes, (1) præcisis erinibus funus prosequebantur. Ex Nicolai monumentis de moribus Gentium refertur apud Stobeum, eum qui nefarium ac scelestum aliquod facinus perpetrasset, Indorum Regem tonderi jubere solitum. Apud Germaoos adultera crinibus accisis, enram propinquis expellebatur domo, ac per vicum, verbere agebatur, ut Cornelius Tacitus scripsit. Quondam apud Fraoeos indicium libertatis capilli fuere, atque capillos amittere pro libertatem amittere, Sidonius Apollioaris dixit, (2) lib. Epistolar. 11. *Si nullæ quantum rumor Authemii Principis opes, statuit se auctore nobilitas, seu Patriam dimittere, seu capillos*.

Va-

(1) *Praecisis erinibus funus prosequi.*

(2) *Capilli apud Francos signum libertatis.*

(a) Postremus est Versiculus, nempe XVI. Capitis I. in Micheae Prophetia, pura integraque Versione ex Divina Scriptura vulgata ita Catholice legeodus: *Decalvare, & tondere super filios deliciarum tuarum*; luctus autem, tristitiaeque illud communiter habere pro signo heic exponuot Nicol. de *Lyra*, *August. Calm.* caeterique passim Divioorum Librorum Interpretes accurati; qua vero potissimum ratione *Tonderi*, ac *Radi* supremi mæroris argumenta certissima, ceu preterea dedecoris, ignominiaeque turpissimas nntas Hierosnlymae Deus tribuat aeternus ac justissimus culparum vindex, ac qui sit factum, ut captivitas Hierusalem filiis æquissimo Divinae Ultionis judicio calvitii dilatatiooem iotulerit, proposita Divioa Sanctissima loquutione: *Decalvare, & tondere super Filios deliciarum tuarum, dilata calvicium tuum sicut Aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te*. Glossa Ordinaria ita ferme perpendit „ His qui Deum „ Crucifixerunt, hæc omnia evenerunt; „ quia io Captivitate per Rnmanos decalvati sunt, & omnia coosilia quae „ dormiente anima cogitaverunt, subversa sunt statim ut lux Christi, & „ Ultio apparuit, quia non levaveruot „ manus ad Deum (sicut Moyses (Exod. „ 17.), sed contra Dominum & Do„ mos, & substaotias Pauperum ra„ piendo, propter quod Deus depressit eos captivitate per Rnmaoos: de „ qua non poterunt evadere, quia tem„ pus malum est; quia sicut contra „ Dominum Jesum mala operati sunt, „ sic perpetua captivitate prementur, „ io qua obliti priorum Canticorum, „ de sola miseria sua cantabunt: quia „ terra, quae per Moysen, & Josue „ funiculo distributionis fuit illis di„ spartita, modo Gentibus per Roma„ nos est divisa. „

(b) Gazeum Procopium Sophistam disce prae aliis ex Viro Eminentissimo Robert. Bellarm. *de Scriptorib. Ecclesiast.* ad A. C. 560. ita conscribente „ Proco„ pius Gazeus Sophista, cujus meminit „ Photius io sua Bibliotheca scripsit in „ Octateuchum Commentaria magis „ ex aliorum libris, quam ex proprio „ ingenio. Scripsit etiam in Isajam, „ quae extant excusa Parisiis Graece „ & Latine; Dicitur etiam scripsisse „ in Libros Regum, & Paralipome„ non, quae Opera utrum extent, „ ignoro. Quando vixerit, oon certum „ est, sed posuimus eum post annum „ quiogentesimum, quia nec Sanctus „ Hieronymus, nec Genoadius, neque „ alii qui scripserunt ante annum quin„ gentesimum, hunc Auctorem oomina„ verunt. „

Variae Coronarum species & usus ex Tertulliani libello de Corona militis, emendatus ejusdem libri locus unus.

CAPUT XIX.

Video a Scriptoribus nostris Divinam Legem observari, qua jubetur agrorum fruges ita legi a Dominis, ut semper spicilegium relinquatur. Utrum id vertam vel eorum ignorantiæ, vel fastidio, plane ignoro. Illud teneo neque cujusquam Auctoris vitia, neque virtutes a quoquam ita notari posse, quin non permulta supersint posteritati, quæ ejus ingenii aciem effugerint. Nullus est intactus auctor, nec tamen prærepta vel imminuta videri potest scribendi materia. Id mihi in Christianorum eruditissimo Scriptore Tertulliano visum est verius, in cujus etsi lectione, tanquam in mustaceo laurum quæsierint plurimi: adhuc tamen multa restant quibus lectionis molestiam aruditus Lector compensare possit. In ipsius libello de Corona militis, hæc de usu Coronarum notavi. Illa ex Homero imprimis ait Cœlum Syderibus coronatum (1) esse. *Præfabitur quidem*, inquit, *Claudius etiam Cœlum Syderibus apud Homeri carmina coronatum esse*. Plinius nullas antiquitus nisi Deo Coronas tribui fidem facit, & eam ob caussam Homerum eas Cœlo tantum & universo prælio adscribere lib. 21. cap. 5. Idem *Nam & mortuorum* (inquit) *est ita coronari*: (2) solebant enim in funeribus Coronas adhibere. Quibus modus lege 12. Tab. datus ast. In quibus Tabulis in ea parte qua de jure sacrorum agitur, quæ fere tota in solennibus funerum occupatur, sic scriptum est. (3)

Neve longa Coronæ neve accerra adbiberentur (a). Præterea qui In publicis certaminibus Coronam adeptus esset, ei mortuo jubetur imponi. *Qui Coronam parit ipse pecuniave ejus virtutis ergo arguitor, ipsique mortuo, parentibus ejus dum intus positus erit forisque feretur, sine fraude imposita esto*. Corona igitur ut videtur velle lex. 12. Tabularum virtutis argumentum erat. Clemens tamen Alexandrinus socordiæ atque (4) ignaviæ signum esse dicit, & idcirco mortuos & Statuas coronari. Ejus hæc verba sunt. lib. Phæd. 2. cap. 8.

Απ' ὀχλήτυ δὲ ἀμαεμενίας ὁ στέφαν© σύμβολον,
Ταύτη καὶ τοὺς νεκρὰς καταστεφανοῦσιν: ᾧ λόγῳ
Καὶ τὰ ἴδολα ἔργῳ προσμαρτυροῦντες ἑαυτοῖς
Τό εἶναι νεκρὰς. (b)

Minutius Fœlix in Octavio. *Nec mortuos coronamus*, inquit, *ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut sentienti faciem, aut non senti nti*

(1) *Cœli Corona.*
(2) *Mortui Coronati efferebantur.*
(3) *Illustratae leges 12. Tabul.*
(4) *Coronae socordiae signum.*

(a) Legis, cujus hoc in loco fit mentio ap. I. Grav. De Legib. 12. Tabul. haec sunt verba: NE LONGAE CORONAE NEVE ACERRAE PROFERUNTOR, nec non consentanea legi ab eodem profertur explicatio: „ Rursus, ut quam minimo sumptu mora hominum honoraretur, „ prohibuere Decemviri *longas Coronas*, „ diversas scilicet a rotundis contextis, ut capita redimirent. Erant „ autem longae Coronae, quibus implicabantur Cadavera, & busta, & „ sepulchra, & sellae curules, & theatra, & currus triumphales, & fores. Unde Tibullus:

„ Flava Ceres tibi sit nostro de
rure Corona.
„ Spicea, quae Templi pendeat ante fores.„

(b) Latine dices: „ Turba autem & negotio remotae segnitiae signum est Corona. Qua de caussa mortuos quoq; coronant, quo nomine re ipsa suo testimonio „ idola mortua esse existimant.

Coronam, cum & beatus non egeat & miser non gaudeat floribus. Plinius ait Coronas Deorum Larium, (1) publicorum privatorumque sepulchrorum, Maniumque honori consecrari. Lares coronari (2) testatur M. Cato de villicæ officiis. *Kalendis, Idibus*, inquit, *Nonis festus dies cum erit, Coronam in focum indat per eosdem dies, lari familiari pro copia supplicet.*

Plautus in Trinummo.

Larem Corona decorari meum volo, Uxor venerare.

Idem Tertullianus ipsas fores, (3) ipsas hostias, & aras, ipsos Ministros & Sacerdotes coronari auctor est. *At enim Christianus, ait, nec januam laureis infamabit si norit quantos Deos ostiis Diabolus affixerit, Janum a Janua, Limentinum a limine, Forculum & Cardam a foribus & cardinibus & apud Græcos Thyreum Apollinem & Antelios Dæmones*. Idem Tertullianus ait Januas coronari solitas sicut Lupanaria, (4) quæ elegantissime vocat consistoria libidinum publicarum lib. ad Uxorem 2. *Procedet*, inquit, *de janua laureata & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum*. Idem in Apologetico, *cur die læto non laureis postes adumbramus? nec lucernis diem infringimus. Honesta res est solemnitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris*. Aras herbis frondibusque redimitas fuisse (5) satis testatur hic Terentii locus in Adelph.

D. accipe a me hunc ocyus
Atque ante januam nostram appone M. obsecro
Hunccine? D. en ara hinc sume verbenas tibi,
Atque eas substerne.

Donatus notat Verbenas (6) dici omnes herbas frondesque, quibus aræ coronarentur, sicut Acro Helenius in hunc Horatii locum.

Ridet argento domus, ara castis
Vincta Verbenis, avet immolato
Spargier agno.

Propertius.

Inde coronatas ubi thure piaveris aras.

De Sacerdotum Coronis Claudius scripserat, cujus monumenta vetustas absumpsit. *Habes* (inquit Tertullianus) *omnes Collegiorum Sacerdotalium Coronas apud Claudium*. Veteres quoque solennes Liberi dies magnam appellavere Coronam. *Sed & alias* inquit *Liberum Principem Coronæ plane laureæ, qua ex Indis triumphavit, etiam vulgus agnoscit, cum dies in illum solennes magnam appellat Coronam*. Milites etiam donativo accepto coronabantur. Hinc illud, *expungebantur in castris milites laureati*. Et illud *Eadem laurea in donativi dispensatione denuntiatur*. Ceterum illud quam redolet priscas superstitiones & aniles plane præstigias? quis vel sine detestatione, vel gravi cachinno audire poterit Romanos qui cervicibus omnium Gentium imposuere jugum, quorum utimur legibus & institutis, eo stuporis & infamiæ devenisse, ut latrinas, lupanaria, pistrina, carceres, ludos, amphitheatra, spoliaria & libitinas ipsas Coronis honorarent. Verba hæc sunt Tertulliani: *Ceterum a seculo coronantur & lupanaria, & latrinæ, & pistrina, &. carcer, & ludus, & ipsa Amphitheatra & ipsa spoliaria, ipsæque libitinæ*. Ex eodem libro didici supplices coronarios (7) fuisse apud antiquos: Ita enim ipse loquitur. *Habes tragœdiam Cerbere, habes Pindarum atque Callimachum qui & Apollinem memorant interfecto Delphico Dracone lauream induisse, quo supplicem. Erant enim supplices Coronaris apud veteres*. Hujus moris extant certissima indicia apud Appianum in Lybicis qui scripsit in obsidione Byrsæ, jam capta Carthagine ad Scipionem, quosdam Carthaginienses floreis Coronis, (ut in sacris Æsculapii fieri moris erat) caput

(1) *Coronae quibus sacrae essent.*
(2) *Coronare lares.*
(3) *Fores Coronatae.*
(4) *Lupanaria Coronata.*
(5) *Arae frondibus redimitae.*
(6) *Verbena.*
(7) *Supplices Coronarii.*

redimitos supplices venisse & deditionem fecisse. Idem in Hispanicis scripsit seniores Cauceanorum, coronatos & supplicum habitu ad Lucullum accessisse, petentes, ab eo quomodo Populo Romano satisfacere possent & cum eo in gratiam redire. Convivæ præterea hederati, (1) & Coronis unguentatis pectora circumvoluti accumbebant. hujus rei rationem his verbis Tertullianus reddit ex Harpocratione: *Liberum eundem apud Ægyptios Osirim, Harpocration de industria hederatum argumentatur, quod hederæ natura sit ab ebrio defensare*. Julius Higinus de rerum Cœlestium historiis lib. 2. *Nonnulli* (inquit) *etiam Coronam habuisse dixerunt, ut se victorem impune peccasse diceret. Itaque homines in maxima lætitia* (2) *Victoresque Coronas habere constituerunt. Id in exercitationibus & conviviis perspicere licebit*. Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 2.

Ὁρᾶν γοῦν ἐστὶν αὐτῶν τινὰς ἡμιθνεῖς σφαλλομένους, περὶ τοῖς τραχήλοις ἔχοντας στεφάνους ὥσπερ τοὺς ἀμφορεῖς διακοντίζοντας ἀλλήλοις τὸν ἄκρατον φιλοτησίας ὀνόματι. Id est videre ergo licet aliquos semi-mortuos cæspirantes in collis Coronas habentes non secus ac amphoras inter se invicem vinum fundentes, sub nomine benevolentiæ: In annua quoque votorum nuncupatione, coronatos fuisse, hic locus notat, ex quo solennia ejus nuncupationis discere potes. *Hæc annua votorum nuncupatio quid videtur? prima in Principiis, secunda in Capitolio, Accipe post loca & verba. Hunc Jupiter tibi Bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum. Cujus sententia vox est utique negationis, etiamsi tacet ille Christianus ore, capite respondit*. Haud pueros latet, laureatos fuisse triumphantes, Triumphantibusque ire solitos obviam Patres & Populum. Non tangerem hunc locum nisi lectionis inconstantia meum flagitaret auxilium. Sic igitur in Tertulliani Codicibus legitur. (3) *Triumphi laurea foliis struitur, hinc adverbis lemniscis inauratur &c.* Rhenanus ingenue fatetur ignorantiam hujus vocabuli adverbis, nihilque præterea tentat. (a) Audaciores alii legunt, *Hanc inumbrant*

(1) *Convivae hederati.*
(2) *Corona laetitiae signum.*
(3) *Locus Tertulliani ex eodem libello restitutus.*

(a) Rhenani testimonium vel ipse Pamelius adhibet, nec vocabulum *adverbis* ducit esse immutandum: „ *Hinc* „ *adverbis* (pronunciat fidentissime) „ omnino legendum esse satis constat „ pro hanc. Quid vero sibi velit voca- „ bulum *adverbis*, recte adnotavit Rhe- „ nanus se nescire. Ego addo vocem es- „ se corruptam, & videri aliquid ver- „ bum substituendum; qualia sunt quae „ sequuntur, *inauratur*, *& delibuitur*, „ fortassis quemadmodum, & Rhena- „ nus, aut Selenius in margine, *ambi-* „ *tur*, quod maxime placet, aut *ador-* „ *natur*, aut *adumbratur*, vel *advesti-* „ *tur*. Lectori autem liberum judicium „ permitto, donec ex aliquo MS. Cod. „ melius aliquid proferamus. Fortassis „ etiam non male legatur *adversis*. Caeterum non eadem plane mente de la Cerda: „ *Adornatur lemniscis*: „ Hic locus (continuo subjungit) cor- „ ruptissimus est in Vulgatis omnibus in „ quibus nullo sensu legitur: *hinc ad-* „ *verbis lemniscis*. Docti varie corri- „ gunt scilicet *adversis lemniscis* aut ver- „ bum aliquod substituunt, ut *ambi-* „ *tur*, *advestitur lemniscis*, & unus Ca- „ rolus, *adaugent lemniscis*, ego *ador-* „ *natur* volui tum quia hoc posse repo- „ ni pro *adverbis* ait Pamelius; tum „ maxime quia Woverenius ait, se re- „ perisse in libr. Optimo scriptum ita: „ *Triumphi laurea foliis struitur*, *ador-* „ *natur lemniscis*. Quum ergo constet „ Viri hujus Auctoritate, ita scribi in „ Codice Optimo, cur suppleam ex con- „ jectura verba alia? Siquis tamen le- „ ctionem, quam sequor, non admit- „ tat, moneo praeferat reliquis conje- „ cturam illam, quae legit *adversis* „ *lemniscis*, & hic videat Junium. Sal- „ masius in Notis ad Capitolinum ex „ Vetusto codice sic legit: *Triumphi laurea*

brant lemnisci. Ego sic legeodnm censeo. *Trimmphi laurea foliis struitur, atque adoreis & lemniscis inauratur &c.* Sexcentis locis probare possum, adoreas triumphis adhibitas fuisse, hincque triumphales dici: Sed uno & altero lectori satis fieri potest. Egesippus antiquissimus elegantissimusque auctor de excidio urbis Hiero. lib. 3. cap. 24. Sic de Manlii Torquati filio loquitur. *Stabat hostibus casis adolescens amictus Adoreis Triumphalibus sub Carnifice mortis securus, quoniam beatissimum putabat victoria mori*. Julius Solinus de M. Sergio; *Beatus profecto tot suffragiis gloriarum, ni hæres in posteritatis ejus successione Catilina, tantas adoreas odio damnati nominis obumbrasset*. Hinc apud Sext. Pompejum legimus veteres adoreas laudem dixisse, quia gloriosum putarent esse qui copia farris abundaret. In veteri glossario Adoriosus ἔυδοξ☉ ὡς πομπηι☉. Haud scio an ex alio auctore quis valeat discere utrum magistratus, (1) & publici ordines in caussis publicis sederent coronati. Hic locus forte hoc vult, *Coronant & publicos ordines laureis publicæ caussa, Magistratus vero insuper aureis ut Athenis ut Romæ*. De Hetruscis (2) quarum supra dicto apud Plinium loco fit mentio, illud addendum. *Præferuntur etiam illis Hetrusca. Hoc vocabulum est Coronarum quas gemmis & foliis ex auro quercinis, ob Jovem insignis ad deducendas Thensas cum palmatis togis sumunt*. Illud de Proviocialibus. (3) *Et provinciales Corona Imaginum jam non hominum, majora capita quærentes*. Ut vero sicut diximus, milites donativo donati coronabantur. Sic vulgus post victoriam Principis vel in ejus natali Corooam sumebat, *coronatur & vulgus ex principalium proprietatum exaltatione, nunc ex Municipalium solennitatum proprietate*. Ex eo patet in congiariis principium, & festis Muoicipalibus, vulgus quoque coronari. Hic etiam Coronarum usus (4) ad nuptias usque promanavit. *Coronant & nuptiæ sponsos, & ideo non nubimus Ethnicis*. Sextus Pompejus in dict. corolla. *Coronam*, inquit, *nova nupta de floribus verbenis, herbisque a se lectis sub amiculo ferebat*. Hinc forte illud apud Harmenopulum (5) lib. 4. Tit. 4. de nuptiis Clandestinis, jubetur, ne quis clam coronetur, id est nubat, sed in præsentia plurium. μηδ εἷς (a) μυστικῶς στεφανούσθω, ἀλλὰ παρόντων πλειόνων, *&c.* Lares quoque io nuptiis, felicis eventus caussa coronari, apud Plautum in Adularia Euclion senex docet.

Nunc Tusculum emi & hasce Coronas floreas
Hæ imponentur in foco nostro, lari
Ut fortunatas faciat Gnatæ nuptias.

Ex hoc deoique loco coniicio & manumissionem coronasse, *coronat*, inquit, *& libertas secularis*. Sciens videns volensque, multa prætermitto, quæ addi posseot, ex iis tantum floribus volo Corooam meam fieri. Athenæus, Plioius de Coronis copiosissime loquuntur. Væ tempori! quod in hac commentatorum materia præstantissimum Claudium Saturnium nobis præripuit: Cujus extitisse de

(1) *Magistratus Coronati.*
(2) *Hetrusca Corona.*
(3) *Provinciales.*
(4) *Corona in Nuptiis.*
(5) *Locus Harmenopuli illustratus.*

„ *rea foliis struitur: hinc aureis lemniscis* „ *inornatur, ac mustis unguentis delibuitur, an lacrymis conjugum, & Matrum? fortasse quorundam & Christianorum*. Ut dicat delibuitur Corona „ Triumphi mustis, idest recentibus unguentis, an potius Matrum, & Conjugum delibui dicendum est? Haec „ emendatio lucem dat huic loco, qui „ volet accipiat." Incerta conjectura, dubia undecumque varietas, Auctores inter magna de vera Tertulliani scriptura diversitas; De Casell. nostr. sentent. quid asserendum? Aequus ac doctus judicet Lector.

(a) Est autem latinum: „ Nemo mystice coronetur sed praesentibus pluribus.

de Coronis librum (a) Tertullianus ait, & origines & species nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicui capiti invenias consecratum.

Moris apud antiquos fuisse aurum vel argentum extensa Chlamyde excipere, non cavata manu quod putabatur esse rapientis.

CAPUT XX.

QUI dixit vive moribus præteritis, loquere verbis præsentibus bellissime dixit. At o mores! verba prisca & desita, quæ nec ipsa Evandri Mater agnosceret, diligenti studio repetuntur atque explicantur. Mores vero prisci quibus esse nihil potest purius ac integrius, velut aniles quædam prætigiae, uno quasi ore damnantur atque exulant. Ut antiqua & exculcata verba restituantur haud improbo. Volo ut priscorum orationem gravem & horridam graves & horridi mores consequantur. Nil æque mihi placet ac antiquorum oratio, nil me ex antiquorum libris delectat magis, quam qui ex verbis colligi possunt mores. Puto me auctorem non frustra quempiam legisse, si verba notaverim: At lucrum mihi videor fecisse, si morem aut consuetudinem priscorum aliquam observaverim. Lubet igitur Ammiani Marcellini verba subjicere ex quibus accepi quondam moris fuisse, extensa chlamyde aurum vel argentum excipere, non cavata manu quod esse rapientis videbatur, non accipientis, *industis*, inquit, *quadam solenni die Agentibus in rebus, in Consistorium ut aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum consortio, non ut moris est expansa chlamyde, sed utraque manu cavata suscepit & Imperator, Rapere inquit non accipere sciunt Agentes in rebus* (1) Disertissimus & elegantissimus Poeta, Tibullus in quadam in Elegia cum avaritiam & rapacitatem dominæ insectaretur, dicebat illam cava manu pretium flagitare; ait enim

Illa cava pretium flagitat usque manu.

Hinc quoque apud Aurelium Propertium, ejus nitoris & elegantiæ Poetam fluxit falax ille, & prætextatus versiculus.

Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

Ex hoc, ut puto, more derivatæ sunt hæ proverbiales dicendi formulæ, *ferre sinu laxo, remittere vacuo sinu, in sinum vertere*. Ferre sinu laxo nihil aliud est quam expansa chlamyde. Horatius Ser. II.

——— *nec sque*

Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi.

Vacuo sinu remittere, id est pauperem, inopem & vacuum remittere. Valerius Martialis x. Epig. ad Macrum.

Ibis littoreas Macer Salonas,
Ibis rara fides amorque recti,
Et secum comitem trahet pudorem,
Semper pauperior redit potestas.
Felix aurifera colone terra

(1) *Cavata manu excipere erat rapientis.*

(a) Neque deest litteratorum Commodo multiplex *Coronarum* series Auctorum recentiorum studio in ordinem redacta, uberrimeque descripta: eam prae caeteris X. libris eleganter absolvit Carol. Paschal., cujus ex lectione nihil prorsus de *Coronis* obscurum, eoque in genere plura quaerenti accurate, singula erunt obvia.

Rectorem vacuo sinu remittet. (a)

In sinum vertere, in rem suam vertere est. Sic eruditi accepere hæc Ælii Lampridii verba in Commodo. *Agebanturque omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur.* Sub Tyrannis venire solent judicia. De his ergo Lampridius loquitur qui sub Commodo judicia venumdabant, & in rem vertebant suam. Papinius Statius Sylvar. II. fortunam redire largam sinu dixit, cum prospera contigisset,

Et qua tibi cumque beatum
Larga redit fortuna sinit.

Plinius καταχρηστικῶς in rapinis & furtivis rebus usurpavit, lib. 36. cap. 15. Unde (inquit) *M. Scaurus Pater, toties Princeps Civitatis, & Mariani sodalitiis rapinarum provincialium sinus.*

Hic ego libro Variarum primo finem do, quem digessi in Caselliano meo, hoc tempore, quo pestilentia Arvernos nostros depopulabatur, & Isaurici quidam latrones infestabant. Si te hic liber nihil docere possit, saltem a memoria erit.

FINIS.

(a) Explicamus cum Calderin. hic Mart. *sinu vacuo* intelligentem, *nihil furatum, aut populatum*, & cum Rader. nihil auferentem, praeter gloriam, nihilque praeter illam secum in Patriam reportantem: apposite propterea ad rem dictum pro paupere, ac inope, *vacuo sinu* ad suos remigrare, nempe revisere *Littoreas Salonas*, quae ne immemori silentio, vel oblivione injuriosa praetereantur, additur ex mox laudato Radero. „ Salonae Oppidum esse Dalmaciæ: hoc „ primus caepit C. Cosconius Proconsul „ A.V.C. 674. Ptolomaeus Coloniam „ appellat. Huc deposito Imperio Dio„ cletianus Dalmata Privatus concessit, „ & in villa haud procul Salonis præclaro otio consenuit, ut in Breviario Eu„ tropii lego. Idem Suidas in Diocletia„ no, qui Salonas Urbem Illyricorum „ vocat. Stephanus Salonem Dalmatiae, „ Salonem Illyrici, Salonium Bithiniae „ Oppidum facit. In antiquo Epigram„ mate apud Mazochium P. 28. *Colonia* „ *Marcia Julia* Salona nominatur. Ho„ die tantum Arx ibidem Nigro ponitur; „ lege Appianum & Strabonem. „ *Littoreae* autem dicuntur *Salonae*, ut Strabon. Libr. 7. Maritima Dalmatarum Ora, ipsa quoque *littorea* vocatur.

PETRI GRAVINAE

EPISTOLAE

AD

JO: FRANCISCUM CAMPANUM

COGNOMENTO

DE CAPUA PALENAE COMITEM.

L E C T O R I
BENEVOLO.

F*Aveto linguis; te paucis volumus: Mens tibi nostra, nostrumque consilium in Editione Facis Gruterianae, quoad nostrae tenuitatis est, adornanda, non latent; De recudendo Thesauro Gruteri propositum nobis esse quum apud Siculos moraremur illud praesertim fuit in caussa quod Vir, neque sine honore, neque ingenti sine tristitia nobis nominandus, cujus immaturae morti bonae adhuc litterae illacrimantur, nostri maxime amicus, & Necessarius, Clarissimus, & praestantissimus Joh. Felix Palesius, in Collectionem Gruterianam Operam, ingeniumque contulerit, mediocri non sine fructu, nec absque vulgari eruditione, dum Panhormi apud Nostrates in Regio Collegio Berbonico Siculos Nobiles Adolescentes politiore litteratura imbuendos, excolendosque suscepisset; Consultum hac ratione Juventuti ingeniosae, quae Grutero facem praeferente penitissimas, lectissimasque habuit prae manibus Latinorum Auctorum Opes, Generi quoque Siculorum acuto ingeniosoque consultum, quod una cum Opere Gruteriano ex Siculis hominibus ii sint consociati, quorum exploratis in Rempublicam litterariam merito, ac nomine magna apud omnes existimatio, pretium est summum. In prioribus ut actum est, modo in Quarto Tomo Critici hujusce Thesauri sic agitur: Profertur videlicet Petrus Gravina Siculus, uno & altero Epistolarum Libro, sua conspicuus elegantia, nec non venustate; Te longius haud moramur, Scriptor vel ipse tuos ob oculos versatur, ac de se vel ea prolixius loquitur, quibus ultro nos abstinemus, ne inutilem sermonem molestius patiare vel iniquius. Animo itaque non invito Epistolarum Codicem volens evolve, in quo, inominato sane, imprudenterque, inscitia Typographi complura sunt vitiosa; Absentes quo tempore Volumen evulgabatur citra*

ſcelus inſcii peccavimus, culpam nunc emendamus, nimirum ſuo loco reponimus argumentum X. & XI. Epiſtolae Libri Primi; X. Epiſtolae argumentum XI., & XI. argumentum Epiſtolae X. praefigito; errore ſublato recta Epiſtolae utriuſque eſt lectio; Tua pro ſententia, ſapientiaque, caetera, quae minoris ſunt momenti, abſentiae, quod mox monuimus, noſtrae tribuenda, nitori ſuo apte reſtitue, tuaque labores noſtros, & curas humanitate, benevolentia, voluntate complectere. Vale.

IN-

INDEX
EPISTOLARUM
PETRI GRAVINAE
LIBER PRIMUS.

Nun-

INDEX
EPISTOLARUM
PETRI GRAVINE
LIBER ALTER.

EPI-

Explicit index Epistolarum.

AMI-

AMICE LECTOR

Mendas Typographi graviores per paginas, & lineas, notaque per Epistolarum Argumenta digestas, ut infra, sic emendato.*

Pag.	lin.		
2.	11.	Maee	Meae.
	35.	Munus	Manus.
3.	5.	Vespesianus	Vespasiauns.
	*	ne	ae.
	*	Mintirnosque	Minturnasque
4.	1.	Quaeso	Quaeso.
	*	abdit	addit.
	14.	Meronida	Murronida.
5.	6.	Obleviusculi	Ob leviusculi
7.		ade o	adeo.
12.		loqui	loqui.
8.	6.	e	&
	*	Donus	Donum
		Dicenda	Ducenda
9.	4.	Pollicitur	Pollicetur.
	*	angitur	angitur;
	23.	seriae	Seriae,
11.	6.	Vote	Voto
12.	12.	Injucundium	Injucundum.
	13.	More	Morae
14.		Significatio-nemque	Significationē-que.
17.	3.	Inapertum	In apertum
18.	14.	apparuisse	Aperuisse.
19.	*	Praestat	Perstat.
	22.	Praescripse-ris	Perscripseris.
24.	16.	Foelicitatē-que	Foelicitatem-que.
25.		Literalem	Liberalem
26.	*	Prolusi	Prolusio
29.	*	Servando	Servanda
	1.	Luctosa	Luctuosa
	7.	se	si
	*	amicas	amicus.
31.	8.	acribis	Acri bis
32.	*	devitando	devitandae
38.	8.	Frodentia.	Frondentia
39.	6.	Supraque	Supra quam
		Desaevit	Desaeviit
*		appularent	appulerant
		Uso venire	usuvenire
	14.	Hostia	ostia
		e molem	& molem
	38.	Ex-imis	Ex imis
40.	37.	Furcula	Furculas
41.	13.	Videbat	Videbar

Pag.	lin.		
	17.	Essent	Esset.
	18.	alacriores.	alacriores
		Sine pugna,	sine pugna
	35.	lapidem	lapidem.
	40.	samnium	Samnium
42.	21.	Si	Se
	10.	Repudiatur	Repudiatum
		aposteritas	Posteritas
44.	*	Enasrat.	enarrat.
		ruro	Raro
	21.	Praeste	Praestet
	26.	Promove re	Promovere
45.	*	Donumque totum	Domumque totam
46.	7.	congressus	Progressus
47.		enim	inita
	27.	qnam vis	quamvis
48.	28.	Respondam	Respondeam
49.	26.	examinatus	exanimatus
	28.	Medioorum	Medicorum
		sublevabit	sublevavit
	32.	fortuna	fortuna.
50.		Beatricis, multa	Beatricis mul-ta,
52.	10.	delebitis	Dolebitis
		humilibus	humilius
		est	est viventem
		reprehendit.	reprehendit coram
53.	6.	quot es	quoties
	7.	ille	illi.
	25.	querendum	querendum
54.	31.	praecipere	percipere
56.	22.	perlongiorem	per longiorē
52.	39.	adhominor	abominor
60.	10.	vivete	vivite
61.		reditu	reduce
63.		de sale	Pluribus de sale
	*	laudat	laudat,
		eorum	coram
		Nympharam	Nympharum
		salutatione	salutationes
63.	6.	virtum	virtutum
	24.	quam	quin
66.	19.	Burgia susce-pit	Borgia, susce-pit
67.	6.	patritiae	Patritiae

Prae-

Pag.	lin.		
68.	29.	referendam	referendum
69.	*	Praepoſito	propoſito
	25.	infiéiari	ioficiari
70.	6.	ſit	fit
	11.	in ſuarem	inſuarem
	31.	laudantis ſcilicet	laudaoti ſcilicet,
71.	25.	hiſtoria	hiſtorias
72.	*	occaſione	accuſatione
	8.	conſirmavit	confirmavit.
74.	13.	animum jocatur	animum, jocatur.
	14.	utique	utque
	17.	amor abundo	amorabundo
75.	*	aggreſſit Germania	aggrrſſus eſt io Germania
	*	Curandum hominum	Caveodum hominum fuco.
76.	16.	deſiderentur denique	deſidereotur, denique
	30.	ex ſors	exſors
	31.	diu fateor; dubitavi deberem,	Diu, fateor, dubitavi, deberemne.
78.	*	ejus	ejus,
79.	8.	laternis	lanternis
80.	27.	diſplacet	diſplicet
	30.	intelligere	intelligeres
84.	28.	ſiculex	ſi culex
85.	*	Sermunculis	Sermunculis conviciatur.
87.	19.	ſint	ſint;
88.	*	Iovidos	iovidos retundit.
	20.	gaudialivor	gaudia livor
	38.	alumne, ſpectatiſſime	alumne ſpectatiſſime,
92.	13.	venafragum	vena frugum
	21.	colenie	coloniae
	35.	Non	Nam

Quae ſunt leviores, pro tua ſapientia mendas tumet caeteras expungito.

PE-

PETRI GRAVINAE
E P I S T O L AE
AD JOANNEM FRANCISCUM
CAMPANUM COGNOMENTO
DE CAPUA PALENAE COMITEM.

EPISTOLA I.

Nuncupatoria est Palenio, ad quem non multo post est adventurus.

QUEM potius ducem sequar, quam te ipsum Paleni Regule ornatissime? quem sequuntur Veneres: Charites, Musae, cui tantum visa est indulsisse Natura, quantum cui maxime, qui amaris ab omnibus, coleris, celebraris, cui denique quod olim Tito tribuerunt, hoc tempore aptissime convenit, ut jure dici debeas Amor, & deliciae humani generis: quando quidem noces nemini, omnibus prodes. Haec pauca non adulantes, neque in tuam gratiam scripsimus; sed quod judicium probatum iri ab omnibus putem; si homo septuagenarius, te juventa, ac virtute florentem potissimum sequar. Brevi igitur mi Princeps te post interlunium proximum conveniam: non quod hujusmodi mathematicas superstitiones curem; quid enim ineptius? sed quia nobis quoque, vel invitis, quos aliquid sapere credunt homines, cum pluribus videri sentire necesse est: ut ad declinandas vulgi insectationes, in aliqua re saltem convenisse cum populo videamur. Vale. Pridie Cal. Novembreis, Neapoli.

P. G. EIDEM PALENIO COMITI.

EPISTOLA II.

Laudatoria est Muronii, suique status enarratio.

DIspeream mi Regule, si non visus sum ingredi Thessala Tempe, ubi primum Muronium tuum attigi. Cepit me illico mira Coeli salubritas, laeta incolarum facies, myrteta, oliveta, arbusta, apricitas denique, & Genius loci amoenissimus. Quid quaeris? nihil vidi, nihil circumspexi, quod non oculos, animumque, oblectaverit: Sed supra omnes voluptates, illa me beavit, quod tanta dextərita-

ritate ingenii, tantaque benevolentia ad me rescripseris, ut acceptis tuis literis, bono omine discesserim Neapoli, & in tua regna pervenerim: ubi sub tua gratia conquiescimus; nullosque Fortunae ictus formidamus. Legi mi Princeps quae de me scripseris ad tuae Praefectum domus: Nullus Muroni me ceperit angulus, quin domi tuae sim, & quin sub tua ditione, tuoque favore jam vivam. Nihil mihi te auspice, & praeside deesse potest: hic unus ex tuis subditis non sine Musarum patrocinio vitam duco, de te loquimur hic frequenter, tu nobis materiam bene dicendi suggeris, tu bene vivendi exemplum afferre non desinis: hoc mihi summum decus est, & hoc denique vitae praesidium. Habes jam mace praesentis vitae rationem. Nihil est, quod de me sollicitus sis. Vale. Sexto idus Novembreis ex Muronio.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA III.

Gratus est ex dono ad se misso, officiosusque in Palenium, ejusque Uxorem.

NOn fuit illa, quam mihi misisti Regule Illustrissime dicenda cistula, sed cornu copiae; non continebat in se rerum tolerabilem varietatem, & copiam, sed nundinas: ex qua quidem generosa liberalitare non licebat mihi tantummodo obsonari, sed ampla jam, & luculla amicis parare convivia. Tuae igitur benignitati non solum vitam debeo, quod in Murônio tuo tam bene per te satur, & bene pastus vivam; sed quod sub aura tua, sub istius generosi animi amoenitate, cum dignitate vivam. Accipio omnia mi Princeps eo animo, quo mihi jubes accipienda. Nam quemadmodum velle omnia sine exceptione, esset cupidi, ita renuere aliqua a bono Principe collata esset ingrati: obsequutus sum, ut par erat tuo imperio: veni in aedes vere regias, & honoratissimas, a summis ducibus majoribus tuis constructas, in cubiculum admissus mira apricitate conspicuum: nihil deest ad vitae commoditatem, summamque voluptatem; consuluisti quae tua summa largitas est, tam pulchri muneris varietate, non modo meae saturitati, sed saluti, ut etiam medicamenta adjeceris: quid enim est aliud mittere tragemata, quam destillationi occurrere? Qua per unum diem tantum laboravi. Nunc omni morbo liber atque morbi suspicione, neque enim decebat, nec fas erat tam veneranda limina morbosum hominem ingredi. Plura in me contulisti absens quam praesens debuisses: idque semel, non ter, aut quater, ut visus sis mihi coram dicere (an nescis longas Regibus esse munus?) Tu mihi Rex post hac, tu Numen, tu Paleni regule maximum ad musas incitamentum: cum videam te illis acceptissimum; quandoquidem me senem a musis non abhorrentem lepidissimis latinis literis provoces. Non est hoc exulem esse, sed Aonidum nemus incolere. Ego una tamen ratione tibi gratiam referre possum, si pro te sangui-

nem

nem profundam. Vale. Tibi igitur, uxorique tuae pudicissimas manus exosculor. Pridie idus Novembris ex Muronio.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA IV.

De Vespasiani Columnii obitu est tristis.

DIspeream, si mors mihi hoc tempore esset ingrata: decrepitus vivo, & amicorum, quos amavi semper, & colui, video interitum. Bonus ille Vespesianus Columnius, quantum ad nos tertius Nuncius attulit, intra paucissimos dies naturae concesserit: non incuso fati necessitatem, quae rebus omnibus dominatur, sed vivacitatem meam dixeris, at hoc ipsum ex fato est. Ego vero id potissimum doleo, me in hanc necessitatem incidisse. Vale, & ita te quantum fieri potest, servare debeas, ut ne me in aliquem cruciatum futurum morte pejorem, injicias: Iterum vale, & convalesce.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA V.

Ejus absentiam incusat, venationemque commendat.

QUasi divinares, ita verissime tuis elegantibus literis significasti, tuam istic longiorem moram nobis suspectissimam esse. Paris enim ille Phrygius post raptum Helenae, nunquam suspicione caruit: neque unquam aliquo pedem promoverat, quin lynceos omnes in se faceret, & ab omnibus attentissime observaretur. Dilue igitur, mi Princeps, suspicionem hanc quo citius potes, neque hac nostri erga te amoris longa jam patientia ulterius abuti velis. Vale. Uberrimam venatus tui munificentiam sentio, quamobrem utramque tibi manum exosculor, sed eam potissimum, quae ad externarum avium raptum tam feliciter praedonem impellit. Eo redacta res est, ut vix desiderium tui sustinere possimus. Iterum vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA VI.

Illius consuetudinem, ne in Philocalos, Mintirnosque munificentiam aucupatur.

SI Melle hybloeo, si Saccaro Cyprio, si passo, seu nectare Cretico, vel Panhormitano me muneraveris, dulcedine ipsa, & si qua alia re dulcissima, quae supra dulcedinem mente possit concipi; nihil tamen erit apud me dulcius consuetudine tua. Hanc mihi solam,

queso te dulcissime Paleni servato, per quam habes me jamdiu in tuis intimis. Haec autem dulcia munera Philocalis, & Minturnis ingeniosis quidem juvenibus, ac eruditis, qui nondum in aere tuo sunt, dispensaveris. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA VII.

Ipsius Literarum, uxorisque studiosus, Tranquilli, & Gottifredi abdit officia.

FAcis, ut tuis ad me lepidissimis literis in dies te magis admirer, festivitatem ingenii tui amplectar: quae tanta est, ut saepe mihi vel brevissima epistola omnes moveat voluptates: Inter legendum effusius mihi ridendum est; cumque praesentes in me convertam, statim ex sententia mutare sensum licet, & in alia divertere. Scribe, quaeso, frequentissime: nunquam enim ista amaenitas tua, iste dicendi lepos satietatem pariet. Tranquillus, qui te uniee suspicit, tibi mecum eruditam manum exosculatur. Vale, & uxorem pudicissimam fove. Gottifredus se tuae gratiae enixe commendat.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA VIII.

Ad Columnium non est iturus; De rebus Neapolitanis loquutus, illius uxori est obsequens.

MI Princeps, hoc tempore, quo nil mihi in hac tua Meronida contingere amaenius quicquam potuisset, vivo tibi fautori optimo, & mihi, & Musis in summa animi tranquillitate, ut post pulcherrimi genii contemplationem, quo locus hic insignitus est, nihil ulterius habeam, quod eurem. Quae quidem vitae securitas cum ipsa vita tibi debetur soli: quam vel ob hoc ipsum cupio protendi, ut grati erga te animi mei officia futura sint longiora. Scripsi superioribus diebus è Neapoli ad Vespasianum Columnam, qui me ipsum ad se advocabat, excusans senectutem meam: videbis quid mihi rescribat: unde quid speret, facile eliei potest. Ex literis Tranquilli alumni mei, qui fere presentem rerum historiam texit, quid per hos dies Neapoli actum sit, cognosces. Deus bene vertat. Cupio enim tibi mi domine omnia prosperiora, & ne aliena dissidia tibi negotium facessant. Et si sciam, tibi ex variis locis certos praesentium rerum afferri nuncios, tamen haec ingrata non fuerint. Vale, tibique, & Heroinae Consorti tuae manum exosculor 13. Cal. Decembreis ex tua Meronida. Vespasianus non rescivit adhuc ubi locorum sim, sed brevi sciet, & judicium meum laudabit.

P. G.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA IX.

Habet de muneribus gratias, & a bello hominem dehortatur.

NOn ne satis erat benignissime regule in tam dulce, & amoenum hospitium admitti, ac tot vitae commodis donari, nisi etiam postremo cum petasonibus leporem addidisses, ut me scilicet redderes pulchriorem? Fuit enim haec apud veteres credulitas, ut qui leporina carne vesceretur per septem dies pulcher existeret: puto quia oris habitudo obleviusculi nutrimenti temperamentum fieret venustior. Quae me unquam fortuna adeo sublevaverit, ut meritas tibi unquam possim gratias referre? Qui nunquam ullo meo officio provocatus, tam largiter de me benemereris. Desiste quoeso mi Princeps, mihi enim per te necessaria superabundant omnia, ac noli committere, ut curiosi suspicentur, me magis muneribus tuis, quam virtutibus captum, de te honorifice & sentire, & loqui de me igitur hactenus. De bellis siqua futura sunt, nihil est, quod cogites: Satis enim dignitati tuae, & familiae, quam sustines consuluisti, ut qui sub auspiciis Imperatoris Fratrem germanum ad Cremonensia moenia expugnanda strenue pugnantem amiseris, alterumque natu minimum sub eadem fortuna eisdemque vexillis in militia commorantem retineas, ut nemo sit ex Regni Proceribus, qui plus te ipso praestiterit. Tu familiae caput, sine liberis, ad genus propagandum te ipsum, ac tuos omni calumnia liber servaveris, uxorique pudicissimae ne te penitus subtraxeris: momenta enim temporum multa saepe inopinata, quae desperabantur afferre solent. Adde illud, quod in tuis literis prudentissime tetigisti, ut nemo tam humilis fortunae sit, qui velit inglorius vitam perdere, & sanguinem sine ullo virtutis suae testimonio effundere. Exoleverunt illae civicae, ac murales coronae, nullis propositis praemiis virtus hoc tempore excitatur: utinamque fortiter morientis ratio ad posteros transeat, quibus prodesse possit. Sed super hac re amor in te meus longius provexit. De literis tuis, quibus ad me rescribis, habeo quid tibi maxime gratulter, nam ex nuncio cognovi te illas mira celeritate statim post coenam exarasse, quod te per dignitatem tuam rogo, atque oro, quando tam ultra processisti, ut tam facile, & concinne scribas, ne te ipsum deleras, musas toto pectore amplectere, & ad illam tuam coelestem musicam, hanc quaeso literariam nec inferiorem adjungas. Tibi, & Conjugi tuae concordiss: manum exosculor. Vale. Procerum decus. Nono Cal. Decemb. cis ex Muronio.

P. G.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA X.

Fausta precatur, Ceremonias sacras commemorat, deque ejus in se studio sibi blanditur.

NOn eram nescius mi Princeps, quid sibi vellent illae in tuis amoenissimis ad me literis querulae subscriptiones, ut nunc te exulem, nunc infelicem, nunc invenustum diceres, & quorsum tenderet haec non injusta fortasse conquestio: ita enim me longa aetas docuit, sic variantis fortunae levitas me exercuit, ut minimo quoque nutu, ac signo statim in aliis deprehendam quicquid ipse saepe rebus meis non integris vexatus pertulerim. Sed haec navigantium ratio, ut fere rarissime aut nunquam ex animorum sententia secundos ventos sortiatur, tu, quem scio saepe portum feliciter tenuisse, etiam si extra illum adversa tempestate deprehensus distineris, an desperare debes, secundiore flatu te in eumdem sinum reversurum, unde egressus nunc, & absens impatienter doles? bene spera mi Regule, tibi intermissa, non penitus interdicta commoda cum majori foenore restituentur. Sine frangat se haec praesentis hyemis saevitia, te adibo, qui cum jure optimo relaxes animum, testaturus meam erga te fidem incomparabilem: neque me ita debilitavit senectus, ut etiam stricto gladio, sublataque ad laevam parma non possim tuo adhaerens lateri, aut oppositus adversariis te protegere, aut fortiter pro tua salute, ac dignitate pugnans occumbere. Vale decus meum. Quinto Cal. Decembreis ex Muronio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XI.

Solatur absentem, mox praesens visurus.

SErvatoris nostri Natalis dies Paleni Princeps ornatissime sit tibi felicissimus, quando lepidissimis tuis literis ex laeto me laetiorem, ex fortunato fortunatiorem facis. Est in te vis ingenii rarissima, prudentia non minor: quippe qui optime noris temporum conditiones, quibus non minus te accommodas, quam providus gubernator marinis fluctibus, ac ventorum flatibus obsequitur: nam qui cum hominibus consuescit, ut eorum moribus indulgeat necesse est: praesertim si cum variis conflictatus ingeniis in nulla re prava ejus animus commoveatur, sed servata dignitate, de gradu (ut dicitur) se dejici non permittat. Interfui hesterno die vespertinis cerimoniis, tanto alioqui flamine qui mihi non parum tribuit, operante: cujus nisi spectator fuissem, potuissem videri in ejus nova dignitate Principem incumbentem sacris, neglexisse. Fateor ingenue a quam plurimis dili-

ligi

ligi forte potius quadam, quam ullo merito meo. Nec dissimulo innumeros fere a me etiam coli: nullum tamen nec amicum, nec fautorem habeo quem tibi jure anteponam. Vale. Octavo Cal. Januarias.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XII.

De Piscariae Nuptiis agit, rumoremque de Navarri morte, aegre fert.

NUpsit Piscaria Philippino, ut rumor est. Si audivisses Uxorem tuam foeminam certe primariam super hac re probabiles mille adducentem causas, quibus illa bene nupserit, & quasi viduae patrocinantem Mulieri, ut nihil potuerit afferri in medium aptius, nec copiosius, ut jam ex sententia uxoris tuae probatissimae Piscariam sapienter nupsisse nobis exploratum sit. Multa dies (ut nosti) afferre solet, utinam videamus meliora. Audio Danielem nostrum, nolim tamen in hac re prophetam, audivisse a viatore nescio quo Navarrum decessisse, quod certe ferrem molestissime, lamentari tamen scio esse mulierum, virorum meminisse: mihi certum est etiam meum obitum, si modo tempestive obvenerit, inter munera naturae optima numerare: & non modo in hac re aetati jam grandaevae, sed rationi obtemperare. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XIII.

Se incolumem, illo Auspice praedicat.

VIde quantum mihi exhibuerit benignitas tua, ut his praesertim temporibus, quibus & pestilentiae, & belli suspicio viget, alii infra votum, nonnulli intra votum, ego te indulgente, te praeside supra votum vivam, tibi habê igitur hoc qualecumque carmen, mei in te animi argumentum. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XIV.

Eum ubique sequendi est studiosissimus.

ENnius aestivo Cajetam Sydere adibat:
Scipiadae quoniam grata erat illa suo.
Dulcis erat magno Campania laeta Maroni;
Hujus enim Summus Caesar amator erat.

Ges-

Cesserat in Thuscos Mecoenas forte propinquos;
Servabat Flaccus Principis ora viri.
Sic ego te, veteres imitatus, & ipse Poetas,
Per tua Paleni praedia sponte sequor.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XV.

Conscribendorum Carminum occasionem aperit.

PAleni Regule; amplissimo quovis Regno dignis: vide quo me necessitas adegit tua, e Arcellae ornatissimi in scribendo elegantia; ut cum parem me vobis esse pedestri orarione diffidam, ad carmen, tanquam ad Asylum quoddam confugiam: a quo quidem si vos longe vegetiores me senem tardigradum arcebitis, dabo libenter herbam his victoribus, quos non dubito citra sanguinem, ipsius tantum victoriae gloria contentos fore. Vale tui ordinis decus.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XVI.

Donus versibus prosequitur.

NOn sunt digna tuis Paleni Regule mensis
Haec tibi, quae magno paucula poma damus.
Si excuties animum dantis, potiora negabis,
Quae solet hesperidum nobile ferre nemus.
Sic colimus superos, satis est offerre pusillum
Muneris, & totum te exhibuisse Deis.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XVII.

Ejus literis affectus in re caepta confirmat.

VEL hoc potissimum argumento adducor, te non parum in literis profecisse, quod sentio me tuis epistolis affici, & in omnem, quam cupias partem versari: Itaque non possum non laudare propositum tuum in linea quotidie dicenda, ut etiam manus, ac mens non multa adhibita diligentia suum officium faciat. Sequere incoeptum mi Princeps, & quantum in te est, navare operam contende. Nam quemadmodum qui te praecesserant nunc antecedis, ita & si qui antecedunt, longe post te relinques. Serio loquor, video quo processeris lege, scribe, loquere sine intermissione: socio enim aut comite potius indiges, quam duce. Vale.

P. G.

P. G. PALENIO COMITI

EPISTOLA XVIII.

Obsecratoria est pro Chirurgo illi Subdito.

SI fato tribuenda sunt omnia jure plectitur Chirurgus tibi subditus: quis enim fatum accusaverit? Si nostri fuerit arbitrii, quae a nobis proficiscuntur posse corrigi, tuae mi Princeps erit clementiae cognoscere, & ignoscere. Quam enim pollicitur conditionem, non repudiandam puto: nunquam daretur veniae locus, nisi errarent homines. Quaeso te igitur, audias hominem, & absolvas: cum nihil tibi etiam tui dicant magis esse proprium, quam misereri. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XIX.

Ejus desiderio angitur in re litteraria proficienti gratulatur, nonnulla de rebus publicis, in eundem, Uxoremque officia continet.

LAetitiam pariter, & moerorem afferre solet mortalibus vicissitudo; ita enim natura constituit, ut ne ipsi quidem dies inter se similes decurrant, neque idem status rerum diutius protendatur. Sors, animus, corpus immutatur, nec perpetuo gaudere, nec dolere quisquam potest. Quis me videbat mi Princeps, cum tu hic aderas fortunatior? Cujus ita fruebar contubernio, ut sentirem nihil mihi in vita suavius contigisse. Quid tibi vis, inquies? a vobis abii, ac nihil non commodi abiens, quo uti posses, reliqui. Revisenda fuit Uxor carissima, pudicissimaque. Conchani fidelissimi repetendi, facienda, & his quoque nostri copia, subditis jus dicundum: tibi jam decrepito pepercimus. Quid quod tu ipse fateris necessariam in rebus vicissitudinem? Recte sentis mi Regule ornatissime. Laudo consilium, officium approbo, nihil muto, nihil est, quod culpari possit. Sed nescio quo pacto recurrunt animo suavissimae illae tuae confabulationes, feriae jocosae, studia circa literas felicissima, concinnae compositiones hetruscae, hispanicae, latinae, illae emendatae, ac numerosae lectiones; gallica interim fabulamina, modulationes musicae, ardor pilae, denique conspectus ille tuus augustissimus, quo laeti omnes detinebamur: nostro igitur desiderio ignosce, & totum hoc quicquid est dotibus tuis imputa: cum alioquin ornatissimae literae tuae non mediocre levamentum attulerint: teque non parum jam in studiis profecisse mirifice gaudeo; quem non desinam adhortari ut Ciceronianas divitias amplecti, Terentianam elegantiam exosculari, in hortis Sallustianis frequenter convivari, non desi-

sistas. Vale cum Uxore optima felicissime. De rebus publicis quicquid obvenerit in melius interpretabimur. Strenuam, eruditamque manum tuam exosculor. Crastino die ad propinquum mercatum me conferam: si quid te dignum rescivero, te faciam certiorem. VIII. Cal. Febr. ex Muroniano tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XX.

Nunciat a Ducibus Hadriensi, & Neritonensi, Suardinoque quid acceperit: In eum Uxoremque de more est officiosus.

Conveni apud Casertanas nundinas Ducem Hadriensem, & Neritonensem, qui jam conscenderant equos abituri: me viso substiterunt. Perbenigne exceptus utrumque tuo nomine salutavi: de te honorifice multa utrimque collata, tamquam de Principe viro laudatissimo: & haec publice omnia, fere omnibus nundinariis audientibus. Alterius Ducis filius tibi(ut ejus verbis utar) manum exosculatur caussatus mille incommoda cur te non viserit: dignum certe existimo benevolentia tua: qua qui dignus est, abunde satis dignitati suae consuluit. Sciscitatus ego a Principibus an haberent ex hoc tumultu bellico aliquid novi; nihil aliud certius retulerunt, quam omnia ad pacem potius, quam aliorsum converti: quod tu mihi jam scripseras.

Suardinus noster, quem tua benignitas sibi perpetuo devinxit, idem confirmavit. Deus bene vertat, dummodo tibi quaecumque exoptas mi Princeps obveniant secundissima, mecum perbelle agitur: nisi quod te non cerno, quemadmodum semper video. Vale. Tibique, Uxorique tuae optimae manus exosculor. Sis felix. Quinto Cal. Febr. ex Muroniano tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXI.

Ipsi addictissimus ejus literis mirifice delectatur.

Nihil umquam gratius, nihil compositius, nihil amantius mei legere posterum continget in his tuis vernaculis postremis literis: quibus ego ita me captum, ita persuasum sentio, ut me cupiam perpetuo abs te manu captum fore, numquam manumissum. Quod si Germani olim veteres in aleae usu tanta lucrandi perdendive temeritate ferebantur, ut cum omnia defecissent novissimo jactu de libertate, ac corpore contenderent; & qui victus erat voluntariam subiret servitutem; ita ut quamvis junior, ac robustior, se alligari, ac vendi pateretur; quanto ego justius tibi me dedam in servitutem jucundissimam, tot alioqui beneficiis, onoribus, elogiis, non provocatus mo-

modo, sed exornatus? Et si apud antiquissimos Romanorum: ut in duodecim tabulis sancitum erat debitoris corpus inter creditores dividi licebat: quanto fortunatior servitus mea apud te fuerit, quae tam clementer habita unius cujusque candidam libertatem felicitate antecedit? Tibi habe igitur Gravinam tuum, quem ex sententia, & ex vote tuo verses: nihil enim abs te mihi provenerit, quod mihi ingratum sit futurum. Literas tuas statim acceptas, ac saepissime mira cum jucunditate perlectas tantum abest ut a me amovendas judicarim ut etiam iterum, atque iterum exosculatas in sininistra pectoris parte fovendas reposuerim: neque enim officiosum esse puto, quem tanto amore complecteris, si quid pericli fortuna objiceret, tibi superstitem fore. Vale procerum Decus, & veni.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXII.

Vitae ab illo ineundae consilium: suam de Bellis sententiam, vivendique rationem exponit.

EXplent mihi omni ex parte animum Excellens Paleni suavissimae literae tuae uva conchana dulciores: siquidem in illis, & res, & verba adeo consentiunt, ut prudentia tamen cum elegantia de primatu inter se certare videantur. Ego vero, ne apud te dissimulem, in hoc triumpho, & gaudeo, quod video praesagium de te meum circa literarum studia jam nunc verissimum posse judicari, quandoquidem non cessas legendo, scribendo, quam de tuo ingenio expectationem concitasti, in dies reddere firmiorem. Quod si, ut lepidissime in tua epistola jocatis, putas sperari posse literarum mearum testimonio nomen illustrari tuum, quanto meum (quod cum tua bona venia dictum sit) futurum est illustrius, si posteritas intellexerit hanc senectutem meam Palenio Regulo omnibus virtutibus ornato non parum placuisse? Caeterum mi Princeps ne te obsecro angant praesentia: quibus si te immisceas, nec usui, nec gloriae servias: expectanda est enim rerum occasio: multumque refert, sub quo mereas, quemve tuarum virtutum spectatorem, praeconemque habeas. An pinnatam coronam hoc tempore speraveris, si primus hostilem murum ascenderis? An civicam, si hostem occideris, civem servaveris? Nihil horum expectandum est: quin potius praesto fuerit invidia, quae silentio statim omne praeclarum facinus obvolvat; at haeredum res augebitur. Jam non ultra progrediar: scribo ad sagacissimum Regulum: satis est quod intelligitur. Satius est enim latitare, si temporum ita ferat conditio, quam penitus impensam, & operam perdere recenserem ex veteribus quam plurimos, qui consulto a rebus bellicis abstinuerunt, nec tamen inglorii, perosi tantummodo suorum temporum indignitatem. Sed epistolam, non historiam scribimus. Interim quae tua alacritas est, & secordiam, & segnitiam fugias; nec secundiora desperes.

Magna fieret omnino Caesariani nominis accessio, si Frusino expugnaretur; Pontificiae res imminuerentur. Nam praesidia oppidatim disposita fierent statim infirmiora, sequereturque facilior aliorum dedirio, sed adhuc sub judice lis est: semperque eventus belli incertissimus habitus est. Ego vero ut de me aliquid cognoscas, praesenti temperie, ac serenitate fruor mane, orto tamen sole, pedes ultra Gradillum pagum accedo, illuc usque unde ad Sergianum ascenditur: ibi aliquantisper consisto (aliquid meditans nugarum: totus in illis.) Eadem qua veneram rediens ad puteum Larissium subsisto: puellas saluto lavantes ibi lintea: resalutant non invitae: reverentur enim meam canitiem omni liberam suspicione: cum alioquin faemellae etiam hic omnes aud erint me tibi non injucundium esse. Quaero interim causas Longiusculae cujusdam more cum illis fabulandi, animi tantum gratia: an sit brevis puteus, an perennis aqua, an salubris, quid quaeris? Ad singula mihi optatissime respondent; ut jam in hanc familiaritatem devenerim; ut nunquam illac praeteream illis insalutatis, ad haec puer me sequitur non iscitus quidem, qui priori illi improbo, & jam ejecto successit, quique de re vel honestissima compellatus statim rubore perfunditur: hoc solo utor comite, violas passim legente, nam si adhiberem aliquem alium natu grandiorem, & itineris amoenitates, & studia interturbaret omnia. Est enim sic mihi spatianti Sallustius noster in manibus, cujus prudentiam pariter, & gravitatem, atque in scribendo elegantiam in dies magis admiror. Hac vitae ratione prandeo quidem appetentius, sed non quam soleam, prolixius. Sumpto cibo usque ad solis fere inclinationem domi me contineo: postmodum deambulo per loca omnia, ubi tu tam strenue consuesti malleo pilam ligneam percutere: nec desunt Pancratii nostri problemata, quae me exerceant viri omnino probatissimi, tuique observantissimi, & cui (mea quidem opinione) depositum securus sine teste committas. Scriberem alia quaedam animi laxamenta, quae sine te (non blandior) mihi sordent omnia. Vale felicissime cum Conforte optima, quibus manus exosculor. Quarto nonas Februarias ex tuo Muroniano.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXIII.

Bene valens, bene valere jubet Palenium cum Familia.

Longas vellem condere historias, quoties ad te scribo, cupidissimus adloquendi te per literas, quandoquidem coram non licet: sed mos gerendus tibi est, qui mihi praescribis literarum brevitatem: suspicans longiores literas tuas mihi fortasse molestiam afferre, quasi mihi longius respondendi afferant necessitatem: cum contra cuperem illas ob insitam suavitatem, nunquam desinere. Ecce jam tibi meo Domino, meo Principi, meo Mecoenati obtempero. Bene valeo, & tu cum uxore pudicissima, & Fratre strenuo, & Fideli Familia be-

ne

ne valere: & expectate omnino cum serenitate temporis meliora. Quarto Idus Februarii ex Muroniano tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXIV.

Dominae iturus est obvius.

MEa felicitas facit, ut ego natura ociosissimus, repente negociis obruar: dici non potest quam inopinanter sim etiam impeditus, sed non adeo, ut ab officio discedam: iturus sum obviam Dominae, si hodie ad nos ventura est, tu quaeso Princeps humanissime facias me de hac re certiorem. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXV.

Nonnihil de suis literis, de Seripando, ac de Julii commendatione multa continet, nec non in ejus Uxorem, fratremque obsequia.

SUperioribus meis vernaculis ad te literis, & mortem Julii Falci me acerbe tulisse significavi, & officium commendavi tuum: quippe qui in omni fortuna amicos constantissima benevolentia prosequeris: sic te generosissimum decet: sic tui regii mores exposcunt: adde quod ita apte amici interitum, ita dolenter per literas deplorasti, ut sine motu animi, sineque dolore a me perlegi non potuerint. Sed quando ita jubet necessitas, ut tu rectissime sentis, naturae parendum est. Nos interim citra culpam vivamus, forti animo laturi quicquid obvenerit. Est omnino audiendus Seripandus noster: vel hoc uno nomine, quod tua gratia, tuus aspectus illius dignitatem, existimationem, facundiam auxerit. Dicam illi ex te per literas salutem. Hic Julius, qui has tibi a me literas reddiderit, voluit per me tibi commendari: vel solo nomine tua gratia non indignus, & ob Julium Caesarem, quo nemo major unquam fuit, & ob Julium Falcum, quo nemo tibi carior dum vixit, jure optimo esse debuit. Vale, & vive cum Uxore, & Fratre felicissime. Septimo Cal. Martias ex Muroniano tuo.

P. G.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXVI.

Laudat Scriptorem elegantium literarum, vitae docet consuetudinem, in tres Dominos officiosissimus.

VArie me affecerunt binae literae tuae elegantiae plenae, veluti foemellae quaedam geminae uno partu in lucem editae: pares quidem venustate, sed ingenio, atque natura dissimiles. Siquidem alterae moverunt mihi lachrymas, quasi luctum quemdam de fortuna Vespasiani Principis afferentes, alterae vero miram jucunditatem, significationemque benevolentiae erga me tuae. His ego mi Princeps nil aliud habeo in praesenti quod respondeam, nisi me, & summopere dolere illius Reguli immeritam vicem, & tibi mirifice gratulari: quippe qui eo' felicitatis in scribendo perveneris, ut apte doceas, acriter moveas, & jucunde delectes: atque adeo id prestas, ut ejus animum ad quem scribas, in quamvis partem cupias, flectere, & deducere possis. Scribe igitur quaeso aliquid per singulos dies: istamque tui coelestis ingenii celeritatem torpescere ne sinas. Es enim ita natura constitutus, ut non modo huic studio, sed coeteris quoque occupationibus quantumvis magnis abunde sufficias. Interim expectemus quid nam ipsa dies allatura sit: nec te a complexu Isabellae Heroinae pudicissimae subtrahas, nec a Fratris experientissimo colloquio disjungas: nos vero ita desiderium tui feremus, ut ratio apud nos potior, quam ulla alia cupiditas futura sit. Vale felicissime. Vobisque tribus meis Dominis manus reverentissime exosculor. Sexto Cal. Martias ex Muroniano tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXVII.

Literarum laudem, suasionem ab bellum, in ejus uxorem, & Arcellam obsequium, Joannis Jacobi commendationem persequitur.

EXcitor in dies magis suavitate tuarum literarum: videoque te ad eam pervenisse scribendi elegantiam, ut enixe mihi rogandus sis, ne desistas. De rebus bellicis celerem, spero exitum: si modo illud verum est, nullum violentum esse perpetuum. Tu vero mi Princeps ad communem sortem obeundam te accinge: nemo est enim ex Regni proceribus, qui non praeseferat, ut audio, promptissimam pugnandi pro Caesare voluntatem: de his hactenus. Arcellae meo, sed omnino magis tuo, si modo tecum est, me enixè commendo. Uxori tuae laudatissimae, fratrique concordissimo manus exosculor. Eo me authoritatis tuae gratia evexit, ut tam negare nec audeam, nec pos-

sim

sim quibusdam ex tuis praesertim apud te meum patrocinium, tametsi supervacuum: siquidem tua benignitas ex se ipsa non rogata omnia perficit officia, praestatque boni Principis adjumenta. Commendo tibi igitur hunc Joannem Jacobum: ea tamen conditione, ut & se non destitutum sua spe, & me apud te eum esse sentiat, quem animo conceperit. Vale fortunatissime. Quarto Cal. Martias ex Muroniano tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXVIII.

Scientissimum Literarum extollit, cum Uxore venturum praestolatur, hortatur, ut a Caesare sit.

ITa vivam, mi Princeps, ut jam in arcem facundiae ascendisti: nihil obstat tibi, quo minus per potentissimos eloquentiae campos felicissime decurras. Imples etiam, & praestas illud Horatianum, (omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci:) miscendo seria jocis aptissime. Noli quaeso momentum temporis intermittere, cum tibi ab aliis non omittendis curis pauxillum otii concedetur, quo non aliquid cogites, legas, atque componas. Fac ut ista divini tui ingenii promptitudo semper parata sit. Jam video te omnes fere dicendi virtutes esse complexum: & quod maxime laetor, Authores quos legis effingis, eorumque divitias sine injuria tuas facis. Ex adventu vestro tam propinquo ita exhilaratus sum, ut jam videris me alterum, longeque pulchriorem, quam reliqueris: ut cupiam non modo radi, sed etiam velli. Tu modo cum Heroina tua ad nos propera, nosque facias beatiores. De rebus publicis curato mi Princeps ante omnia, ut Caesar sentiat te sui studiosissimum: nam caetera ipsa dies, & occasio expediet. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXIX.

Viro in se munifico qualis eo absente sit Uxor, ex ejusdem literis, qui afficiatur ipse declarat.

CUi magis debeam quam tibi, nemo est: nam quo magis me urget necessitas, eo magis benignitas tua me ab omnibus malorum nexibus explicat, neque enim pestilentiae metus me terret, cum tua diligentia sim tutissimus: nec rerum penuria opprimit, cum tua charitas supra votum mihi bonorum omnium copiam sugerat: apud uxorem tuam, & ingenii sui mansuetudine, & tua commendatione sum gratiosissimus. Quae quidem si Reginis omnibus esset fortunatior, si tua careat praesentia in summa egestate se vitam ducere existimaret. In causa est immensus amor, quo te complectitur supra omnium amo-

res

res quoſcumque antiquitas extulit. Levarunt me hoc aeſtu lepediſſimae literae tuae: quibus adeo reficior, ut nullum hoc tempore ſentiam levamentum mihi eſſe, aut fore jucundius. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXX.

De Calatinorum gaudio in novi Domini creatione, de ſuis in Burellium, Herculeum, Columnium officiis loquitur, Chriſtophoroque Calatino patrocinatur.

Tota Calatina Civitas in laetitiam, gaudiumque heſterno die effuſa eſt, quod Camillum ſororium tuum, principem virum, numquam a me ſatis laudatum, dominum omni laude praeſtantem ſortita ſit: ſub cujus poteſtate, atque tutela nonniſi vitae tranquillitatem ſperat ſibi conſtitutam. Quanta vis eſt virtutis. Quantumque poteſt bona, quae ex virtute naſcitur, exiſtimatio. Omnis enim ordo, omniſque ſexus, omnis aetas libentiſſime conſenſit, talemque ſibi dare Dominum efflagitavit. Quin etiam purgata, ac deterſa urbe tota, & feſta fronde exornata, uno conſenſu Cives Calatini, & Deo opt. max. & Imperatori invicto gratias egerunt immortales. Scio tibi haec omnia mi Princeps jucunditatem afferre: ea de re ſcripſi libentius. Novi enim quantum Burellio tuo deferas, tribuas, & exoptes: ut unum in duobus veſtris corporibus animum agnoſcam. Interim bene valete felices, & concordes animae, vitamque, & gloriam extendite. Tu vero Paleni, de quo magna ſemper concaepi, ſerva te ipſum: meque Columnio, & Herculeo, & Burrellio Principibus enixe commendabis. Nos hic valemus omnes, tibique manum exoſculamur. Chriſtophorus hic Calatinus dignus eſt tua benevolentia, tuoque patrocinio. Vale. Quarto Nonas Julias ex Muronio tuo quam raptiſſime, tabellario feſtinante.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXI.

Ejus literis recreatur, optat, ut apud Caeſarem innoteſcat, per illum juvandus in Fratrem ipſius praeſefert officia.

Binas ad me dediſti literas, priores ex Concha, alteras ex Sueſſa, tantae jucunditatis, & gratiae, ut omnem triſtitiam, ſiqua ob abſentiam diſceſſumque tuum a nobis animo reſediſſet, penitus illae exemerint: deſiderium igitur tui, quo tenemur, facile hac ratione leniveris; ſi quas omnes tecum extuliſti abiens voluptates, tam ſuaviter ſcribendo remiſeris: & nos quaſi in integrum reſtitueris. Sed utinam mi Princeps, hoc praeſertim tempore ſors aliqua oriatur, quae te tuo Caeſari, ejuſque vicemgerenti, quantum animo, quantum corpore

corpore excellas, aliquando patefaciat. Statim intelligerent homines te talem virum esse, qui non sis in ordinem redigendus, sed qui ordines ducas: ut quod in te defossum est aurum, inapertum profeратur. Quod cum Adriensium Duce tam familiariter agas, potissimum est tuae virtutis argumentum: quippe qui optimum Principem tibi proponis imitandum: quem in omni laudis genere praestantissimum florem, non suo natum tempore, & praedicamus, & agnoscimus: qui si te altius inspexerit (ut est animo candidissimus) facile amplectetur: meque ipsum de te bene sentientem laudaverit. Quibus cupiam principibus per te commendari. Alteris meis superioribus literis ostendi eamdem quaeso operam praestiteris Magdalonio, ac Bovianensi. Caetera quae ad me spectare censueris, tuae in me benevolentiae citra omnem tamen animi tui molestiam, tentanda relinquimus. Vale praesidium, & decus meum. Cura valetudinem: aestum tolera: qui hoc tempore tametsi molestus est, salubritatem afferre solet. Federici Fratris tui manum exosculor: utrique omnia bona cupio. Nos hic benevalemus, tui numquam immemores. Pridie Nonas Quintileis ex tuo Muronio.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXII.

Gratias habet pro testimonio de se redito Viro Principi Vespasiano cujus ad eum literas mittit.

ET quid Vespesianus ad te scripserit, & quid tu ad illum rescripseris, perlibenter legi: visus sum enim in utriusque literis contemplari felicitatem meam: quem ornatissimi Principes certatim amandum susceperint, suisque probatissimis testimoniis ita exornent, ut jam mei ordinis viventium nulli invideam. Haec tamen mihi omnia commoda Palenii mei gratia jucunditas, & in scribendo mira elegantia confirmant. Dii te sospitent mi Princeps, & incolumem ad nos suo tempore reducant: quo diu certe carere non possumus, nec debemus. Dispeream si potuit elegantius abs te Vespasiano rescribi, ut in eo scribendi genere fueris non inferior. Quid ipse ad me scripserit, exemplum accipe: cujus literas erat amoris in me tui non obsignatas, sed resignatas ad me mittere. Ego ad te, si has numeraveris, quaternas ad hunc diem dedi literas: an acceperis, reddes me postea certiorem. Vale; & te ipsum serva. Nos omnes benevalemus. Sexto Idus Julias ex Muronio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXIII.

Sospiti gratulatur, torquetur ejus absentia, doceturque literis ad Vespasianum ab eo datis quid illi sit sperandum. Diligentiam in scribendo suam, Dominae, familiaeque valetudinem, in eundem, domumque totam officia eloquitur.

Quod in Pelignis hoc tempore feliciter agas, omniaque itineris incommnda superaveris gratulor. Speroque tibi isthaec aestiva jucunditatem ac salutem allatura. Nos hic aestuamus anni tempore: sed aestuantiores facti sumus desiderio tui: cujus dulcissima carere consuetudine instar mortis est. De conventu Suessano non potuit per te scribi quicquam exactius, ornatiusque tametsi inter tumultus illa omnia exaraveris. Quid de te in summo ocio, animoque tranquillo sperandum sit. Nec legi quicquam decentius aut accomodatius, quam quae rescripsisti Vespasiano Principi, qui cum futuram tibi summam necessitudinem facilę augurari possum. Par est utrique animus, eadem acies ingenii, unde magnam benevolentiam, atque concordiam conflari necesse est. Interim te nobis omni adhibita diligentia servabis: neque enim ad fati necessitatem reiicienda sunt omnia. Quandoquidem multa sepe interveniunt, quibus nos apparuisse aditum videmur. Quod de te Principe oculatissimo suspicari non possumus. Quinta est haec mea ad te epistola: quod si omnes non acceperis; praesentibus certe difficultatibus imputabimus. Ex quo enim abiisti a nobis nullam ad te scribendi occasionem praetermisi. Ad me abunde rescripseris si valebis. Valet Domina cum tota familia. Ego tibi, & Matri, & Sorori, & Fratri manum exosculor: vobisque omnibus bona exopto omnia. Idibus Juliis ex Murotnio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXIV.

Egregium literarum Scriptorem hortatur ut in proposito permaneat in parvis rebus a labore temperaturum: Neapoli pestilentiam pene digressam monet.

Augetur in dies tuarum literarum copia, & elegantia crescit profectus: eoque (nec certe fallor) deductus es, ut jam cum principibus viris, qui haec profitentur, salva tua dignitate concurras. Sed quid non praestabit, quid non perficiet istius divini ingenii magnitudo? Quam ego non solum laudo, sed admiror. Nam acute inventa ornate complecteris: & quod aliis jure quidem in vernaculis, ac latinis tribuebam, jam video te consecutum. Vivas modo, nec te in-

incoepti pulcherrimi laboris poeniteat: hujus enim literariae militiae vexillum in arce defixeris. Nec praesentia modo, sed futura saecula (non blandior) Palenium meum honestissimis elogiis prosequentur. Hanc venationem exerce huic aucupio incumbas, hic laxare habenas non pigeat: alibi contineas quantum potes. Neque enim decet Regulum praesertim strenuum, in parvis, sed in magnis, & ubi de gloria agitur de salute periclitari: siquidem in omni splendoris vitae actione prius causa, deinde opera spectanda est. Ne in syllaba quidem in tuis elegantissimis literis cespitasti: ut nemo sit dummodo non coecutiat, qui te Ciceroniani alumni personam induisse non affirmet, Vale, & te ipsum quantum potes servato: hoc praesertim tempore quo maxime alteri parcendum est. Nos hic valemus omnes & praesertim domino benevalente, a quo pendemus omnes. Iterum vale. Decimo Cal. Sextileis ex tuo Muronio. Quod maxime te scire cupiebam pene exciderat: Neapolis nulla fere laborat pestilentia: suosque cives jam revocat, illos Octobri mense tutissime receptura.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXV.

Praestat in laudandis literis, monendoque ne iis abstineat; valet cum aliis ejusque desiderio discruciatur.

NOn minus me frequentia literarum tuarum, quam elegantia delectat: nihil enim praetermittas, & quod mea intelligere intersit, & quod te mandare literis conveniat: quandoquidem nihil non prudenter facere, ac dicere consuesti. Quid potuit abs te scribi cumulatius, ornatiusque, quam quod postremis ad me literis de Italiae praesenti fortuna praescripseris? lego, statim sentio me affici, perlego experior me illico commoveri: considero altius, & res, & verba, quamprimum me capit admiratio. Qui tam cito principem virum è mediis jurisdicundi occupationibus, e venatu, e pila, & variis corporis exercitationibus: disertum, & facundum emersisse? Ut jam in vernacula, & latina lingua cum eruditis primoribus contendat? Tu igitur mi Princeps tibi exemplo atque aliis esse potes, quantum praestare valeat vir acris ingenii, si sibi ipse non defuerit: nihilque esse tam difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, ac facilius reddat assidua meditatio. Noli quaeso, si te ipsum diligis, dicendi, legendi, scribendi exercitationem diutius intermittere: sed toto (ut ajunt) pectore elegantiores Musas complectere: neque committas, ut cum longe a carceribus in stadio fere emenso jam cursu metam attingas, tu tibi defuisse videaris. Vale, & ipsum sub isto coelo diligenter serva. Nos hic valemus omnes: sed sine te in his diebus canicularibus, quod loco miraculi esse potest, quamvis non alio morbo laborantes, frigidiusculi sumus. Septimo Cal: Sextileis ex Meronio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXVI.

Incundae vitae consilium, ejus Conjugis Sanitatem, de Neapolitanis meliora complectitur.

MUlta saepenumero aliquid certi destinantibus obveniunt, quae vel addubitare, vel certe mutare consilium cogunt. Ad res tuas obeundas, ac peragendas satis tibi superest prudentiae, ut nec alio hortatore, nec consultore indigeas. Te ipsum amplectere: tecum cogita: te Ducem sequere: ne in tenebris quidem offendes. Quid abs te exigat hoc tempore Burellius Comes, cui tu Sororius es, per ejus literas nosti: quid te deceat tute scis. Discedere ab officio (si modo officium sit) nunquam consuesti: in quo quidem praestando, nec amicum quemquam, nec affinem pateris superiorem. Quodcumque de te statueris, sive in Pelignos proficiscaris, sive in Campania constiteris, consultissime actum putavero. Quae te incomparabiliter amat supra omnium amorum fabulas, honestissima Conjux tua valet bellissime: nos valemus omnes. De Neapoli in dies audimus meliora. Tu mi Princeps vale, & salve.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXVII.

Literarum, locorum ubi agit, Dominique est laudatoria; praestolatoria ejus adventus, officiique in eumdem, uxoremque est plena.

ITa me capit, & oblectat mi Princeps (in quo tibi non possum non maxime gratulari) & facilitas, ac lenitas literarum tuarum, & illarum cursus non sine aliquo concentu numerosus, ut non mihi sit satis eas perlegere, nisi etiam perlegam saepissime; profecisti; atque ita vivam ad finem usque vitae sine injuria fortunae, ut vera praedico, iterum repetam, profecisti. Nec putes ulla re magis scribendi stylum confirmari, & augeri, quam ut facis, frequenti scriptione uti, & cum amicis pulcherrimum hoc certamen certare. Ego quamvis absens, absentem te audio, & video: meliorque pars mei tecum habitat, mecum interim agitur jucundissimè: nec possum hoc tempore alibi jucundius vivere. Lustravi hodierno die hos colles amoenissimos: salutavi pulcherrimum illud tuum Nympharum nemus: contemplatus sum duas illas fossas, immo duo illa baratrha profundissima, habes hic etiam miracula naturae non spernanda: Sed nihil est, quod magis quam te ipsum admiremur, dominum loci, qui hoc tempore his moribus ira excellis, ut inculpatissimam vitam ducas. Ego te Dominum expectabo, tu omnia, ut te decet cum tua summa digni-

gnitate, tuoque magno commodo transegeris. Tibi, & Consorti pudicissimae manus exosculor. Vale. Pridie Idus Augusti ex Muroniano tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXVIII

Elegantes praedicat literas, sua illi placuisse carmina gloriatur, Neapoli, unde pestis excessit, eum videre ardet. Suam, Dominae, unaque aliorum valitudinem, literarum desiderium, cum dorcadibus, ursisque pugnae modum, Jurisperiti literas docet.

QUid sentiam de tuarum literarum elegantia, quantumque peracris tui ingenii indoles non modo spei, sed haud dubii facundiae fructus nobis polliceatur, & coram saepe, & per literas confirmavi. Tu modo ne minimum quidem scribendi tempus intermiseris, nec legendi: multos enim mihi crede post te relinques, quos non posse consequi suspicaris. Ubi igitur exercendi corporis rationem expleveris, ad Musas animum converte, atque ad ea studia, in quibus te palmarium fore intelligamus. Si tibi (ut scribis) mea placuerunt carmina, nihil est quod ulterius quaeram: tantum enim tibi tribuo, ut aliorum judicia non reformidem. Tu te nobis serva, ut possimus tuo conspectu, tua dulcissima frui consuetudine, Neapoli praesertim, quam reliquit penitus pestilentia. Nos ad hunc diem cum Domina valemus omnes, non tui modo amantissimi, sed tui opportuni adventus cupidissimi. Vale, & ut facis, elegantissime rescribe, quamvis raptissime: nihil enim quod abs te proficiscitur nobis injucundum est. Cum dorcadibus, & ursis geras te quaeso cautissime; nam cum exercituum ducibus, quam cum feris animose congredi principi viro, & Regulo pulchrius est. Iterum vale. Quid Jurisperitus ad amicum scribat, legere potes: tametsi haec omnia pervenisse ad aures tuas credimus; XVIII. Cal. Sept. ex Muronio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XXXIX.

Laudes, & luctum in obitu Archipresbyteri Conchani, una simul conjungit; Autumnales dies, ac Palenium manet.

PErmolestus fuit mihi nuncius de immaturo obitu Archipresbiteri Conchani, non minus tua causa mi Princeps, quam sua, quandoquidem videam tibi non parvam a fortuna subductam esse materiam voluptatis, cum tibi ex tot subditorum millibus unum intercaeperit, cujus consuetudine maxime oblectabaris. Erat homo mirae co-

mi-

mitatis, omniumque horarum: ad singulos amicorum nutus ita expositus, atque flexibilis, ut non in plures se rerum formas Proteus Oceani filius (ut ferunt fabulae) convertere consueverit, dum modo benevolis obsequeretur. Mitto tantam domi suae hospitalitatem, quae peregrinis atque omnibus Concham divertentibus semper patebat: mitto alia multa commoda una cum amico extincta: illud praecipuum in homine admirabar, quod coelestium saepissime oblitus, hoc unum ante omnia studere videbatur, tuam sibi gratiam quoquomodo confirmare, etiamsi de salute fuisset ei periclitandum: quod tacere non possum, tantus erat hominis in te amor, tanta observantia, ut omni tempore praeseferret te iratum magis timere, quam Jovem. Doleo igitur mi Princeps tam rarum hominem tale de se nobis reliquisse scribendi, ac rescribendi argumentum. Vale, & te ipso fruere. Nos valemus. Neapolis, ut frequenter audimus, in pristinam valetudinem non autem fortunam est restituta. Expectamus avidissime autumni frigora, & te Principem optatissimum. XV. Cal. Sept. ex tuo Meronio.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XL.

De inscitia duorum non curanda, De amore cohibendo, De ejus literarum laudibus agit.

Deliramenta hujus miserrimi senis ne te moveant Princeps constantissime: sunt enim ejusmodi, ut risum potius movere debeant, quam stomachum: qui cum semel importunus me ad iram provocasset, audivit ea, quae noluit: tametsi inepte, ut solet, quaedam in me retorserit. Nunc quiescimus, & convivimus, ut solebamus. Habet hic infelix in hac stoliditate etiam socium, qui est a sacris: ut nil aliud dies, noctesque cogitare videantur, quam abs te illam disjungere, quae tibi coniunctissima esse debet: sed cum nihil proficiant, eorum inscitiae parcendum: neuter enim (ni fallor) est dignus Caesaris ira. Tu decorem tuum servabis, re ipsa praestiturus quicquid tuae dignitatis ratio postulaverit. Doleo tamen, & quidem vehementer doleo, amores tuos ea forte processisse, ut jam per omnes hos vicos, veluti triticum in aeris ventilentur: quae res nisi in posterum astu provideatur, aliquid dedecoris, & incommodi pariat necesse est. In adventum tuum plura reservamus, qui si quid erit incendii, quod parvum, aut nullum fore spero, facile restinguet. Tu interim te respice, & te nobis serva. Bene vale. XIV. Calend. Sept. ex tuo Muronio. In dies scribis elegantius, maturius, & plenius: eoque devenisti, ut non modo celeriter, quod tuum est, sed etiam in quocumque tumultu aptissime, & quovis animi motu concinne scribas. Vale.

P. G.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLI.

Tranquillo suo, Neapolitanisque sospitibus laetatur: rerum sui temporis historiam, & alia quaedam adnectit: commendat Literarum adlatorem, salutem suam Palenio tribuit.

REvisit me hesterno die Tranquillus noster, & exhilaravit: ex tot enim ingruentibus malis egregium alumnum salvum advenisse laetatus sum, eaque mihi de salute Neapolitana certius nunciasse, quibus si qua erat in animo suspicio penitus deleretur. ita ut dulcissimam urbem non modo peste, sed pestis quoque suspicione liberatam nobis persuaserit. Ex quibusdam etiam proximis literis Vespasiani Principis Columnii ad Suardinum, haec attulit. Idibus hujus mensis Marchionem Vestinum, & Musettulam a praeside Romam missos, nil aliud curaturos, nisi ut hic Caesaris exercitus, qui Romae continetur, in Insubriam proficiscatur. Sunt enim certi Nuncii è Genua, Gallos ab Alpibus in Italiam descendisse Duce Lutrechio, cum non negligende equitum cataphractorum numero, ac peditum Helvetiorum decem millibus. Mediolanensium Dux jam in campum devenerat cum Venetorum militum delectu: cui Antonius Levius Caesarianus se opposuerat. Erat praeaterea Petrus ille Navarrius jam in agro Astensi: cui viro tantum tribuo, ut magnum ex hoc Duce existimem fortunae bellicae accessisse hostibus incrementum. Adversus hunc curare dicitur nescio quis ex Comitibus illis Insubribus Sansecundi. Nostri in Gallia Cisalpina jam parata educere in praelium possunt peditum decem millia, quos audacia, ac robore his Romae populatoribus non putant inferiores. Caesar audito Borbonii Ducis obitu sibi Vicarium delegit Ferrariae Ducem, cui praeter regni Neapolitani, ac Siculi jurisdictionem, totius rei bellicae summam in Italia permisit: ipsiusque Ducis Legatum constituit Orangiae Principem, tertiumque tamquam veteranum, Alarconem Ducem Hispanum adjunxit. Antonio Levio delegatum est Mediolansium regimen. Protonotatio Caracciolo magnum Literarum magisterium. Abbati Nangerio quaestura; sed hic, & quaesturam, & caetera omnia nuper Romae moriens reliquit. A Gallia, & a Britannia nuperrime sunt oratores ad Caesarem, qui (ut mea fert opinio) aut aliqua pacis jecerint fundamenta, aut classicum cecinerint. Dices alterutrum omnino futurum esse: at hoc medium esse potest, ut bellum diutissime incruentum protrahatur: quod certe brevi conficeretur, ni Germanorum impetus, ac inhumanus furor ignavorum mentibus tantum formidinis iniecisset. Joanhieronymus Columnus Marcelli filius, decem dies ab hinc Fregeliis febre extinctus est. Gregorius ille tabellio insignis jam vivit. Sed audi mi Princeps rem miram. Hujus catulus forte carnem pastus erat cujusdam insepulti hominis pestilentia absumpti: domum rediens filiolis ipsius tabellionis, a quibus saepe frustilla panis solitus erat accipere, adulabatur;

ample-

amplexabantur invicem catulum miserrimi pueri: tandem ex illis, quatuor (erant enim sex numero) intra quatriduum extincti sunt. Vide quantum in hominibus, & casus, & natura dominantur. Salvatorem hunc, qui tibi has meas reddiderit, non vulgariter tibi commendo. Vexatur a fortuna: cujus injuriae saepe bonus Princeps, qualis es tu, mederi potest. Vale. Nos valemus. Decimo Cal. sept. ex tuo Muronio. Tranquillo demandavi, ut si quis curiosus de me aliquid scrutaretur, ita responderet: me peregrinum in tuis praediis, sub te benigno Principe, nec annonae, nec pestilentiae, nec bellorum in hoc anno infortunatissimo quicquam incommodi pertulisse. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLII.

Multis hominem eruditissimum praedicat.

Vide quantum conferat studii pertinacia, frequens, & erudita lectio, scriptioque assidua, & fere quotidiana: ut jam de fati quaestione difficillima cum senioribus disputes, & eleganter philosopheris. Adjungis etiam haetrusca carmina lepidissima: quae me ita ceperunt, & oblectarunt, ut centies una cum eleganti epistola perlegerim. Assecutus es mi Princeps dotes ingenii non vulgares: & assequeris in dies uberiores. Deprehendo enim in tuis literis miram facilitatem, felicitatemque perge modo, & quando in arcem pervenisti, in ea quaeso consiste. Nec desinam de te id ipsum augurari, ut haetruscum carmen, quam facillime prastas, eadem te Musarum gratia latinum brevi praestiturum. Vale. Emoriar, ut mihi ingentem risum excusseris, ubi primum legi in Pancratium ineptissimum execrationes. Vale iterum felicissime nostri memor. Nos valemus. Septimo Cal. sept. ex Muronio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLIII.

De avibus una cum Domina in coena gustandis habet gratias; cum Gottifredo magna ex parte voti compote patienter, ac benevole ab illo vult agi; Praestantissimo scriptori Literarum Ciceronem committit, suadetque, ut ingenium, corpusque exerceat.

Externas aves aucupii tui felicissimi duas accepi, de quo quidem apud me amplo beneficio tibi manum exosculor, gratiasque habeo immortales. Incorruptae sunt delatae, ut quae ab incorruptissimo ac generoso animo missae sunt. Illis hodie in coena cum Domina vescemur: apud quam sua insita benignitate factus sum gratiosissimus: ut non minus mihi prospiciat, quam tu, cui vitam debeo.

Got-

Gottifredo per literas meas abunde ſatisfactum eſt : qui jam intelligit, & agnoſcit egregiam tuam erga ſe voluntatem. Dignus eſt omnino benevolentia tua : atque etiam cum ſua (ſi quam habet) moroſitate ferendus, & amandus. Tu mi Princeps adeo in ſcribendo excellis, ut non modo mihi mira elegantiae felicitate reſcribas, ſed mecum etiam felicius diſputes, ut quem validiſſimis quoque rationibus convincas: videriſque, & in phyſicis profeciſſe, poſtquam tibi inter phyſicos per hos dies verſandum fuit. Sed ne mentiar, totum hoc Ciceroni acceptum referre debes, quem (ſi te amas) nunquam ſinas abs te divelli : eaque numen illud eloquentiae pietate proſequaris, qua Aeneas, qui feſſum aetate parentem ſuis humeris dicitur ſuſtuliſſe. Vale, & ingenium, ut facis, cum corpore exerce, noſtri memor. Quarto Cal. ſept. ex Moronio tuo.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLIV.

Literalem effert, urgetque ut adventum maturet.

AMantiſſimi dignitatis tuae dici non poteſt, quantum ceperint voluptatis ex liberalitate, qua in Coſmum cubicularium tuum nuperrime uſus es. Malum eſt enim ſub eo Principe vivere, ſub quo nemini cuiquam conceſſum ſit; ſed multo pejus ſub illo, qui cum nihil commodi in quempiam conferat, peſſimum paſtorem imitatus miſerrimas oves non modo tondet, ſed deglubit. Tu vero Princeps candidiſſime nullam de hac re calumniam times : qui verae liberalitatis rationem ſecutus, non de rapinarum manubiis quemquam ditare conſueſti, ſed de tuo in illum conferre beneficium curaſti, cujus diligentia, fides, taciturnitas tibi jamdiu fuerant ſpectatiſſimae. Vale, & ad nos anhelantes conſpectum tuum propera. Octavo Idus ſept. ex tuo Muronio.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLV.

Eloquentiſſimi viri Principis amore, proximoque adventu oblectatur, Tranquilli ſcriptionem offert videndam.

AMari abs te Principe, qui tot virtutibus, quibus ornatus es, elegantem quoque facundiam adjeciſti, inter rariſſimas felicitates numerandum puto : amor enim erga me tuus id mihi affert commodi, ut alii quoque tuo illuſtri exemplo admoniti de me bene ſentiant, & loquantur. Quantum igitur ob id ipſum tibi debeam, tu ipſe judica. Reſpiravimus omnes, ubi audivimus adventum tuum ad nos appropinquare. Quis enim poſt tempora nubila, & longas pluvias, ſolis radios non expectet? Veni igitur mi Princeps, veni, noſtraque gaudia

noli quaeso remorari: neque committas, ut properationem tuam potius Pelignis nivibus, quam comitati tuae acceptam referamus. Hoc tamen non praeteribo, tantum me tuarum literarum elegantia oblectari, ut vel hac una ratione absentiam tuam quam caeteri, patientius feram. Vale, & quae Tranquillus ad me rescripserit, vide. Sexto Idus sept. ex tuo Muronio.

P. G PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLVI.

Literarum laudes, de Dorcade gratias, pugnandi cum Ursis modum, de Patrui casu dolorem, Camortiae nomen edocet.

TErnis tuis literis, quas mihi Julius Cursor tuus abs te reddidit, mirifice sum delectatus; video enim te tantum in latinis literis profecisse, tantumque in scribendo praestare, ut jam texere historiam possis: nec modo latinitatem assecutus es, sed etiam, quod me maxime capit, miram in scribendo venustatem: ut si fieri possit, nil aliud abs te exigerem, nisi ut in dorcadum difficillimis venationibus, in folliculi sudore, in equitatione, in coena, in omnibus denique actionibus semper latine scriberes: & ut rem etiam ad summum perducam, in lecto, in somnis scribere etiam somniares. Dorcas ipsa, quam fueras venatus, mihique pro tua immensa erga me benignitate destinaras, ac si ad me pervenisset, fuit gratissima: Erat enim illa non modo significatio tui strenui laboris, sed etiam (ut eleganter scribis) locorum, in quibus hoc tempore commoraris, asperitatem suam testantium. Cum Ursis, quaeso te mi Princeps, non minus caute quam audenter agas: teque ipsum honestioribus certaminibus serva. Hic valemus. Doleo vicem tui patrui, viri omnino insignis: utinamque ita vivat, ut de illo ad me in tuis literis elegantissime perscripsisti. Nam illud *quod*, quoties reddit causam, & pro *quoniam* accipitur, non modo non refugiendum, sed avidissime in literis reponendum. Patruo si vixerit, me commendabis. Camortia vulgo, graece dorcas, latine caprea, quae alio modo fera capra nuncupatur. Virgilius in quarto (Ecce ferae saxi dejectae vertice caprae decurrere jugis). Dorcades a Graecis dictae sunt, quod acutissime videant: a latinis caprae ob caprarum similitudinem. Tibi strenuas manus exosculor. Quinto Idus sept. ex tuo Muronio.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLVII.

Ad carmina in ejus Sororii Ferdinandi obitu est prolusi.

PYrrus Epirotarum Rex ter aut quater cum Romanis acie conflixit. victus postremo, & ab Italia fugatus in Graeciam navigavit: ubi cum

cum Argos oppidum vi coepisset, illud ingressus a vetula quadam aegre ferente sortem patriae, dejecta è tecto tegula in capite ictus interiit. Hanc ego occasionem nactus, exitum Ferdinandi Sororii tui antepono tamquam feliciorem. Hoc est hujus carminis, quod in gratiam tuam compositum est, argumentum. Scriptor quisquis est, frustra laborat, nisi facta dictis exaequaverit: ut apud Sallustium tuum potuisti facile admoneri.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLVIII.

De Ferdinandi morte.

O Cui conlatis bis, terque affligere signis
Romanas acies bellica palma dedit:
Et cui post captum vetulae implacabilis Argos
Divisit medium testa cruenta caput:
Quam cuperes te morte tui gentilis ademptum
Pyrrhe ferox, simili sorte obiisse diem.
Te vetula, hunc Regis pugnantis dextra peremit;
Tu tegula, hic magno strenuus ense cadit.
Ad Ticinum validis dum miscent praelia turmis
Gallorum hinc Regis, Caesaris inde manus.
Tu Rex dignus eras dextra decumbere Regis,
Hunc docuit Regni sceptra tenere tui.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA XLIX.

Suam incolumitatem ei refert acceptam.

VIde quantum mihi exhibuerit benignitas tua, ut his praesertim temporibus, quibus & pestilentiae, & belli suspicio viget, alii infra votum, nonnulli intra votum, ego te indulgente, te praeside supra votum vivam. Tibi habe igitur hoc qualecumque carmen, mei in te animi argumentum. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA L.

De suo illum ubicumque sequendi Studio.

ENnius aestivo Cajetam sydere adibat:
Scipiadc quoniam grata erat illa suo.
Dulcis erat magno Campania laeta Maroni:

Hujus enim summus Caesar amator erat.
Cesserat in Tuschos Moecenas forte propinquos:
Servabat Flaccus principis ora viri.
Sic ego te veteres imitatus & ipse poetas,
Per tua, Paleni, praedia sponte sequor.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LI.

Explicat cur ad illum non venerit; Chirurgum vult a se removeri.

IVissem ad te hoc mane, mi Princeps, quod nihil facio libentius, nisi importunus imber offluisset. Sed misereat quaeso te Gravinae tui, qui cum nullo laboret vulnere, nullo crucietur ulcere tamen quotidie a Chirurgo conficitur: & quod me magis macerat, dum me validum vident amici, nec unquam a meo latere chirurgum divelli, in his praesertim temporibus ac perditis moribus, suspicantur me occultiori aliquo morbo vexari, oro te igitur mi Princeps, si me amas, & chirurgum a me dimoveas, & me ipsum hac infamia liberes. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LII.

Declarat qui Priori aegroto praesto esse debeat, Pelignorumque vicissitudine ferre constanter.

LAborat pituita Prior noster Carthusiensis: non tamen sine Spe recuperandae pristinae valetudinis. Curatur a tribus medicis non imperitis. Si judicium meum expectas; non despero, quin visuri simus incolumem. Tu interim quaeso Princeps humanissime mitte aliquem ex tuis, qui hominem ex te visat, & salutet. Postquam e colle descendi, audivi certos esse nuntios de multis Pelignorum oppidis, quae jam venerint in hostium potestatem. Timeo non sine summo dolore, non modo cineribus Nasonis tui, sed oppidanis tuis Paleniis. Tu vero, ut fortem virum decet, immo ut jam tibi insitum semper intellexi, constanter feres, teque cuicumque fortunae accomodabis. Vale.

P.G.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LIII.

Solatur tristem, eruditque de vitae ratione per ejusmodi tristitiam servando.

SChedula certe tua multis de caussis mihi fuit luctosa, sed eo magis quod tibi Principi jucundissimo justissimum moerorem praesentis fortunae iniquitas affert. Sed quid aliud agendum, nisi (ut dici solet) in tempestatibus fortiter clavum teneamus? Vide quam parvo temporis momento humanae felicitates (si modo aliqua est inter homines foelicitas) convertuntur. Tibi vero, mea quidem sententia, nil aliud hoc tempore convenit; nisi certiorem nuntium expectare, se penitus fuerit deploratum in promptu erunt officia, quae peragenda sunt: si melius (quod Dii faxint) evenerit laetabimur. Sed timeo climactericum. Interim destinendi quicumque Nuntii hos rumores Muronium afferre possent. Vale, & te ipsum cura. Cras mane te conveniam, cui manum exosculor, & exopto meliora.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LIV.

Amici aegroti statum, amicas alter quando invisendus, vitae genus per hoc tempus tenendum enuntiat.

NIhil tua schedula elegantius, dummodo Carthusiensi nostro bene potius, quam male ominata sit. Si hausta potione non habuerit se meliuscule, de amico actum puto, quo extincto magnam certe jacturam faceremus. Sed querelae quid prosunt? Dixerunt veteres, Deos etiam ipsos necessitati subjacere. Amicus alter non est hodie pransurus domi. Cras summo mane conveniam. Vale: & te malo tuba quam tibia commoveri, in hoc praesertim tumultu, qui neminem saltem animo otiosum esse patitur. Iterum vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LV.

De se, suisque rebus est tota.

COnveniendus est mihi Minturnus, ut quid consilii captet, intelligam. Ego enim ad hoc aetatis perveni, ut tamquam Delphin Thynnos in caetariam inducam. Adeundus Gottifredus, cui me expurgem, cum apud eum, ut cupiebat conviva esse non possim. Vult me comitem Cardinalis Neapolitanus hora vigesima ad obsides sta-

flamines. Negare non audeo: esset enim subrusticum, & mihi insolens: quando mutuis officiis benevolentia continetur. Ecce, ego ille omnium solutissimus, factus sum obligatissimus. Sed hoc me plus angit, quod te adire non possum. Tu autem id ipsum parvisceris. Dux enim, qui Papyrios cursores secum habeat, Claudios non curat. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LVI.

Eximias scribentem literas magnificat, Dominaeque solatio invitat ad reditum.

TUarum literarum mira jucunditas nos omneis tua moerentes absentia reddidit laetiores. Nam ubi te incolumem cognovimus istic non insuavem vitam ducere, respiravimus. Scribe mi Princeps, atque rescribe, & (ut facis) elegantiores musas amplectere: nam in albo doctorum procerum non adnotaberis modo, sed etiam brevi inter primos adnumeraberis. Jam in hanc incidisti necessitatem, ut te ipsum in bonarum literarum studiis longius promoveas: quando, & Hadriensium Dux vir summus, & caeteri, qui elegantioribus studiis inserviunt, hoc de te sibi pollicentur, ut Musas habiturus sis indulgentissimas. Domina sine te nunquam laeta est, cogitabis igitur cum tempus anni patietur de reditu: Sic enim nos omnes beaveris. Vale.

P. G. PALENIO COMITI.

EPISTOLA LVII.

Illius laudandi ratio est.

EX carmine cognosces, quibuscum te contulerim: & quatenus veritatis ratio passa est, pene fecerim superiorem. Quid enim officii pietas mea adeo cumulatum tibi unquam praestiterit, ut non restet semper aliquid, quod debeat cumulatius? Si quaeris quid de his versibus sentiam, nisi me foeturae nostrae amor decipit; videor, si cum illis alteris comparentur, quasi gemellos genuisse. In his vero, ut in aliis meis omnibus excutiendis non tam benevolentiam tuam, quam censuram requiro. Vale.

DE-

DE PALENII FORTITUDINE.

EPISTOLA LVIII.

Fortem hominem plurimi ducit.

ILle sui domitor congestis Scaevola flammis
Torruit errantem Rege pavente manum:
Et Marius varices immoto crure recidit,
Absque tamen gemitu victus uterque dolor.
Quid jactare duos juvat ambitiosa vetustas?
Unus erit noster, nec tamen ille minor.
Qui ferrum flammasque tulit patientius, & qui
C us laniandum acribis medico exhibuit.
Par tribus haec fuerit constantia, gloria dispar,
Unus enim gemino vincit honore duos.
Nam quod in his robur semel illud grande refulsit,
Hoc bis Paleni clara Juventa dedit.

FINIS LIBRI PRIMI.

PETRI

PETRI GRAVINAE
EPISTOLARUM
LIBER ALTER.

P. G. TRANQUILLO GRAVINAE SUO.

EPISTOLA I.

Cautiones commonet.

UNDE quaeso didicisti, ut causa incognita, incognito etiam juveni absque ulla absentis depositarii venia, nullo chirographo depositum redderes? oppigneraverat revera mihi Lucanus ille Juvenis quosdam Libros tribus nummis argenteis, quos abs te parum circumspiciente, ne dicam imprudente dolo abstulit. Convenit me domi postridie, & veluti sibi conscius coepit statim causari nescio quid, & errorem potius fateri, quam culpam. Exarsi ego in illum contumeliis, atque conviciis, ut par erat, tua potius causa, quam mea: dolebam enim, & te ab illo deceptum, mihique occasionem liberalitatis praereptam fuisse. Erat enim in animo libros reddere, nec nummos reposcere: quos mihi renuenti lachrymans obtulit. Quod autem ita evenerit, lucrum existimavero, dummodo tu inposterum fias cautior. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA II.

Alienae fraudulentiae devitanda est Auctor.

FActus es venator murium: nec injuria: quandoquidem, & libros, & vestes, & edulia, & ingenii foeturas erodunt. Sed cave, ne majori tu muscipula capiaris; unde tibi liber regressus non detur. Quoties auceps, dum capiendis avibus nimium intentus est, calcato aspide demorsus interiit? Quoties piscator dum hamo captum piscem pronus e mari extrahere studet, in mare devolutus vitae periculum adiit? Quare te hortor muscipulae nostrae inservies, & alienum devites. Innumeri sunt hominum doli. Vigilandum semper est; multae enim insidiae parantur bonis: quas tamen eludere summum operae praetium est. Vale.

P. G.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA III.

In aegrotantem Amici filium jubet esse officiosum.

TRanquille illud est omnino vegetum ingenium, quod multa, & fere omnia circumspicit. Hinc mirantur Caesarem variis argumentis eodem tempore amanuensibus plura dictasse. Tu is es, quantum dispicio, qui ubi libros evolveris, caetera negligenda existimes. Laborat gravi morbo Decius Gothifredi Filius non tamen deploratus a Medicis. Visi adolescentem, & bene spero. Sine nota utriusque nostrum fieri non posset, nisi tu quoque fueris officiosus: atque eo magis, quod ejus mater de te satis amanter sciscitata est. Scis te aliquid illi Familiae debere: nec posses tu me hujus rei conscio justam inscitiam causari. Vise igitur relictis rebus omnibus aegrotantem amici filium, & te civiliorem praesta. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA IV.

Prolis adolescentis est commendatitia.

TRanquille ex facie hujus adolescentis concipies quantum illi tribuerit natura; ex habitu, quantum fortuna ademerit. Cupit augere cultum ingenii, sed industria sua sibi victum, ac vestitum quaerere. Is est, qui commode potest unum vel duos pueros instituere. Siquem habes ex tuis nobilibus, quos tibi obligasti, cui hic adhaerere possit, curato illi, & vitae commoditatem exiguam, & mercedulam. Tibi omnia referet accepta. Dignus est, pro quo aliquid laboris vel sola humanitatis ratione suscipias. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA V.

Herbas acetariis idoneas ab illo petit.

TRanquille nescio qua appetentiae novitate stomachus sibi hodie acetarium cupit. Si igitur tibi non ex anni tempore, sed ex diligenti irrigatione supersunt adhuc herbulae, quaeso ad me tantillum ex illis mittas, quae quidem mihi supra caeteras teneritudine placuerunt. Quod si penitus exaruerint, sortem meam pariter & ignaviam tuam, seu potius te alias res agentem incusavero, qui attentius oppositam fenestram, quam moenianum tuum curaveris. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA VI.

Ei de Fortuna secunda gratulatur, infortunatum Montanum deplorat.

INfelicem Montani horoscopum amicorum diligentia corrigit: ita cum Batone illo constitutum est, ut Montanus remigret patriam, expectetque Baronis literas in Lucaniam profecti eo confirmato animo, ut Montanum secum omnino habeat, cui pro stipendio triginta nummos aureos quotannis erogabit. Video communis amici sortem duriusculam: quam nescio a Coelo ne, an a moribus, qui quidem mali non sunt, acceperit: sed an omnia ad Coelum referamus? quid ni? cum ejus circumflexu tegantur cuncta, motuque omnia moveantur? Tu tamen tibi gratulare, cui tanta est Astrorum indulgentia, ut inter fortunatos hoc tempore habearis. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA VII.

Secum, unaque cum amicis ad genialem diem agendum invitat.

HEsterno die convenit me domi noster Scipio: constituimus diem solis in quodam suburbano Albii alumni sui extra cryptam Neapolitanam rusticari: non tamen sine te, quem Nemesis, vel invidentissima non odit. Afferam ego panem siligineum, duas anseres, & vini oenophorum non acescentis. Scipio non erit asymbolus; nosti hominis diligentiam. Haec tamen ad te, ut admoneam, non ut urgeam; quaecumque ego collaturus sum, tecum sunt communia, ut caetera mea omnia. Reliquum est, ut te ipsum his deliciis serves, & equum, vel mulum, quo veharis tibi quaeras. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA VIII.

Diei genialis locum, & tempus designat.

TRanquille mutavimus consilium cum Scipione. Nosti hominis maturum ingenium, nec longus pulvis, nec aestus vexabit nos die crastino, nec crypta subeunda, nec somni quies minuenda, nec regressus molestiam afferet. In suburbano, quin potius in suburbio Baldasini insignis viri, quod est in via Capuana prope Divi Antonii Templum rusticabimur. Tanta est viae commoditas, tantum compen-

pendium, ut me solum equitem propter aetatem facere conveniat: Nihil est igitur quo solicitus sis, nisi ut sumpta penula ortu jamdiu sole nos convenias. Hanc tamen hilaritatem Scipioni nostro acceptam referemus. Diem tibi genialem polliceor. Vale. Domi tertio Idus Majas.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA IX.

Rogatio est, ut ad se quaedam carmina mittantur.

TRanquille cupio videre longo post intervallo carmina illa hexametra ad Prosperum Columnium, quae recitavit Petilius. Quaeso apposito signo, mitte ad me libellum, ut revideam, & rescribam. Tunc enim mirifice placuerunt. Nunc (ut ille ait) refrigerato inventionis amore maturius expendentur. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA X.

Commodato Ciceronis Orationes rogat.

TRanquille ni fallor, dixisti mihi alias abs te emptas orationes Ciceronis: quae si apud te sunt, ad me quaeso per hunc puerum transmitte: rimaturus sum enim locum quemdam in tertia actione in Verrem. Si non habes, quaere in bibliotheca Suardini nostri, curaturus ut per biduum ad me sint: quo exacto, eadem fide ad te codicem remittam, qua acceperim. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XI.

Rerum fatum insectatur.

TRanquille qui diutius vivunt, miram fortunae varietatem testari possunt. Ut alios omittam, ego ipse eo deveni, ut tu alumnus spoliatum me vestias. Nec moleste feram etiam si me famelicum saturares, dummodo mea nulla culpa sit. Sed statim mihi objicies solitudinem, quae hoc tempore omni contubernio ac societate est melior. An putas quemquam hodie admitti posse, cui tuto confidas? Quid ergo? Nihil proderit diligentia, vigilantia, solertia? Quid ni? proderit; sed his omnibus (mihi crede) vis fati dominatur. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XII.

Suadet ut accipiat sudariola.

TRanquille si mecum certas charitate, cupio vinci: volo enim te fieri meliorem: sin muneribus dandis, non patiar: quandoquidem qui pauperior est, & largitur, foenerator potius censetur, quam liberalis: satis enim (ut lepidus poeta testatur) liberalis est pauper, qui diviti nihil donat. Nisi igitur sudariola recipias, in eam suspicionem veneris, ut captator fias: tametsi sperem te mihi non modo literis, sed etiam in fortunis haeredem fore. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XIII.

Aegyptium librum ad se mitti postulat.

TRanquille mitte quaeso per hunc scitulum puerum libellum illum Aegyptium a Comite Hieronymo tibi dono datum: succurrit enim mihi nescio quid ibi animadversum, quo indigent Equites quidam Cupidinei in futura hastatorum concursione. Facessent enim negocium mihi, quem opinantur nec literariae rei, nec militaris inscium, ego vero ita sum animatus, ut servata dignitate omnibus sim placiturus. Vale.

P. G. TRANQUILO.

EPISTOLA XIV.

Hetrusci sermonis commodo ei librum tribuit.

NUdius tertius significasti mihi, te cupere in Hetrusco idiomate exerceri. Et nescio quomodo te suppuduit ob insitam modestiam, a me librum petere: quasi mea omnia non sint jam tua. Quare tibi habe, & in primis orthographiam observa: mirifice enim brevi proficies. Vale.

P. G.

P. G. TRANQUILLO SUO. S.

EPISTOLA XV.

Suum Romae statum, Tranquilli ex literis laudem, Amicorum, Scipionisque imprimis salutationem, commendationemque, literatorumque hominum Infortunia continet.

TRanquille Fili salve. Haec non scriberem nisi ad te. Non minus placui Romae hoc tempore edentulus, quam olim bene dentatus: & Summo Pont. & Flaminibus plerisque mire gratus & frequens apud Flamines conviva, non tamen coenipeta, sed provocatus, invitatus, & efflagitatus: ut etiam nonnullos offenderim, quos non adierim: tibi volo haec esse nota, & quia scio te libenter mei animi affectus indui, & ut exemplo meo ad virtutem, & ad facundiam, quam jam amplexus es, exciteris. Sed haec coram brevi, ut spero uberius. Legi suavissimas literas tuas Saliceto, qui tunc aderat eum mihi redditae sunt. Laudavit vir ille gravissimus, & de te non parvam spem animo concepit: Legi triduo post Marcelli Columnae, cui ob laetitiam de Camillo Filio lacrymas elicuisti. Perge ut coepisti. Ego postquam allocutus sum Pontificem Max. Leonem, paucis interjectis diebus duos dentes superiores Romae facundiae, ac suadae medullae consecravi. Factus sum macilentior, quia vigilantior, & vegetior. Tandem insenui, sed non refrixi. Et ex benignitate summi Ducis Prosperi Columnii omnia gratis absolvi: cui quantum debiturus sim, tu ipse cogita. Omnes amicos ex me salutabis, Scipionem praesertim meum, virum non modo in re literaria, sed aliarum rerum prudentia insignem: quem dixeris omnino Fortunatum ea sorte, qua nunc utitur. Hic enim Literati non spernendi sturnatim panem mendicant. Ex his minus infelices tantummodo ad coenacula admittuntur. Vale, & me amicis omnibus commenda. Romae quarto idus Decembris M. D. XVIII.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA XVI.

Curat ad se mittendas suas commentationes, unaque hymnum.

FEceris mihi gratissimum, si miseris ad me commentationes illas meas in somnium Scipionis, quibus hoc tempore indigeo: tibi enim omnia non hae solae ex rebus meis servantur. Si vero illas tanti facis, ut te aliquando vel juvent, vel oblectent, redibunt ad te quando voles, jure postliminii. Expecto abs te de *Barbaro* hymnum, sed non barbarum: novi enim in te vim Religionis tantam esse, ut tu Divi hominis sanctitate, non genere movearis. Vale.

P. G.

P. G. PROSPERO SUARDO PUERO VIRTUTIBUS ORNATO.

EPISTOLA XVII.

Ejus Parentis dono gratum, Urbis satietate captum se praestat, illum est aditurus.

EGeris meo nomine gratias parenti tuo viro optimo, quod mecum sui ruris opes communicet: is est enim, qui non verbis, sed rebus amicitias contineat: me vero vobis rusticantibus, hujus licet amoenissimae urbis mira jam coepit satietas: nam & euntem ad templum occurrentia plaustra remorantur, ultro, citroque meantium, & peditum, & equitum turba offendit, immodicae Civium voces obtundunt. Vobis contra arrident omnia, viridantis soli jucunda fragrantia, avicularum modulationes, arborum aura frodentium, non ingrata solitudo & quod ad voluptatem quoque attinet, astutae vulpis occursus tuae cohorti insidiantis. Ad vos igitur festino. Parabis mihi perendinum prandium, quale tuus Cicero exoptabat. Nosti me jam tuum veterem contubernalem non edacem, sed paucioris potius cibi quam somni. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA XVIII.

Joannotti Mortem muntiat, studetque ad Urbem illum reducere.

GAbriel Peres Joannotti collegae tui Frater, & Benigni Juvenis ornatissimi pater intra septem dies dolore stomachi extinctus est, non sine moerore totius viciniae. Fragilitatem nostram & cognoscere, & conqueri, quotidianum jam est. Si natura nobis displicet, conemur, atque id unum cogitemus, Deo non desplicere. Interim te ipsum cum istis pueris quantum potes servato: quod si voluntas vos in Urbem non reduxerit, certe aestus, & solitudo remiserit. Vagos olim homines (ut nosti) intra una moenia convivere vis naturae compulit, & rerum varietas, atque hominum multitudo continuit, & societas insita copulavit. Denique nemo est praeter illum Horatianum murem, qui non cupiat ex rustico Urbanus fieri. Vale.

P. G.

P. G. PROSPERO COLUMNAE.

EPISTOLA XIX.

Maritimae tempestatis in Panhormitano Portu excitatae. Accipitrisque aucupatorij est historia.

QUinquagesimum (ni fallor) ab hinc annum Prosper Columna Princeps laudatissime, cum ad octavum idus Decembreis medius saggittatius occideret, horrida quaedam prodigiosaque maris tempestas ingruentibus ventis septentrionario, & Aquilone, veluti quodam conjurato impetu in Panhormitanum Siciliae Portum, qui boream aspicit, supraque credi potest infestissime desaevit. Nam cum ibi forte triginta naves starent ad anchoras, quae propter varias rerum importationes è diversis regionibus illuc appularent, ut navigantibus uso venire solet, & intra eumdem portum uno tempore continerentur, unde triginta ex illis repentina furentium ventorum vi depraehensae, nihil alioqui proficiente hominum audacia, atque industria (miserabile visu) ad unam omnes, quodque magis foedum fuit, ac lacrymabile, in portu naufragium fecere. Intumuit minaciter mare, veluti obicibus ruptis trans inundaturum. Volvebantur super portus hostia, e molem non undae tantum decumanae, sed nigricantium fluctuum montes: qui adeo densi frequentesque continuabantur, ut miseris nautis nec circumspiciendi, nec succurrendi ulla mora, facultasque daretur: Immurmurantium ventorum impetus, stridorque rudentum, excitatusque ex illisis ad terram fluctibus veluti quidam nimbus visum, auditum, vocem, ac respirandi fere necessitatem adimebant. Res per nutus agebatur, sed quid in tanta naturae violentia, tantoque motu proficeres? Siquidem nunc prora ad Coelum, nunc puppis erigebatur: tantaque fluctuantes naves agitatio vexabat, ut attonitis nautis nec pedibus consistere, nec praesenti periculo subvenire permitteretur. Tota Civitas ad portum effusa pro moenibus stupefacta trepidabat, non nisi fremitus saevientis maris, ventorumque vehemens cum diro murmure sibilatio, & clamores ejulantium exaudiebantur. Supplices nautae e navibus protensis dexteris auxilium implorabant: oppidani tantummodo miserebantur. Neque enim ullus erat relictus opitulandi modus: si qui enim aliquid attentabant magnitudine fluctuum statim obruebantur: vivebat tamen spes aliqua, donec ad anchoras stari potuit. Sed posteaquam omnem earum tenacitatem fera tempestas abrupit, soluta navigia, atque inter se collisa, subito impetu Urbis moenibus impactam propriam navium faciem, figuramque perdiderunt; ut nihil aliud nisi disjectam materiam, & nunc fluitare, nunc absorberi merces magnitudine fluctuum cerneres: plurimaque hinc inde miserorum nautarum cadavera inter tabulas, & antennas, aplustraque compluria, eximis vadis eruta scopulis illidi. Sed audi, quaeso Princeps optime, ex tanta tempestatis saevitia erga unam tamen servatam fortunae beneficium. Remanserat forte ad anchoram, quam dicunt sacra quinque-

remis

remis quaedam Gallica adhuc incolumis praetiosissima onusta merce, tantaeque estimationis, ut vehere secum divitias (ut ajunt) Croesi diceretur. Jam ex nimia continentique agitatione funis nauticus anchorae in oculo (quem dicunt) prorae ignem excitare, geminatumque periculum, & incendii, & naufragii impendere: nautae nunc ignem extinguere, nunc ad oppidanos se convertere, nutibusque alterum funem petere: quo si caruissent, nihil habuissent certius, quam perire. Nisi subito praetoris Panhormitani, qui in moenibus praesidebat singularis providentia praesentissimo remedio subvenisset. Nam cum omnia circumspiceret, animadvertit accipetrem aucupatorium, quem falconem vocant, ligatum in puppi, & alis vi ventorum patulis, & tintinnabulis ad pedes resonautibus constrepere. Statim vir impiger arrepto consilio jussit pinnatum lorum afferri: quo saepe circumacto hujusmodi volucres in auras emissae ab aucupe revocantur, & alliciuntur ad cibum: quo allato, & de more, terque, quaterque circumducto, nautae, qui oppidanos observabant, viso signo, intellectaque industria volucrem solverunt. Illico famelicus Falco (parum enim distabat a moenibus quinqueremis) ad muros Urbis advolat: ligarunt statim jussu Praetoris, paratum, extentumque funiculum ad Falconis pendentes e pedibus ligulas. Innuunt oppidani expectantibus nautis, ut dato signo volucrem revocent: quo viso (erat enim moriger Falco) sine mora, vel invitis, ac repugnantibus ventis in puppim, unde venerat, revolavit, secumque oblongum funiculum attulit: quo nautae sensim tracto colligatum quoque funiculo funem crassiorem subtraxerunt, atque ita ex altero prorae oculo jacta anchora reddidit quinqueremem, adversus tempestatem firmiorem, confirmatisque jam animis alacres curare coeperunt omnia. Eoque brevi deventum est, ut & maris ira deserbuerit, & Falconi dato cibo gratia relata sit. Visa mihi fuit res omnino non indigna tuis auribus Ductor maxime, ex qua, & fortunae indulgentia, & elegans quaedam viri prudentia colligitur: ut si forte, cum consueveris in campis subitum saepe consilium capere, ad hanc similitudinem te fortuna perduxerit, hac admonitus multo majora, & illustriora praestandi occasionem arripias. Vale ex Neapoli octavo Idus Decembris MDXX.

HIERONYMI CARBONI.

EPISTOLA XX.

Sui est itineris descriptio.

Totum iter mihi oppidatim peragranti jucundissimum fuit, praesertim ex Argentio ad montem Herculis proficiscenti: substiti enim aliquantisper intra furcula Caudinas, militarem dolum Samnitici Ducis, & Romani Exercitus fortunam mecum cogitare, ex loci natura persuasus. Sed ubi, quo destinaveram perveni, mirifica novae arcis structura ita animum, oculosque in se convertit, ut jam furcas illas, & oliviferum Taburnum, reliquasque locorum amoenitates obli-

oblitus sum hoc Marchionis Carrafii recens opus mihi considerandum putaverim, non tantum nostri temporis monimentum, ut reor, omni ex parte conspicuum, sed cum quovis ex veteribus conferendum. Assurgit Arx illa in vertice montis alioqui natura munitissimi, quadrata forma, marmore undique Tyburtino structa, subjacenti, ac pendenti oppido imminens, tot, talibusque propugnaculis tuta, atque distincta, ut nulla tormenta bellica, quamvis horrentia, non inania, ac nihil nocitura affirmes. Tertio die in Altam villam dirigens iter, quia mihi per quaedam suspecta loca eundem praedixerant, dati sunt septem stipatores armati, Samnites non ignobiles: inter quos (ita enim obtigit) ille inventus est, qui sua manu Janomorum latronum Principem in Vallona intra cubiculum latitantem apprehenderat. Quem vidimus postea Neapoli Carnificis manu laniari. Videbat igitur mihi jam factus Tribunus militum, aliamque personam agere. Sic eques inter pedites quadrato agmine procedens, in diversorio quod est juxta vetustum pontem in via Appia prope Tofariam oppidum jussi milites cibo, potuque refici, ut si pugnandum essent, forent alacriores sine pugna, res acta est. Militibus dimissis, ab Altaevillae Regulo perhumaniter exceptus post coenam de Trajano Principe viro optimo, novaeque ejus fortunae incremento, de ejus liberis, de te, de Duce Prospero Columnio multa. Postridie hora diei quarta Beneventi pransus sum. Ante tamen totum oppidum lustravi, miseratus sortem urbis, quae quondam Romanos neglexerat, & aliquando vicerat, vacua jam facta, & semiruta seditionibus, luctuosa lacrymas externas moveret. Accessi ad Triumphalem arcum, dignum omnino maximo, & fortissimo illo Principe, & hoc ipso, cujus exemplum ad vos mittimus, elogio insignitum: quod quia visum est elegantissimum, diligenter exscriptum, & repraesentatum boni consulite.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE FILIO, NERVAE TRAJANO OPTIMO AUG. GERMANICO DACICO PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. PP. FORTISSIMO PRINCIPI SENATUS . P. Q. R.

Avvulsus tandem ab hujus modi conspicuo monimento, quo distinebar, ad fratrem tuum propero, & qua me ducebat dirigo gressum ad secundum lapidem miseranda Valentini pontis facies me festinantem remoratur, & conversus ad nonnullos, qui ibi mecum substiterant, en inquam humani labores quo recidunt: omnia longinqua dies abrumpit, & conterit. Omnem tamen mihi tristitiam visum Padulum tuum ex animo excussit. Dii boni quod oppidum, quam nobile, quam sublime, quam amoenum, hinc totum licet aestimare Samnium. Accurrit Frater tuus patricius insignis, & advenientem medium amplectitur, gratulatur statim sibi, quod me hospitem habeat, at non hospitem: quid enim dissimulavero singularem Patricii optimi humanitatem? Sed tertium quendam Fratrem secum habere praedicat, effusum in gaudium ita me excepit, ut omnia mihi amoris argumenta praestiterit. Non capit epistola, quae coram dicturus sum. Hoc velim scias,

F nihil

nihil Fratri tuo deesse ad vitae commoditatem, dignitatemque: non passus est unam me tantum noctem apud se commorari, meque etiam hodie detinuit. O quae in reditum meum reservo, ut te ipsum, & istum coetum nobilissimum oblectem. Cras Bovianum ad pulchros Samnites festino. Vos interim generosae animae felices vivete, sed vestri Gravinae non immemores. Bene valete. Ex Padulo Carboniano Cal. Octobris M.D.XXI.

AD AUGUSTINUM NIPHUM PHILOSOPHUM.

EPISTOLA XXI.

De libro sibu destinato, suisque laudibus gratias rependit.

Quis est adeo (quaeso te) sui oblitus, atque a communi sensu alienus, qui abs te non cupiat diligi, & exornari, quique non ardeat scriptis illustrari tuis? Hoc est si immortalem fieri, & posteritati perpetuo commendari? Legi igitur mira cum voluptate praefationem libelli tui, quem mihi destinandum constituisti, brevem, elegantem, circumspectam, cujus quidem una tantum clausula licet exigua in qua mihi doctrinam, & eloquentiam tribuis, tantum mihi vitae praemium affert, ut jam nulla, vel Indica gemma futura sit apud me praetiosior. Quid enim potest homini cumulatius adscribi, quam prudentia cum eloquentia conjuncta? Quod utinam judicii potius tui esset, quam amoris testimonium. Una tamen ratione conabor tantum beneficium rependere, & erga te gratum animum praestare, ut intelligat praesens Aetas me non inglorium tui buccinatorem, quem etiam non sit repudiatur aposteritas. Vale, & propera Vir magne, ut immortali tuo munere tui citius frui possim. XXII. Februarii M.D.XXII. Neapoli.

AD SALICETUM.

EPISTOLA XXII.

Ærumnosi hominis est consolatoria.

Si, quae istic nuper acta sunt, fato tribuenda existimas, nihil est quod doleas: sin hominum perversitati, habes quod incuses. Non morabor in parte hac, ne maledicendo, communem augeam dolorem, & nihil proficiam. Tu modo quantum in te est, vitam extende: nam aut videbis fortasse haec aliquando corrigi, aut authores doloris nostri infelicius angi. Vale.

P. G.

P. G. SYLVESTRO CAMPIBASSANO.

EPISTOLA XXIII.

De ſpe agit, ac tempore una conveniendi.

MI Frater ſalve. Sperabam hoc anno te ipſum reviſere: libenter enim ſoleo per aliquod anni tempus vagari, & quaſi a rerum natura commeatum petere abeundi. Sed interpellarunt me multa, quae inopinata ſupervenere: ut ex hoc adoleſcente mihi quam cariſſimo Leviſio Teraciano cognoſces. Noſti praeterea tu quoque ſenex, & aequalis meus, & philoſophiae non imperitus humanarum rerum varietatem, & inconſtantiam: nihil enim certi poſſumus in Craſtinum polliceri. Non deſpero tamen hinc ad annum nos una conventuros, niſi Spes fefellerit. Tunc quam multa inter nos, non paucis, quod ſi aliter (quod abſit) ceciderit, aut vivi hic parebimus tempori, aut mortui ſempiterno ſecuriſſimi aevo, forte omnino meliori perfruemur. Vale, & te ipſum quantum potes ab iſtis frigoribus pluſquam ſcythicis tuere. XIII. Cal. Octobris M.D.XXII. Neapoli.

P. G. PETRO EXTAENTARDO.

EPISTOLA XXIV.

Contendit ut Tranquilli Fratri mitem conciliet.

TUi generis, tuaeque fortunae dignitas, & ingenii manſuetudo cum ſingulari eruditioni conjuncta nobis tui obſervantiſſimis omnem benignitatem pollicentur. Neque inter eos adnumerari potes, aut debes, qui ſummum jus, ſummam injuriam conſtituant: adeoque de rigida illa ſeveritate multum demere conſueſti, ut omnia ad aequitatem quandam & clementiae modum perducas. Excuſat Fratrem Tranquilli noſtri juvenilis aetas, cujus impetum cohibere difficillimum eſt. Mitto multa alia, quae in ejus defenſionem adduci poſſunt: neque enim abs te modo juris rationem poſcimus, ſed juris remiſſionem petimus, & gratiam tuam imploramus: non indigni fortaſſe etiam te judice, qui abs te impunitatem juveni impetremus: quod ſi non exoramus, nihilo plus egeris, quam in perpetuum pronunciare, nos tamquam profanos, & immeritos a muſis, & a gratiis longius ejiciendos eſſe. Vale.

P. G. A D. . . . .

EPISTOLA XXV.

Se literarum infrequentissimum excusat, suardini conditionem enarrat Carmina Amici commendat.

NOn scripsi ad te hactenus, nunc Belgas, nunc Britannos, nunc Hispanos, navigato etiam Oceano peragrantem, ne tibi occupatissimo, & apud Caesarem seria tractanti meis nugis obstreperem. Nos hic pauperes quidem, sed vivimus otiosi, securi, negligentes etiam multa, quae ad vitae ornamentum, & commodum facerent. Vos viri Ulissei aliud attente, & laboriose curatis: ut sive propositum, sive necessitas urgeat, nil aliud videamini nisi labores, & terrae, & maris appetere. Itaque cum inter nos vitae sit dissimilitudo, minus mirum est, si non frequentes ad vos litteras damus. Sed omissis jocis scias Suardinum, virum quem nosti amantissimum tui, & quem indies experiris amantiorem, cum tota familia (ut nunc est) fortunatam, & honestam vitam ducere. Tua elegantissima carmina in manibus, & in ore quotidie versantur. Nec tamen existimamus nostrum Caesarem auctiorem esse factum, quod tanto imperio penè Antichthonas, vel Antipodas adjecerit, quam quod te suarum fortitus sit rerum tam egregium praeconem, & buccinatorem. Vale.

TRAJANO CABANILIO.

EPISTOLA XXVI.

Rogat ut adolescenti Valerio Graece sciendi cupido contubernalem Magistrum reddat alacriorem, Purgatque se ruro literas dantem.

VAlerium Trajanum, posteaquam mihi notus est, & inspectus, toto pectore amplexatus sum, utorque eo valde familiariter: est enim juvenis acri ingenio praeditus, multa lectione exercitus, memoria singulari, & ad omnem elegantiam paratus: qui vegetus, atque hilaris non invita Minerva praeste plerumque quod animo concipit. Proinde non possum non summopere laudare mi Princeps judicium tuum, qui hunc ex tibi subditis, quem in tuis intimis habeas, delegeris, mea quidem sententia tua omnino gratia, tuaque benevolentia non indignum. Utque hominem magis diligas, ardet incredibili amore graecarum litterarum, cupit enim quantum in ipso est promovere fines ingenii, sed incidit in hunc Demetrium bonum quidem virum, natura tamen aliquanto tardiorem, quam praepropera fortasse Valerii cupiditas flagitet. Excitabis igitur tu bone Princeps blandioribus tuis litteris Graecum hominem, ut latino contubernali indulgentius inserviat, praesertim non minori foenore mutuam operam repensuro.

Et

Et quia inter caeteros principes viros summus ingeniorum fautor haberis, non dubito, quin juvenem ad majora nitentem sublevaturus sis. Me vero mi Princeps quod ad te rarissime scribam, nulla ingrati animi culpa, nulla tui oblivio, quem semper fero in oculis, & cui tantum me debere nemo est, qui nesciat, sed sola senectutis ignavia apud te nocentem facit. Vale.

PRINCIPI MELPHITANO.

EPISTOLA XXVII.

Captatio est benevolentiae, sui, urbanarumque rerum enarratio, ardor eum videndi, in eum, donumque totum officium.

NOn sum ego tam ambitiosus, ut a te litteras expectem, quas postea circumferam, ut ostentem. Mihi a summo Principe responderi satis habeo, si tu quo nemo melior, animum erga te meum suscipias, teque cum praesentem hoc tempore non liceat, per literas absentem visitem. Neque enim induci possum, ut suspicer, cum inter caeteras virtutes tuas te animadverterim modestia, ac humanitate praeditum singulari, esse oblitum mei, quem nosti tui observantissimum. Dabitur occasio, ut praesens apud te animum expleam, coramque intelligas, mihi nihil esse optatius, nihil antiquius, quam ut abs te Principe ornatissimo, & cognosci possim, & diligi. Hic vivimus otiosi, & ut genius dulcissimae Urbis hortatur, etiam in voluptates profusi miram sentimus ad hunc diem Coeli indulgentiam, ac salubritatem: ut ne minimum quidem morbi genus appareat: annonae vilitas supra votum, ne suspitio quidem belli: habemus enim Pontificem pacificatorem, ut qui jam de judiciis inter utrumque Regem maximum agitet, nec desistat se exhibere authorem pacis: quo commodius Turcarum Imperatori Pannoniam jam sevienti obsisti possit. Nugatoriae tantummodo praesagientium quorumdam divinaculorum animos popularium terrent minae. Nec desunt stolidorum multi, qui jam nunc quorumdam montium cacumina praesumpserint animis, ad quae confugiant, ut se ipsos ab aquarum inundationibus liberent. O diem laetum, quo te revisurus sum, istamque honestissimam dexteram osculaturus, o Septembrem mihi mensem optatissimum. Interim vale cum uxore, & liberis felicissimus. Idibus Maji M. D. XXIII. Neapoli.

M. A. TIMARRAE.

EPISTOLA XXVIII.

Sui amantissimum Philosophum laudat, officiumque commonet.

LAudari abs te viro, quo nemo hodie laudatior vivit, si dicerem mihi non esse gratissimum, sane mentirer, sed amari abs te viro

ro probo, & erudito, ac in philosophia hodie facile principe, longe mihi gratius, & optatius contigit: laus enim saepe in summis labris nascitur, amor vero non nisi ex animo, atque praecordiis proficiscitur: qui quidem inter nos tam verus increvit, tamque altis radicibus nititur, ut in dubium veniam, an morte dissolvi possit. Quod studia tua in liberales disciplinas quotidie augeas, & exornes, quod in graecis non parvos etiam congressus facias, ut me ipsum amantissimum tui Homerico illo dulcissimo liquore etiam aspergas, mirifice tibi gratulor, cupioque tibi omnia ex sententia obventura: ut certe obvenerit, si tibi praesertim & tuis musis ex magna parte vixeris: etsi memineris veras summasque divitias in te ipso consistere, & illas te tecum ferre, & te socratico more mundanum esse, atque in quocumque orbis angulo fueris, tibi, & patriae, & vitae gloriam constitutam fore. Non quod a solo patrio te ipsum deterream, sed nescio quomodo usu venire solet, ut loci mutatio felicitatem ducat. Adde, quod boni philosophi semper fuit, & animi, & fortunae quantum in ipso est, libertatem praestare, neque committere, ut altae illae semper aliquid boni investigandi cogitationes mille suspitionum hinc inde occursationibus obturbentur. Sed quid ego haec? Ad te praesertim, cujus est omnia circumspicere, & alios praemonere. Certe meum in te amorem, meam operam, qualemcumque industriam, numquam desiderabis. Bene vale.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XXIX.

De Obitu Decii Adolescentis conqueritur, Seripandosque mandat visitandos.

NOn queo ad te multa scribere, ut destinaram, & jucunda omnia; ita me infelix nuntius de morte immatura Decii nostri perturbavit, afflixit, ut perpetuo doliturus sim. Satis tu eleganter, & copiose tam importunum obitum tuis litteris deplorasti: mihi dolori cedendum, cui certe hoc tempore par esse non possum. Affluebam delitiis, & mille cum hoc consumatissimo Principe honestissimis voluptatibus. Caeperam nescio quid suspicari, injecit tandem mala Nemesis venenum. Certe decus Neapolitanae juventutis amisimus, utinam infelicissima matre non superstite. Jam rapit me dolor ulterius, sed obsistam: dum nostras esse partes intelligamus, quibus poterimus elogiis tanti juvenis desiderium prosequi. Tu interim vale, dummodo intelligas blandienti juventuti tamquam insidae minime esse credendum.. Haec pauca exaravi raptissime, & dolentissime. Visitabis Seripandos meos meo nomine, quod certo scio intelligere, me paulo minus se ipsis ob talem casus afflictum esse.

P. G.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXX.

Ejus pietati fines constituit; Suam ab illo descriptam effigiem probat; Familiaritatem suam cum viro Principe laudatore litterarum Seripandi exprimit, ac de celebrando Decio cogitat.

TRanquille salve, omnia tua me delectant. Pietatem admiror, quae cum omnia tempore minuantur, in te uno in dies magis revirescit. Sed vide, tametsi nulla virtus intra suos fines constituta, nimia dici possit, cum ita meecum agas, ne aut animo in te meo, aut officio in me tuo diffidere videaris: cum te numquam satisfacere suspiceris, modum igitur servabis. De effigie mea quae scripsisti, jucundissima fuerunt etiam Principi: quod me ipsum satis exprimat, & repraesentet, gratulor, & artifici, & mihi. Praesens, ut spero, illi gratias agam, & referam, si unquam potero ab hujus suavissimi Principis consuetudine divelli. Mirum est, quam omni ex parte conveniamus, eadem sentimus, eadem cupimus, & ut breviter absolvam, sola nocte disjungimur. Sapit supra opinionem hominum. Miro ingenii acumine, mira memoriae felicitate, judicio acri: nihil enim patitur negligens, aut otiosum. Epistolam Seripandi mei ita avide arripuit, ut secum per noctem habuerit, mihi mane cumulatam laude restituerit: ad quem ego brevi rescribam. Putabatis fortasse me Decii mei memoriae exornandae defuturum? Sine absolvam quod est in manibus, & jam portum aspicimus, officio non defuero. Vale XXVI. Julii M. D. XXIIII. Geneazani.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA XXXI.

De suo carmine, gratiaque apud virum Principem enim sunt nonnulla, de invisendo Tranquillo, Decioque commendando agunt caetera.

SI vales bene est mi Tranquille, ego quidem valeo. Absolvi jam carmen, quod inchoaveram non multo cum labore, sed ut nosti morem meum, leniter & passim. Neque enim id est argumentum, ut mihi sudandum, aut algendum fuerit. Ad carbonem dirigimus id quicquid est de statu praesentis vitae, qua fruor. Voluique hunc Principem laudatissimum, citra adulationem, ac morositatem exscribere. Haec fuit causa cur ad te, & ad alios amicos diu non scripserim: totus enim in carminibus fui, quam vis non totos dies consumpserim. Mens fuit in hac aetate experiri quid praestare possem, quantum autem profecerim, tu judicabis. Huic Principi ad hunc diem adeo acceptus sum, ut id mihi supra votum obtingat, curabo

rabo augere in dies opinionem, quam de me conceperit. Ita tamen apud illum vivo, ut pristinam libertatem non omiserim. Nihil autem est immutatum, nisi quod majores ac plures voluptates me circumveniunt: quibus tamen ita resisto, ut temperantiae, ac continentiae nomen adeptus sim. Et pannum, & arculam accepimus sine tuis litteris. Mihi animus est, vos mense Februario revisere, si vita superetit: ea tamen conditione, ut reversuro ad Principem hae mihi semper pateant fores. Ad Seripandos sine aliquo Decii elogio non scribam. Jam liberior factus ex prioris carminis meditatione incipiam aliquid commentari. Suscipies de me apud illos Patrocinium. Utinam mihi de juvene ornatissimo gaudii relictum fuisset,non doloris argumentum: libentius enim laudassem vivum, quam mortuum, & immature nobis ereptum. Sed nosti illud, mundum nil aliud esse, nisi congeriem omnium malorum: pluresque semper ex Thracia vitae computatione nigros, quam candidos calculos superesse. Jam non incipiam in calce epistolae tecum moleste amplius philosophari. Necesse est illud animo complectamur, quod ego de me in hoc meo novissimo poemate audeo polliceri. Fato quodcumque sequetur constitui patiens aequo mihi jure ferendum. Lenisius noster quantum video, fortunam in dies sortietur meliorem, praestat se eum, quem optamus. Vale Cal. Sept. Geneazani.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XXXII.

Binis ad se datis litteris per partes respondet.

Binis tuis litteris, quarum alteris me consolandum, alteris revocandum studuisti, ita mi Tranquille sum affectus, ut praeter earum non vulgarem elegantiam, miram quoque pietatem laudaverim. Quippe qui re nec verbo unquam cessas, & dignitatis, & salutis meae rationem fovere atque tueri, quo nomine ita a me tibi relatum iri gratiam expectare te decet,ut primum in amore, quod semper feci, respondam, deinde, quod mihi jam persuaserim, nec a natura, nec a fortuna quemquam dari posse te ipse mei amantiorem. Sed ut ego tecum veluti tu mecum forense aliquid, vel declamatorium agitem, quid me Tranquille consolaris? Quia me nimium fortasse, & extra rationis modum dolere suspicatus es? Nam qui modeste dolet, consolatione non eget: non debuisti igitur me consolari, nisi aut tamquam in dolorem immoderate delapsum, aut in dolore diutius, quam deceret commoratum. Qua in re quantum dignitatem meam respexeris, tu videris: movit enim me (fateor) adolescentis obitus, non perturbavit; momordit, non laceravit; offendit, non afflixit; & ut brevius concludam, non alium me reddidit, sed eumdem, qui fueram, reliquit. Mitto dignitatis meae rationem, quae mihi vita est carior. Nam si turpe esset homini longaevo, nec indocto, nec infirmo, nec deliro lugere plus aequo Filium, quanto magis alumnum?

Scias

Scias igitur me in Arce costantiae meae permansisse:& ut permaneam, dum vixero curaturum. Quod alteris litteris non invalidis quidem argumentis, me revocare contendis, facis tu quidem amanter, ut semper consuesti: ita tamen ut leniter, vel judicium meum, vel praesentem fortunam perstrinxeris. Vis ne Tranquille ut effugiam quantum in me est homo septuagenarius mortem? essem profecto quam infelicis. si hanc omnino contemnendam in tam longa aetate (ut Cato major sentiebat) non viderim. Tametsi nihil aliud ago in tanta rerum commoditate, quam per singulos dies incommoda vitae, & vitam ipsam producendo, mortem effugere. Sed esto brevi, ut credere par est, moriturus sim. Quando quaeso commodius? Quando honoratius? Quando felicius? aetate matura, sensibus integris, solida existimatione, & quod in primis posuerim, sub tanta laudatissimi Principis gratia. At potero sub clementiore Coelo diutius vivere, quod Coelum quaeso clementius latino? quod pius Aeneas tam longa, & ancipiti navigatione terris jactatus & alto, caeteris omnibus praetulit, & tamquam fato sibi debita Lavinia venit litora. Nosti etiam illud, Stat sua cuique dies, nec evitatum existimes, velim, quod nondum advenit. Sed mihi, tecum praesertim, morosa disputatione opus non est. Omitto alia multa, quando tua omnia mi Tranquille non debeam, nisi in melius interpretari, planeque viderim, quae tua industria est, te tibi effinxisse scribendi argumenta necessaria, non mihi: ostentandi potius ingenii gratia, quam mei consolandi, ac revocandi. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXXIII.

De Beatrice sollicitus in sua felicitate turbatur.

ME miserum, vereor, ne Heroina illa mea Beatrix interierit: ita & tuarum literarum suspitione, & variis rumoribus examinatus sum. Et quod me potissimum affligit, quod incurabili morbo laborantem, nulla medioorum industria sublevabit. Sed necessitati parendum est, quae hos luctus fortasse mitigabit. Nunquam tamen vel longissima dies memoriam primariae foeminae, & vere Beatricis extinguet. De prudentissimo isto Principe mihi videor posse bona omnia polliceri: qui incommoda, si qua fuerint, resarciet, non abnuente fortuna Nobiscum hic felicissime ageretur, nisi haec suspitio, hic conceptus dolor omnia interturbaret. Tu interim imitare bonos nautas, qui flantibus quibuscumque ventis noverunt uti, potius quam abuti.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXXIV.

De obitu Beatricis, multa de Tranquilli sorte sunt eaetera.

PRae dolore brevius ad te scribo, quam destinaram, neque enim statui hoc tempore immaturam mortem Divae Beatricis ambitiosus prosequi, gratiam illius memoriae, quae me tam honorifice, ac benigne respexit cumulatiorem relaturus. O miram humanae vitae varietatem. Ecce novae sortis principium, nova consilia, nova rerum facies: atque utinam omnia, ut certe sperandum est, meliora. Tu interim fruere tanti Principis gratia. Tu inquam una tantum ratione me longe felicior, quia junior: neque enim pati possem te solum isto bono frui, non quod tibi quicquam boni invideam, quem eupio me ipso fortunatiorem fore, sed ne judicio superior, atque prudentior fuisse videaris. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXXV.

Lucubrationem in Beatricis mortem, secessum illius, Virumque Principem Vespasianum commendat.

POsuisti nobis ante oculos obitum Divae Beatricis elegantia tuarum literarum, ita ut ego, & amici humentibus oculis, quae abs te descripta sunt perlegerimus. Jamque nil aliud audire assuevimus quam excessum amicorum è vita; nos etiam excessuri: curandumque quantum in nobis est, ut honeste vivamus, vitamque honestius terminemus. Secessum tuum laudo. Utinamque ego tecum ex eadem specula, & insulas Pontias, Aenariam, & Gravana, ac Massica juga, & subjacentem Lirim, & amoenissimam sese objectantis Cajetae curvitatem prospicerem. An putas veteribus poetis ad victum necessaria defuisse? Cur igitur Tibullus Messalam, Horatius Brutum, Virgilius Mecoenatem, & longe ante hos omneis Marcum Nobiliorem, deinde Scipionem priorem Ennius secuti sunt, nisi ut conversando, ac peragrando fierent maturiores? Qua potissimum ratione rerum experientia, & vitae prudentia consumatur, & augendo perficitur. Nosti quam sim ego alienus ab avaritia: tamen ne in eodem vitae tenore jam senex penitus torpescerem, secutus sum Vespasianum Principem, Dii boni quanta eum voluptate, quanta rerum omnium copia, quanto foeturam ingenii excitamento: ut tibi non parum cesserit ad felicitatem, quod fere in eandem sortem incideris, merito igitur tibi ipsi per literas gratularis, merito gaudes. Respondit meis literis Princeps Vespasianus tanta prudentia, & elegantia, & laconica illa sua brevitate, ut rescriberem non sim ausus. Dispe-

ream

ream mi Tranquille si mentior, nemo scribit concinnius, exactius, pressius, & ad rem aptius: cujus manum elegantissimam meo nomine exosculaberis. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXXVI.

Cumulatissime laudat ejus carmina Clarissimo Viro Principi offerenda.

NUlla te ingenii paupertate compulsum fuisse suspicor, ut aliquod meum carmen (ut tuo more loquar) videri velis suffuratus, sed ambitione quadam Virgiliana potius inductus es: nam sicut ille ex industria aliquot versus Ennianos, Lucretianosque suis inserebat, quibus ipse videretur illustrior, sic te Musae benignitas eo fiduciae, elegantiaeque perduxit, ut jam ingenii divitiis audeas seniorem poetam provocare. Macte igitur virtute, perge, aude, contende, memor illius Laberiani carminis. Non possunt primi esse omnes omni tempore. De te postremo ita pronuncio, seu versum pangas, sive orationem struas, nihil abs te ineptum, aut insubidum provenit. Visa sunt igitur mihi tua carmina non invenusta, & quae sagacissimo Principi debeant offerri: cujus judicium tanti facio, ut quicquid ipse laudaverit, nullam calumniam reformidet. Nec dissimulavero, mea mihi placere, quo illi placeant; nisi ex industria, ut est in omni re circumspectissimus, voluerit mihi aliquando subblandiri, ut senectus haec mea aliqua gloriola perfruatur.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA XXXVII.

Ejus in literis conscribendis laus, suaeque a viro Principe absentiae est excusatio.

LUculenta quidem epistola tua Carboni nostro satisfecit: nam non modo ornate, sed diserte scripsisti quid te facere deceret. Annuit ille rationibus tuis: & jam tibi gratiam habet. Tu vero nullam praetermittas scribendi occasionem, quando literae tuae inter eleganteis receptae sunt. Utque magis tibi gratuler, si istius ornatissimi Principis (quod spero, & opto) secunda aura excitaberis, facile tu Gravina junior superabis Seniorem: quippe qui ascendens ad clivum descendenti occurris: neque arduum tibi fuerit in Latio commoranti, nos in Oscis otiantes latinitate praestare. Revolassem ego ad Principem, nisi blandissima haec Siren novis artibus, blanditiis, muneribus, veluti sibi e Coelo remissum detineret. Pudet explicare singula: tandem eo me adegit, ut ne videar ingratus, aestivandum mihi cum illo sit: perpetuum alioqui jus odium, si aliter facerem subiturus. Di-

ces, praeponderare apud te debet suavissima nostri Principis consuetudo. Recte sentis: sed ita versor in ancipiti, ut jam me nullo arbitrio meo, sed nescio qua fati necessitate sentiam agitari. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXXVIII.

Jocose quaedam exarat in ejus absentia.

VOs abestis: nos in moerore sumus. Suscipiuntur vota pro reditu vestro: invidemus vobis absentibus. Videntur enim omnia isthinc commoda ad vos esse translata. Ego interim fruor hujusmodi comoediis, nec minus histrionibus, qui non fictam fabulam, sed veros actus repraesentant. Dum haec ita se habent, vobis integrum est, nobis aegre facere. Sed heus tu, omnium rerum vicissitudo est. Si restituemur in integrum, nos ridebimus, vos delebitis. Nunc nostra gaudia anticipamus, quae vestris futura sunt diuturniora. Nam illa magis perpetua esse solent, quae consuetudo in naturam transtulit. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XXXIX.

Humilibus quam par est reprehendit plura dicturus.

MUlta suggerit otium nihil agenti, sed tantummodo varia coganti, ut saepe ea curare te inducat, quae occupato non succurrerent. Videor mi Tranquille prospicere cursum tuae vitae omnino hactenus laudabilem, sed quem deinceps nisi fortuna honestior aspiraverit, & humilem, & abjectum dixeris. Non haec tibi scribuntur ut praesentia abrumpas, sed ut futuris, si modo jus in te ipso fuerit, consulas. Subpudet enimme, ut dicam tandem, quod sentio, istius tui tam longi pedagogii, non quod te ingratum dici velim, sed ne insimulaturi sint homines, te parum fuisse amicum tibi: ut qui nec melioris fortunae, nec dignitatis tuae habueris rationem. At consequeris fortasse hac via, quod non video honestius, ampliusque Sacerdotium: quod mihi omnino sorderet, si per has tenebras in illud incurreres. Dices unde isthaec nova prudentia? Video me in dies fieri morti propinquiorem, cuperemque successorem relinquere, superiorem fortuna, animo non inferiorem. Nihil est quod haec pauca te perturbent, nulla enim tua culpa factum est, cur haec scripserim. Sed nescio quomodo in mentem venerit movisse haec paucula, ut incipias tandem cogitare, quid te deceat: ne sub praetextu pietatis in amicum, cui certe multa debentur, assuescas humiliter vivere, neque suspiceris propterea mihi prospici, quod haec scribam, quod tuo auxilio, tuoque convictu indigeam: nunquam mecum actum est felicius, quam hoc tempore,

pore, nunquam gloriosius: Speroque me tale tibi daturum exemplum, quod si sequi volueris, nullam famae jacturam facies. Plura in adventum tuum differo, speroque omnia fore meliora. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XL.

Viri Principis, literarum Tranquilli, Aemenique Oppidi est commendatio.

Vidisti ne unquam Tranquille nostro Principe quicquam humanius, ingeniosius, ac bonarum amantius literarum? Moriar si non totus gestio, & exulto quot es aliquid de meis nugis putat sua dignum commendatione. Tantum ille tribuo, tantum mihi sapere videtur, ac rimari altius singula, ut facile mihi persuaserim, quicquid illi placeat, bonis ingeniis placiturum. Natus est ad promerendas Musas, quem si consideraveris attentius jucundissimum omnium virtutum hospitium judicabis. Dii, nobis, & bonis omnibus optimum Principem diutissime servent. Lepidissimae tuae literae de fortunae inconstantia mirifice me oblectarunt, gratulorque non parum tibi sub isto coelo feliciter agenti. Scias mihi istud oppidum prae caeteris arridere jucundius: tanta videtur mihi loci amoenitas, & gaudentis naturae varietas. Vale.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XLI.

In ejus fidem confert Patavinum Puerum, de quo se curante Monopolita certi aliquid est rescripturus: hortatur, ut loco amoeno fruatur curetque valetudinem, ipse quid sit Acturus ostendit.

Vix perlectis literis tuis, gravibus illis quidem, & prudentiae, atque elegantiae plenis haec pauca rescripsi: festinabat enim nuntius, ego licet senio confectus, ad ea quae ingenii sunt ferri soleo quodam non inepto impetu: ut falsiora mihi mea interim videantur, quae erumpunt, quam quae sensim educuntur, utcumque ad rem venio, nec te pluribus morabor. Viden te jam supra aetatem sapere, nec omnino illius Imperatoriae sententiae immemorem. Satis cito fieri, quod bene fit: nec magis a prudentibus viris in rebus agendis, quam modum esse querendum. De puero isto Patavino scribam ego ad Monopolitam aliquid de ingenio, si videbitur, & de moribus, illumque existimo rescripturum quid tibi sit faciendum. Interim beneficium ad hunc diem quantum in te ipso fuit, non male collocatum nollem corrumpi: ne in extremo fabulae actu, quod turpissimum esse solet, exibilemur. Scio te dignitati tuae non defuturum. Interea fruere istius loci

loci genio amoenissimo, & valetudinem eura. Ego per triduum ad summum Ayrolae cum Marchione Montis Herculei futurus sum. Sed me prius hospitem Extendardus noster habebit, qui jam Argentium concessit: neque enim jejuni, aut improvidi Caudinas furculas praeteriturі, aut penetraturi sumus. Vale, Aestivi Solstitii Die ex Neapoli.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA XLII.

De sua, ejusque valetudine sibi gratulatur: De se quaedam, de vita per illum ineunda adiicit nonnulla.

QUod uterque nostrum hoc temppre recte valeat, Tu Minturnis, Ego Neapoli gaudendum est. Fortuna est omnino diversa: nam tibi cum mulierculis, & pueris, mihi cum proceribus negotium est. Sic utriusque aetatem decet. Spero de te etiam cum insenueris meliora. Triduum Ayrolae cum Marchione illo laudatissimo commoratus, ita acceptus sum, ut pene oblitus sim, me hominem esse tenuis fortunae, sed rep ente unum ex proceribus factum, cui fortuna tam benigne subscribat, ut nihil non ex sententia successurum videatur. In regressu, cum Extendardo utriusque nostrum amantissimo jucundissime pransus, & ut apud se pernoctarem invitatus, renuens Neapolim properavi: ab amicis ita certatim salutatus, ac si per triennium peregrinatus fuissem, non haec in meam laudem, sed ut intelligas, quanta sit Astrorum vis, ut etiam negligentem sui, vel invitum sublevent. Expectatissimae literae tuae mira jucunditate me affecerunt. Eo jam devenisti, ut quod animo concipis, apte, festiveque depromas. Certe vix patior desiderium tui. Nobis enim quantum video, nova quidem, & melior vitae ratio ineunda est: ne inter humiles, & addictos adnumeremur. Nihil tamen non consultissime, hic ab omnibus efflagitaris, & exposceris. Literas tuas ad Patrem amanuensis Extendardi Principis curabis transferendas. Vale. Nonis Quint. a Neapoli M.D.XXV.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XLIII.

Nonnihil jocatur, laudat Minturnensem collem: Ad Tranquilli carmina, sequemet alia Spectant.

UTinam nobis diutissime jocosis literis mi Tranquille liceat uti: nosti enim humanarum rerum inconstantiam, & aetatis, ac fortunae insidias impendentes, ut nihil certi in horam, ne dum in diem quisque sibi possit polliceri. Interim gaudia, ac voluptates, dum licet, praecipere non stupidi hominis esse puto: sed se ipsum, quod natura jubet amantis, & plane cognoscentis quid penitus in vita agendum

dum sit. Fuit olim mihi collis iste Minturnensis jucundissimus, nec possem unquam oblivisci, quae habuerim isthic laxamenta animi, quibus maxime juvenilis aetas mea tunc affici, & capi potuit. Caeterum praeter haec dici non potest, quantum mihi loci genius arrideat, variusque ille tot rerum amabilis undequaque prospectus meis oculis lenocinetur, ut non parum abs te dissentiam, qui oppidum Sirio ardenre, eo quod ventosum est, damnandum putes: tanquam liberum non sit nimios flatus, vel hoc tempore varia locorum mutatione non excipere, vel certe moderari. Sed non sum ego adversus te praesertim istius oppidi defendendi patrocinium suscepturus, quando etiam summis Regibus olim adeo placuit, ut ex oppidanis quamplurimos equestri decoraverint dignitate: ex quorum familiis adhuc supersint qui malint esurire, quam fodere. Amo igitur elegantiam tui carminis, sententiam insector: nec imprecationem tuam timeo, quandoquidem mihi sum conscius isthic olim commoranti, nihil intentatum reliquisse, quo minus vel in media juventa fierem herniosus: & tamen benignitate loci, ac coeli ita servatus sum, ut vel ad hoc aevi, quod vitae extremum est, sic fidos testes experiar, ut nihil minus ab illis quam perfidiam timeam. Vide tu quantum re ipsum geras, neque in locinaturam reiicias, quod tibi imputari possit. Vale IIII. Cal. Sext. a Neapoli.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XLIV.

De suo vivendi more tota est, plura coram est dicturus.

SAEpe mecum cogitavi, quae tandem scribere decrevi, ut imparatum te non offenderem: deberem ne haec in adventum tuum differre, & coram consilium meum proloqui. Vicit scribendi ratio, ut spatium scilicet tibi daretur, diutius cogitandi, mecumque deliberandi, quid facto mihi potius quam tibi opus esset ad dignitatem meam ad finem usque vitae servandam. Ego Tranquille, nihil enim tecum dissimulabo, in hoc meo ad Neapolim regressu, factus sum longe ambitiosior quam antea: multis quidem de causis, quas supprimam, ne te obtundam. Statuique mea in domo, licet conductitia, quod reliquum est, vivere, & mori, ne videar tam male, & inconsiderate mihi consuluisse, ut nisi in amici domo permanerem, in extrema senecta non haberem tuguriolum, quo tegi possem. Visam omnino Principem Minturnis: nam isthuc Calendis Sept. illum adventurum literae Suardini mihi nunciant. Nunquam tamen adduci potero, ut addicar. Nihil enim turpius puto sene famulante, atque mendico. Quicquid mihi est supellectilis apud aliquem deponam, quod totum tu deinceps receptum curaveris. Ego Neapolim repetens, vel Surrentum concessero, vel in alium secessum, dummodo apud vos non sim, nulla indignatione commotus, sed justa causa ut intelliges, ubi una erimus, malo enim aliqua vitae necessaria penitus omittere, quam particulam

ticulam dignitatis, atque existimationis, quam mihi videor assecutus in hoc tantillo fortasse vitae spatio perdere. Tibi adhuc juveni plana sunt omnia: & sive Romam cum Vespasiano puero iturus es, sive in hoc tuo amoeno ocio Neapoli commoraturus peculium augebis, famam non penitus deprimes. Multa siquidem isthaec tua juvenilis aetas sufferre potest, quae mea senectus exhorreat necesse est. Coram plura, & omnia jucundiora. Vale. Idibus Augusti à Neapoli.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XLV.

Literis ejus amico redditis suadet in scribendo diligentiam: judicio Casaenovae de suo Phalaetio delectatur, ut Surrentum concedat Viri Principis reditum sciscitatur.

RESpira: resume animum, salva res est. Castigatas amico literas tuas reddidi: ut ne minimae quidem calumniae relictus sit locus. An putas, me adeo honoris tui incuriosum, quem mecum habes communem, ut si literae tuae, vel obsignatissimae in manus meas perveniant, quas ad quemlibet latine scribas, non resignentur statim à me, ac diligenter excutiantur? Ingenue igitur fatebor, ut ex desiderio tuo loquar, illas mihi qualescumque admodum placuisse: quas cum relegeris, istam sollicitudinem in gaudium convertes. Tu vero nimium ambitiosus factus es, qui minima quadam verrucula tam acriter commoveris. Quod autem celeri calamo aliquando scribas, quae exscribere non cures, in hoc tu negligentiam meam potius quam diligentiam aemularis: quippe qui malim, quod non probo, de ingenii fama interim periclitari, quam exscribendi tedio affici. Aetas tua vegetior, ac laboriosior aliud poscit, mea autem scribendi, ac dicendi exercitatio perlongiorem aetatem ad eam facilitatem pervenit, ut vel somnians aliquando in ea, quae probari possint incurram. Tibi curiosius circumspicienda sunt omnia, quem adhuc juvenilis aetas non potest ab omni errandi suspitione vendicare. Tametsi in eo cursu te videam, ut me non modo brevi consequaris, sed quod certe cupio, & aequum esse censeo, antecedas. Non displicuit mihi Casaenovae Phalaetium, vel eo nomine, quod meum illud carmen, visum est Poetae ingenioso non illepidum: quo quidem delectatus in illud extemporale non invenuste irruperet. Unde facile sperare incipiam, quae feci hactenus, & quae (si vita suppetet) facturus sim, lucem potius sortitura, quam tenebras. Tu quoque aliquid in isto secessu te dignum excude: meque certiorem facias, an Princeps noster Minturnas sit rediturus: aliter enim ego hinc me nusquam promovero, Surrentum fortasse secessurus, nisi sors aliud interim objecerit, quod arrideat magis. Vale. Ter. Idus Augusti M. D. XXV.

P. G.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA XLVI.

De vitae more, de Manni commendatione, de Philosophiae praeceptis, de ejus literae natura obiter pertractat.

NEc mihi, delicato quidem homini, in animo erat scribere, nec certum est scribendi argumentum, nisi hoc unum, quod nihil ago, nihil cupio: eo animo suscepturus quicquid obvenerit, ut hoc meum nihil agere non interturbetur. Brevi quantum conjicio erimus una, & tunc Comoedias agitabimus, de vitae reliquo quantum in nobis erit consultaturi. De me transacta sunt omnia, de te tibi erit certe aliquid cogitandum, quod si eadem fati benignitas te persequetur, nihil ut spero contigerit, quo fortunam incuses. Vale, & hunc Mannum, non equum intelligas ad rhedam, sed Praefectum Arci Minturnensi amantissimum tui redames: de te enim satis honorifice, & loquitur, & sentit. Tu interim cura valetudinem, & me ipsum cum Carbone fortasse expectaveris. Tu mi Tranquille, si quid a me desideras, quod tibi praecipiam, vel e media Philosophia depromptum, Patere, & abstine. In diei crepusculo jam coenatus sine lucerna haec pauca. Unde minus mirum tibi fuerit, si epistola non lucet XVIII. Cal. Sept. a Neapoli.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA XLVII.

Consilium capturus in agendo, de viri Principis adventu Neapolim inquirit, Tranquillo de sapientia plaudit.

QUod varie sentiam, varieque deliberem, multa bona cupienti imputabis, & qui cupiam omnibus, quae animo recursant, satisfacere. Nam cum promitto me multa facturum, consultatio potius dicenda est, quam certa constitutio. Quandoquidem in unum postea recidere soleo, quod ratio comprobat, ac faciendum suadet. Quorsum haec? Ut scias me Minturnas non esse venturum, si noster Princeps Neapolim advenerit. Hic parantur multa, quae ejus adventum promittere videntur. Sciscitabaris igitur tu de his omnibus, meque ipsum praemoveris: nihil enim plus odi, quam inanem, & injucundam peregrinationem. Dices, hui, tam cito Trajectum oppidum tibi ex animo evanuit? Immo nil magis cupio: si liceret mihi isthic liberius, ac diutius ociari: sed mos erit gerendus Principi, ne videar agrestis, & nimium mei juris: & quod maxime adhominor, ingratus, spero tamen me nil executurum, quo jure reprehendi possim. Tu interim felicissimus, qui inter Fabullos solus sapere videris: quibus jam persuasisti, te eum esse, qui cum tuto in tenebris quis micet, nec ali-

ter versutus de te existimo: cui talem inesse mentem sentio, ut solida gloria, quae sola ex virtute proficiscitur, frui velis. Vale, & rescribe: nil enim temere aggrediar: nec te inscio aut inconsulto, novum vitae consilium ineundum putavero XV. Calendas Septembris M.D.XXV. a Neapoli.

P. G. TRANQUILLO GRAVINAE CANONICO NEAPOLITANO MERITISSIMO S. P. D.

EPISTOLA XLVIII.

Surrenti ubi agit, est laudatoria.

CUm Salomone socio itineris jucundissimo perveni in Stabianum emporium hora diei septima. Eodem die occasione oblata,& mira tranquillitate maris invitante, piscatoriam cymbam conscendi scalmorum quinque,atque ego ipse temonem tenens Vicum oppidum praeter vectus,ubi consistere destinaram,quia multum supererat diei,Surrentum delicias meas inter crepusculum, & primam facem delatus sum:ea quidem felicitate, qua solent, qui elegantiores musas neque aversas neque adversas habent.Inveni hospitium supra votum aptissimum hospidem hilarem,& Martium puerum meum gaudio exilientem.Hac Sirene dulcissima non utar modo, sed fruar: nec puto angulum quempiam orbis terrarum a sole illustrari hoc ipso dulciorem. Invideo hujus loci incolis merito saepe gloriantibus, nihil esse hoc coelo, hac terra, hoc mari amoenius, salubrius; nihil aspectu, ac genio, & fortuna loci suavius, suamque nobilitatem ita extollunt, ut asseverent originem aliunde non habere, sed quasi cum natura perpetuam fuisse, nec unquam nisi cum fine orbis defuturam. Dispeream, si mihi haec omnia tamquam cuidam perdito amatori non facile persuadentur. Quid quaeris? nihil video, nihil audio, nihil sentio nisi laude, & admiratione dignum: ut veniam in sententiam, Naturam hic se cupidius, quam alibi indulsisse. Vale, & meo etiam gaudio, quaeso gaude. Ex Surrento XIIII. Cal. Novembris.

P. G. DIOMEDI CARAFAE COMITI MAGDALONI SALUTEM.

EPISTOLA XLIX.

Militaria Avi ejus consilia latine reddita commemorat.

CUpiebas avi tui summi, ac singularis viri, cujus tu, & nomen, & prudentiam, & dignitatem retines, consilia quaedam pauca militaria vernacula lingua ab eo olim perscripta in latinam converti: ut veluti pretiosae quaedam gemmae papyro diu involutae in auro puro concinnius clauderentur. Haec ego ubi inspexi, digna quidem censui quae nitida latinitate donata in manus hominum venirent: in

quibus

quibus desiderio tuo satisfacerem: Aurifices industrios imitatus, qui Gemmas quamvis natura lucidas, dum auro circundant, supposita tamen miniatula quadam tenui membranula reddunt illustriores. Quod si omni ex parte expectationi tuae non responderim, certe tanti Principis viri prudentiam, quae ad te derivata est, & in obscuro non latuisse laetaberis, & obsequium meum laudabis. Vale. Anno salutis M. D. XXV. Cal. Novembris e Surrento amoenissimo.

P. G. DOMITIO BRUSONIO AMICO OPTIMO SALUTEM.

EPISTOLA L.

Gratiarum actionem pro sui laude refert, eique, Consaeque ominatur fausta.

JAm pridem aestus ille ambitionis, tametsi cum aetate crescere solet, apud me refrixit: ut juxta fere existimem me praedicari ab aliis, aut taceri. Verumtamen ita hoc tempore tuis literis, quibus nihil elegantius, ita tuo testimonio, quo nihil gravius, ita tuis laudibus, quibus nihil est jucundius hanc meam languentem senectutem excitasti, ut pene juvenilem animum resumpserim, meque ipsum senserim veluti nova quadam honoris, & gloriae titillatione mirifice commoveri. Utinamque quicquid in me amice congeris non minus a judicio, quam a benevolentia proficiscatur tua, utcumque, unus mihi Domitius Brusonius, etiam si desint caeteri laudatores, omnium instar fuerit: cui rantum tribuendum esse censeo, ut si veram gloriam respexerim, ab eo ex animo laudari, quam a Principibus ditari fortunatius putem. Sed declarasti mi Brusoni per tuas literas, verum illud esse, quod omnes boni sentiunt, neminem alterius, qui sua fretus, ac subnixus est, virtuti invidere. Vive igitur felicissime cum Fabritio Consae Regulo laudatissimo: qui sui nominis memor, in omni virtute veteres aemulatur, hoc veluti auctarium quoddam suis ornamentis adjecturus, si Brusonium meum unice dilexerit. Vale. Quinto Non. Quint. ex Neap.

P. G. VESPASIANO COLUMNAE.

EPISTOLA LI.

Declaratio est officii in ipsum, Uxoremque.

HAec aetas mea, non modo in dies magis ingravescens, sed jam praeceps, & caduca si mihi ita vires corporis confirmaret, ut vigorem adhuc animi non minuit, laetius mecum, & commodius ageretur. Nam & tibi Principi optimo presto essem, cui semper obsequi summum mihi operae pretium foret, & praesentia tua excitatus, tuaque gratia adjutus, tum famae ac dignitati melius, tum ingenio propensius consulerem. Sed homines sumus: nobisque per hunc vitae cursum

cursum progredi tantum, atque egredi, non autem regredi permissum est. Id vero mi Princeps, quod totum mihi est integrum ipse praestabo: Te colam, te venerabor, de te semper honorifice loquar, & sentiam: tibi bona exoptabo, quaecumque virgula (ut ajunt) divina homini concedi possint. Cum praesertim hoc tempore talis Heroina tibi connubio juncta sit, qua nihil audio quicquam inveniri posse formosius, nihil festivius, honestius, elegantius: & qualem illa Julia Pompeji non modo sibi cognominem, sed filiam exoptasset. Neque tamen suspicor, mihi tam aversos Deos fore, ut vos aliquando non visam, utriusque manum exosculaturus. Vivere interim felicissimi conjuges, & tam illustre genus propagate, vestraeque posteritati consulite, & meam senis excusationem aequis quaeso animis accipite. Valete.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA LII.

Surrentina sede oblectatur, suaeque lucubrationis meminit.

ET terra, & mari uno die prospere me Surrentum appulisse, alteris meis literis tibi significavi. His vero nihil aliud habeo, quod scribam, nisi quod irascor mihi, qui tam male feriatus, & consultus fuerim per tam longam aetatem, ut alibi quam hic vixerim: ubi secessum quendam visa est, & quasi ex composito, fecisse Natura, ad omnes quibus humana mens oblectari possit voluptates. Nunc primum experior, quam dulce sit Ovidianum illud.

> Vive tibi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
> Fortunam cupiat quisque manere suam.

At hic latere nemo potest, sed Deorum vitam aemulari, & cum rerum natura loqui, & immortalitate frui. Utinam mihi id felicitatis contigisset in vita, & nulla tamen mea turpi culpa, perpetuum mihi ac necessarium hic datum fuisset Exilium: ut etiam si voluissem, hinc abire non possem. At invitis, & nolentibus nulla voluptas est. Immo quoties potionem respuentibus, postquam hauserunt, quae secuta est sanitas, jucunditatem attulit? Et si qua fuit saepe illata vis, omni postea libertate fuit carior? Dices, cur non idem quod tu, multi sentiunt? Quia multi (ut Ciceronis verbis utar) morbo aliquo, & sensus stupore quemadmodum suavitatem cibi non sentiunt, sic verae voluptatis gustum non habent. Mea Surrentina lucubratio est in cursu satis prospero (& ni fallor) bonis ingeniis placitura. Absolveretur omnino citius, ni genius loci amoenissimus ad se oculos cogitationes, reliquos sensus, denique mentem ipsam traheret. Vale.

P. G.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA LIII.

Laudatis ejus literis secessus sui amoenitatem, Amicorumque gratiam amplificat.

CAeperam suspicari nescio quid adversi, antequam tuas accepissem: praeterierant enim octo dies, & tamen nihil abs te literarum, scis qui amant quam sint, & suspitiosi, & morosi. Diis habeo gratiam, quod feliciter omnia, ut hujusce felicitatis Mula quoque sit particeps. Videntur tibi meae literae (ut amanter scribis referre Surrentinam quandam amoenitatem: tuae vero cum lepidis carminibus, quod certe felicioris est ingenii, sapiunt Neapolitanam dulcedinem: ut jam eo perveneris, quem cui vis ex elegantioribus opponamus. In hoc amoenissimo secessu, cui plus suavitatis, mea quidem sententia, non potuit indulgere natura, ita fruor vita, ut nihil invita (ut ajunt) Minerva aut mihi cogitare aut exequi contingat. Et genio pariter indulgeo, & ingenio, & Branciis, & Curialibus, & Judicibus, & Amphoris ita jucundus, & carus, ut idem fere amor, qui me Neapoli complectitur, hucusque me sequatur. Quod de hac mea hilari senectute tam bene sentias, spero id ipsum me ad finem usque vitae praestiturum. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA LIV.

Suae laudi respondet, in ejus literas jocatur, aegre Surrento divellitur, in cujus laudem carmen offert legendum: Sollicitus est de Salomone sui reditu, & Mula pro regressu.

ESsem longior in scribendo, nisi tu mi Tranquille laudibus, quibus me cumulas, feceris breviorem: ne si orationem extenderem, videar inflatus tumuisse. Jucundissimae literae tuae suis jocis lepidissimis tantum mihi moverunt risum, ut Surrenti nunquam riserim effusius, quandoquidem & tonstrinae, & apothecae me resonent. Spero me vobiscum Martinalia celebraturum. Nam & revocat me vester amor, & Placentina pensio. O dulce Coelum, quam vere Granata noster exclamat. Divellar hinc mihi crede, invitissimus: Multum enim refert, sub quo Coelo vivas, & aliquid mediteris. Praeterea nosti illud. Carmina secessum, scribentis, & otia quaerunt. Lege igitur hoc carmen Surrentino genio dictatum, dixeris, ni fallor, nec senis esse desipientis, nec Coeli crassioris. Cupio ab eodem Salomone reduci, a quo deductus sum: nosti hominis hilaritatem, & fidem, & benevolentiam in amicos non vulgarem. Mulam quae-

fo

ſo remitte bene ſoleatam. Tu interim vale. Nonis Novemb. ex Surrento.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA LV.

Caetera coram, quaedam adventui monita praemittit.

PRidie Martinalia tecum fuero, ſi aliud non obvenerit: craſtino die in Stabiano emporio pernoctavero. Si Martutius, qui navigaturus eſt ad vos, me praeceſſerit, ſive ſequetur, curabis mi Tranquille, ut ego feſſus de via, & calida lavari poſſim, & in lectulo bene ſtrato requieſcere. Multa ad vos offeram, quae confabulationes noſtras adjuverint. Nihil putes dum vivimus, & ſentimus quicquam eſſe dulcius ſecuritate vitae, & ingenii dotibus frui poſſe, liberum omni ambitione, & cupiditate. O Poetas aeternos, o ſolos ſapientes, quibus ad omnem virtutem, ad omnem quietem, id eſt vitae felicitatem inſtruimur. Si miſer aliquis ex tetricis iſtis hoc audiet, dixerit me inſipientem modo, ſed miſerrimo quoque miſeriorem, cui tota vita tanquam aliud agenti elapſa ſit: & qui nunquam ſe vixiſſe teſtabitur. Vale. VI. Idus Novemb. ex Surrento.

P.G. ALEXANDRO AMBROSIO S.

EPISTOLA LVI.

Sui laudatori gratus illum magni facit.

NOn tam laudari abs te pulcherrimum puto, quia laudandus es, ſit licet hoc primum, quam quod ita amicos laudas, ut neque elegantius de ſe, neque locupletius teſtimonium deſiderent. Dii boni quis curſus orationis, quis ductus, quis ornatus. Quibus quidem dicendi virtutibus non acta ſolum forenſia, quae fideliter, & accurate perſcribis, ſed tui Senatus graviſſima quaeque decreta ſervata dignitate potes conſequi. Tu vero non imprudenter, quis enim hoc tibi objecerit? Sed amanter nimium, quem extollere cupiebas, depreſſiſti: quippe qui adhibuiſti carioſo parieti pictae tectoria linguae, ut ſi quis velit expendere quem laudas, citra laudationem tuam nullam me laude dignum putet. Indulgeo tamen tuae in me benevolentiae: qui cum non videor paria facturus, niſi tibi in amore non reſpondero ſolum, ſed te etiam vicero. Vale.

P.G.

P. G. AMBROSIO NEAPOLITANO SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI.

EPISTOLA LVII.

De Sale jocatur.

MAgister, quem suspiciunt magistri salve. Misisti salem indigenti, quo tu exuberas: sed eo sale, illisque salibus, quibus magnus appares. Utinamque ut dono dedisti salis formulas, ita & dono dares quas in sacrario tui pectoris contines: quibus ego non cibum corporis, sed animi ac mentis penetralia condirem. Ut cumque, tibi gratias immortales habiturus sum, qui non modo salso munere mihi gustum exhilarasti, sed etiam instruxisti animum saluberrimo exemplo, dum me oblique admones, salem supra caetera condimenta haberi, & apperi debere. Vale, & me amantissimum tui redama. Ex Aversa Idibus Decembris.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA LVIII.

Elegantem hominem laudat quaedam monet, eorum plura dicturus, Nympharum salutatione refert.

ITa vivam, ut mirificam mihi voluptatem attulerunt binae literae tuae: quibus mihi persuasum est, te non modo elegantioribus musis jam acceptum, sed eum existere, a quo & fideliter, & prudenter, & ornate de gravissima quaque re, ne dum jocosa certior fieri possim. Sed heus tu, res eo devenit, ut tantum apud me possis, ut habita de te ratio vitae mihi propositum mutaverit: malimque mihi obesse, quam tibi non prodesse, quem video a fortuna supra omnium amorum fabulas amari: ut omnino piaculum me facturum arbitrarer, si tibi tam benignae sortis cursum interrumperem. Sed coram plenius omnia, & apertius. Vale. Tibi Dryades, Hamadryades, Napaeae, denique horum locorum Nymphae omnes dicunt salutem: quam putant se perdidisse, nisi te incolumem viderint, & reducem. Vale, & me ama cum te tam fortunate amari permittam.

P. G. TRANQUILLO.

EPISTOLA LIX.

Ei gratulatur, quod pervenerit, de vitae ratione servanda commonet.

MUltiplici voluptate affecerunt me literae tuae, & quod felici usus es navigatione, & quod nulla vexatus es nausea, & quod non

sine

fine elegantia fcribis. Gratulor igitur non minus mihi quam tibi, quando ita profeceris, ut de te jure gloriari poffim. Tu vero fub ifto Coelo fic te ipfum cures, ut ad nos habitior revertaris: ne ve committas, ut tua culpa quis aut Coeli, fub quo natus fum, malignitatem, aut fororum mearum avaritiam cavilletur. Utere infuper (fi fapis) Ulyxeorum remigum induftria, qui cera obturatis auribus noxios firenum cantus evaferunt. Nam fi te Siculae ac Erycinae puellae circumvenerint, fi blandis vocibus illexerint, fi irretitum tenuerint, inter Thynnos qui hoc menfe capiuntur, annumerari poteris. Expecto tuas literas longiores, te enim ipfum exacto Menfe Majo multo optatius. Vale ex Neapoli fexto Id. Majas.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA LX.

Invaletudine ftomachi ab illo revifendo apud Siculos retardatur, Defiderio Capicii torquetur, Tranquilli reditum urget.

UTinam Sicilia (ut olim fuiffe creditur) effet continens: tecum iftas amoenitates, iftos fontes, ifta oliveta, ac vineta luftrarem. Sed nofti ftomachi mei imbecillitatem, & quam fim importunus naufeator, ut etiam in portu mihi fit gravis fentina, mihi fummus vertatur aer. Nihil tamen moleftius fero, quam quod Capicio Patritio infigni caream, quem tota haec Civitas tametfi prope Italiam commorantem, ac fi in ultima degeret Thule, ingenti defiderio requirit, nec diutius patietur abfentem. Nos hic valemus omnes, fine te tamen incommodius, ac folicitius. Cogita jam de reditu atque ita ut primam quamque optimam navigandi occafionem non omittas, atque eo magis, quod audio Turcas, infeftare hoc noftrum mare: ut multum referat, quo tempore, quove navigio trasmittas. Circumfpice igitur omnia diligenter. Et te tibi, ac nobis ferva. Vale ex Neapoli XVII. Maii.

P.G. ANTONIO CAPICIO PATRITIO NEAPOLITANO SALUTEM.

EPISTOLA LXI.

Urget, ut redeat; illi fe fatetur obftrictiffimus ex iis, quae accepit a Tranquillo.

NEc tu aeftus ficulos diutius ferre poteris, nec nos defideridm tui, ut jam plane experiamur, quid fit te viro infigni carere: unde tot nobis provenirent commoda, ut vix tanti effe putem, te patriae meae adeffe, & a nobis abeffe. Multa mihi de te Tranquillus nofter, & ea omnia tanti apud me ponderis, ut fatear me nulli hominum magis debere quam tibi. Tu modo patrone optime ad nos aliquando redi:

redi: faciam enim ut intelligas, quem tibi perpetuo clientem devinxisti, nec in officiosum, nec ingratum unquam futurum. Vale. Nostri memor.

P. G. CARDINALI COLUMNAE.

EPISTOLA LXII.

Illi de honore gratulatur, suadetque ut Romam repetat.

DEbebatur tibi jampridem haec nova dignitas, quae te secedentem ad Belgas usque prosecuta est, neque enim tui animi vigor, ac magnitudo, tot virtum dotes, tuae illustris familiae decus, tanta de te expectatio, tot obnoxiorum vota poterant intra minora subsellia contineri. Evadendum tibi igitur fuit altius, utpote qui semper ita fueris animatus, ut contra impositum pondus instar palmae resurgeres. Proinde felix tibi, faustusque si novus hic oblatus honos, quem non modo ex omnium, qui te norint sententia impleturus es, sed exornaturus. Interim te ipsum serva, & Romam tuam repete, meque tibi nunc gratulantem hac Spe fovere ne graveris, ut me inter tuos habiturus sis. Vale ex Neapoli quarto nonas Julias. M. D. XVII.

P. G. CARDINALI VALLENSI.

EPISTOLA LXIII.

In ejus dignitatem est gratulatio.

O Laetum nuncium, o factum bene, o dignitatem bene collocatam: quando in te uno ita exornato tot apparuerunt bona, Leonis Ponr. Max. prudentia, publica Urbis Romae gratulatio, spes virtutis confirmata, gentilitium Vallensis Familiae incrementum, tot obnoxiorum fiducia, denique optabilia omnia. Ego vero mi Princeps tantum istae tuae novae dignitati gratulationis adhibeo, quantum expectare potes, & debes ab animo tui jampridem amantissimo, observantissimoque. Vale ex Neapoli Quarto Nonas Julias M.D.XVII.

P. G. EGIDIO.

EPISTOLA LXIV.

Habitas coram viris gravissimis ab Ambrosio Disputationes laudat.

NOn potui me continere, quam tibi per literas significarem, si quid apud nos contigerit memorabile, quod, etiam ad tuam gloriam accedat: nam qui tui sunt ordinis, tuaque sub potestate vivunt,

vunt, quique te ducem sequuntur, & veluti omnium virtutum exemplar intuentur, si quid agunt, quod animo, & ingenio tuo respondat, digni sunt cum summa tuarum virtutum praedicatione qui celebrentur, & hi, qui eos celebrant, non parum boni nominis assequuntur, si alienae gloriae non modo non invidere, sed etiam favere censeantur. Pridie Idus Julias in aede Divi Augustini pleno (ut ajunt) theatro, ac toto choro quovis hominum ordine refertissimo Ambrosius noster pulpitum ascendit, centumque innixus titulis per maximas quasque disciplinas commeantibus per septem, vel octo horas felicissime disputavit. Pulchrum erat videre veluti quendam statarium militem suis fretum viribus, nec loco unquam cedentem, nec hostes licet ferocissimos formidantem: sed qui aut illorum ictus clypeo impenetrabili exciperet, aut molli quodam flexu eluderet: & qui cum centies fere acriter impeteretur, restiterit ad finem usque certaminis invictus, delectabat praeterea spectatores quamvis in aestu diei ferventissimo, mira docti hominis in resumendis adversariorum argumentis memoriae felicitas, in solvendis erudita facilitas, ut longe aptius semper ipse objecta colligeret, quam objicerentur. Supervenit mediae disputationi Praeses cum Cardinali Borgia suscepit occasionem Ambrosius repetendi argumenta omnia Pariensis cujusdam ex his, qui Scotum sequuntur, quique tunc forte in certamen descenderat, quaeque ille suscitaverat: postremo quidquid ipse deciderat, tanta cum admiratione sui, ut per horam visus per salebrosa, atque aspera loca iter facere, nunquam ad lapidem offenderit. Exornabat, & condiebat haec omnia hominis humanitas, urbanitas, patientia, ut qui ne molesto quidem joco aliquem laederet, sed singulos honorifice compellaret.

Nolui fraudare amicum testimonio me qualicumque, apud te praesertim, cui praeclara ingenia tanquam praesidi placere maxime concupiscunt, cumque ab eo certamine adeo gloriosus abjerit, ut illum judicaverint omnes, & tua benevolentia dignum, & sibi, ac Patriae non parvum eo die ornamentum attulisse. Vale.

P. G. JOANCOLAE SALERNITANO S.

EPISTOLA LXV.

Illius est laudator.

Auctoritas nominis tui, quae ex singulari & generis, & doctrinae & probitatis dignitate proficiscitur, adeo late patet, ut non modo nos qui non longe absumus abs te, sed remotissimos quosque, vel ipsos Belgas, & Morinos extremos hominum, qui nobis hodie imperitant, ad te amandum, venerandumque provocaverit. Habet (ut nosti) egregia virtus hanc vim, ut etiam incognitos concilier sibi: nec patiatur de se silentium fieri, quin omnium voces, plausus acclamationes excitet. Montanus hic noster, quem tua sibi benignitas perpetuo devinxit, testis mihi est locupletissimus nullum se unquam mecum

cum habuisse congressum, in quo tu nobis; & honorifici de te sermonis exordium, & perorationem non dederis: immo etiam certamen non proposueris, uter nostrum de te cumulatius loqueretur, ubi quidem fateor me a Montano tanquam juniore impetu quodam saepe fuisse victum, copia tamen, & voluntate semper victorem extitisse. Habebis igitur patritiae insignis perpetuum me tuarum laudum non buccinatorem modo, sed defensorem: speroque aliquando fore, ut tibi coram hunc mei animi affectum non sine cummuni voluptate sim declaraturus. Vale, & Gravinae tuo interim praescribe, impera, & quicquid laboris haec mea sufferre potuerit canicies injunge. Iterum vale Neapoli Quarto calend. Sextileis.

P. G. CARDINALI VOLATERANO S.

E P I S T O L A LXVI.

Laudatum a Prospero Columnio hominem ardet videre.

JAmpridem devinxit me sibi Prosperi Columnae Romani Ducis excellens virtus, cujus apud me authoritas tanta est, ut singula ejus verba singulas Sanctiones putem. Hic igitur ad quem salutandum semper aditus patet (ejus enim conspectu, ac facie digna quidem imperio laetor maxime, ut qui illos veteres, & morum, & sermonum gravitate, ac prudentia repraesentet) de te quacunque oblata occasione ita onorifice loquitur, ac sentit, ita omni ex parte Principem te consumatum describit, ut mihi animo acre desiderium excitaverit tui visendi, salutandi, atque adorandi: ut pote qui videar extremum vitae actum in aetate jam inclinata fortunatissime absoluturus, si te, quod non desore, ante videro, quam e vita discesserim. Nosti enim quos aculeos habeat summae virtutis opinio. Interim Princeps optime te ipsum tibi, ac tuis bonisque omnibus, ac Reipublicae Christianae incolumem servato. Multa quidem vel insperata afferre solet ipsa dies: nec Solem post ingentes pluvias desperandum est. Me vero columnium Clientem, ac per hoc etiam tuum, obsecro inter tuos adnumeres, meamque in te abservantiam benigne suscipias. Vale.Neap. Quarto Cal. Decembreis.

P. G. HIERONYMO SIRINO REGULARI S.

E P I S T O L A LXVII.

Itineris gratia usurus est viatico, commendat ejus Literas.

LIteras tuas non modo gemmeas, sed etiam salutares legi, relegi ea aviditate, ut visus sim thesaurum insperatum refodisse, & si quid est omni thesauro praestantius, tantam rerum copiam, tantam vim, tantam in amico admonendo, curando, servando, charitatem inspexi. Utar viatico ex animi tui sententia, quo me in itinere,

quod restat, obeundo prosequeris; meque ipsum colligam, cautusque (quoad fieri poterit) videro ne ad lapidem offendam. Interim epistolae tuae ornatissimae, gravissimaeque hoc meum laconismon non aliter assurrexerit, quam solet occurrenti praetoriae, instructaeque navi cymba piscatoria vela summittere, remosque inhibere. Vale.

P. G. DEIPHOBO RUSSO.

EPISTOLA LXXIII.

Illius excusationi laudem retribuit.

Scribis Deiphobe humanissime non sine poenitentia, ac pudore te perdoluisse, quod orta nuperrime inter nos de Catonibus contentiuncula (ut enim Censorinum, ego vero Uticensem praeferebam) visus es & amico, & seniori, & homini alicujus in re litteraria opinionis acrius institisse, quam decorum pateretur. Unde plane colligitur, tibi consilium fuisse, si quid inde offensiunculae contraxerim, quod forte male me tunc habuisset, per litteras omnino diluere: & veluti adhibito mulso, si quid in stomacho amarulentum resedisset, edulcare. Laudo singularem humanitatem tuam, bonitatem admiror, quippe qui tantum mihi tribuendum censeas, ut in bona etiam tua causa cedendum putaveris: cum illud noveris epigrammaticum, qui velit ingenio cedere rarus erit. Sed esto, fuerim ego (ut certe fui) in tumultuario illo Sermone, quae senum natura esse solet, aliquanto morosior. Quid abs te, quaeso, dictum fuit non concinne, non modeste, non scite, non reverenter, non vere? Ut ingenue fatear, me plurimum tibi debere; qui, quod maxime decuit, nec de gradu (quod ajunt) dejici passus es, nec me colluctantem, frustraque seniles vires tecum ut validiore periclitantem prostratum volueris: Sed miro temperamento incolumem servasti, & paris gloriae consortem dimisisti, ut quem semper, & dilexeris, & laudibus cumulaveris. Quod si tibi inter loquendum visus sum concitatior, hoc praecavebam mihi, ne tuo acumine, tua facundia, & rerum copia, quibus excellis, imbecillitatem meam penitus obrueres. Vide igitur quo res ipsa reciderit, ut non modo nihil habeam a me, & referendam putem: per quem si non pari ingenii felicitate, attamen non impari voluntate intellecturam spero omnino posteritatem Deiphobum meum, insignem quidem virum, praeter juris scientiam, etiam notitiam antiquitatis, & morum praecepta, & humaniores literas, & dicendi elegantiam, & in amicitia fidelitatem, atque constantiam tenuisse. Vale.

P. G.

P. G. THAMYRAE CIVI ROMANO AMICO OPTIMO SALUTEM.

EPISTOLA LXIX.

Laudatis ejus Literis, hominem culpat, quod Neapolitanum Pontificem Romam revocet, rogatque ut a praeposito desistat eorum plura dicturus.

EXhibuit mihi etiam legendas, quas abs te proxime literas accepit noster Neapolitanus Antistes amantissimus tui: nam ubi prior illas mira aviditate perlegit, ad me conversus (utpote ad eum a quo non penitus aversas amoeniores musas arbitretur) Ecce tibi, inquit, Charites, & Veneres in scribendo nostri Romani Thamyrae oculatissimi: cujus ego consuetudinis suavitate, & ingenii elegantia, sic assuevi in meo Quirinali (dum Romae sum) frui, ut summorum regum felicitatis fastigium. Est ut nosti adunguem factus homo, suae ipsum literae repraesentabunt. Arripui perquam libenter, & legi, atque audientibus nonnullis patritiis viris, relegi non sine magna ipsius Principis, aliorumque omnium, qui aderant voluptate. Quid quaeris? Tuis ornatissimis Literis, illi diei, qui tunc genialis in domo Pontificia agebatur, album ne mentiar, quem dicunt calculum adjecisti. Visus es non tam ad Principem amicum scribere, quam apud eundem, veluti forensem causam luculenter agere, ea siquidem scribendi vi, eo ornatu, iis coloribus Jacobo religioso viro patrocinaris, ut statim quod optabas, persuaseris. Proinde non possum tibi amico veteri non maxime gratulari: quippe cui in aetate jam inclinata contigerit, & sensus vegetiores servare, & nihil habere hactenus, quod senectutem tuam incuses. Quin eo prudentiae, atque eruditionis pervenisti, ut veras cumulatasque animi divitias te adsecutum putem. Sed habeo post haec aliquid, quod tecum expostulem, quando nimium mihi videris amaror tui, qui dum rem tuam agas, dum tuo stomacho (ut ajunt) inservias, aut parum, aut nihil amicis indulges: nam cum nec velis, nec possis per tuas literas inficiari, quin ab hoc nostro Pontifice, & patriae, & propinquis. & amicis. & obnoxiis, & denique officio dignitatis, quam sustinet, aliquid dandum fuerit, hunc tamen postremo ita revocare contendis, ita urges, his rationibus ad Romam tuam repetendam adducis, & cogis, ut animadverterim Principem jam persuasum de reditu ante destinatum tempus cogitare. Sed quae (malum) invidia est? Ut qui te per tot annos fere contubernalem continenter habuerit, non patiaris nobis etiam, quibus & sol ipse sua debet lumina, paucorum saltem mensium moram impartire? Sine igitur, quaeso, aliquantisper eodem conspectu ijsdem sermonibus, eadem gratia, charitate, beneficentia, ijsdem heroicis certe virtutibus, quibus tu merito captus es, & nos etiam, qui capti sumus in dies magis capi, foveri, instrui, exornari, feliciores fieri. Non enim te hominem vere civilem, non Musarum amatorem, denique

nique Romanum dixerim, nisi nos amicos in tuorum commodorum participatum admiseris. Sed haec omnia brevi, ut spero, tecum coram Romae, non morosius, sed jucundius. Vale.

CARDINALIS VALTERANUS PETRO GRAVINAE. S.

EPISTOLA LXX.

Sui laudatori pro literis laudem rependit, eique, Nepotique ejus gratiam promittit.

SAlve mi suavissime Gravina. Tanta est vis eloquentiae tuae, ut cum tuas de me literas lego, pene alius mihi ipse videar. Unde fit ut desinam mirari mutatos animos, mutatas formas aliquorum vel cantu, vel sono illustrium poetarum: & tamen verear, ne si suas plumas repetant singulae aves, tanquam Cornicula nudata furtivis coloribus risum moveam prudentioribus: Quare te per amicitiam nostram oro, atque obtestor, ne me hoc falso gaudio duci patiaris. Sed virum non sane malum, neque in suavem amicum, & hominem qui multa viderim, multa legerim, multa passus sum appelles. Ita me ipsum recognoscam, meique nunquam obliviscar, quam veram sapientiam majores esse voluerunt. Feram nihilominus verum, & solidum fructum ex tua jucundissima epistola, non quia talis ipse sim, qualem tua charitas, & doctrina describit, sed quia laudatissimo viro pro tali placuerim. Nam quod tibi, Nepotuloque tuo petis, tam laeto animo pollicemur quocumque loco futuri simus, ut ultro tibi debere velimus, qui nos tali judicio ejusmodi effinxeris, a quibus boni aliquid sperari possit, in quo certe salute comite per Dei Omnipotentis benignitatem, & Columnensium Heroum tutelam, quantum praestari poterit, nihil a nobis desiderari patiemur. Tuas literas avidissime legimus, atque repositas saepius resumpsimus quin pari affectu rescribamus: quanquam nihil ad illas, sed velut anser inter olores. Bene vale, & nos (ut facis) ama: hisque bonis, si quae in nobis sunt, pro tuis utere. Fundis XI. Februarii MDXIX.

P. G. CARDINALI VULTERANO S.

EPISTOLA LXXI.

Animum illius, epistolasque commendat.

PRinceps amplissime salve. Visus sum tibi, quantum ex iis conjicio, quae postremo ad me rescripsisti, nimius laudator tui, eaque tibi tribuere, quae tu nec agnoscis, neque assumis, mihique de te pronunciandi, atque censendi deinceps modum quendam praescribis, quo decorum utriusque laudantis, scilicet atque laudati vetius concinniusque processerit. Laudo singularem modestiam tuam Princeps amplissime: prudentiam admiror, quippe qui mavis pulcherrima tot

orna-

ornamentorum frui conscientia, quam inanibus preconiis elevari. Ego ne, quem non modo non effigiavi, sed ne adumbravi quidem nimius in te describendo fuerim? Te solum testem cito, te appello (bene enim se novit ipsa virtus) te judicem constituo, quod si renuis, ad tuas ipsas, quibus respondeo, literas provoco, ipsae mihi patrocinantur, ipsae me infra dignitatem tuam non nimium tametsi verum laudatorem ostendunt, quibus nihil unquam legi exactius, nihil gravius, elegantius, prudentius: & quae mihi visae sunt tuum verum icona multo expressius, multoque similius attulisse: cui ego non aliter assurgo, & pareo, ac me submitto, quam Numini: vel quia meipsum cohibes a fervore animi in te mei, uti cymba piscatoria, quae cum fecerit vela, si in medio mari praetoriae navi, aut onerariae preciosissimis mercibus instructissimae occurrerit non sublato clamore solum illam salutat, ac reveretur, sed illi & vela submittit, inhibetque remos, clavum ipsum ad majoris, ac imperantis nutum directura. Vale.

P. G. SALICETO SUO S.

EPISTOLA LXXII.

Laudatis ejus epistolis, historiae conscribendae censet idoneum.

IRoniam in causa jam posita Socraticam praetendis. Nosti enim Socratem illum irona habitum esse, ut qui cum sciret fere omnia, se tamen nihil scire semper asseveraverit, idem tu praestas quoties in scribendo te deprimis, & nihil aut parum ingenio posse consequi existimari contendis. Sed (ut ajunt) laterem lavas, nunquam persuaseris. Nam cum te norimus virum plurimo rerum usu, insigni prudentia, doctrina non mediocri, gravi judicio, varia tametsi honesta semper in rebus seriis fortuna, constanti animo, aetate matura, vita elegantissima, scribendi figura exacta, atque magnifica, cumque haec omnia tecum habeas praesidia, historia scribere, nec velle debebis nec poteris? Mitto alia, quae scribis, quae cum aliquid ponderis, quia abs te ex industria inculcata sunt, habere videantur, nihil tamen urgent. Quid quod non ego de te decerno? Sed quicumque tuas literas legunt, legunt autem plurimi, statim idem sentiunt: ubi enim res expendunt, & verba, ubi densae brevitatis numeros animadvertunt, ubi nitidae orationis delectum considerant, te uno consensu tuopte ingenio ad historiam scribendam natum esse pronunciant: quando etiam jocose affirmant te intra paucissimos dies luculentissimis tuis ad me literis legitimam fere historiam conscripsisse, aut saltem ut ab aliis scribi possit quasi quosdam commentarios concinnasse. Quid me igitur prohibes de te idem sentire, quod omnes sentiunt? Quid flagitas tuas ad me literas supprimi? cum jam sint in manibus tot virorum clarorum, & sexcenta earum exempla per literatorum coetus devoluta: in qua quidem te non ego tibi, qui haec non ambis, sed mihi penitus indulsi, utpote quem per tuas gravissimas literas in illustri gradu collocaveris. Siquidem ad me undique concurritur, & ut

ut elegantiam in fcribendo tuam admirentur, & ut aliquid de rebus praefentibus feriis, ac imperatoriis cognofcant. Quod te per meam in te veterem pietatem obfecro, & obteftor, ut mihi permittas deinceps ita de te loqui, ita fentire, ita fcribere nec idcirco a refcribendo permittas: fed cures, ut frequenter tuas legam, neque committas, ut quem femel exornafti, quafi confilii poenituerit, neglectum relinquas. Vale.

P. G. MONTANO S.

EPISTOLA LXXIII.

De fua apud illum occafione fe purgat, curaturus eft ut ftipendium illi debitum reddatur.

MOntane falve. Talem me finxit natura, & ratio confirmavit, ut in conciliandis amicis, nec cito defiftam, nec temere incipiam. Te femper dilexi unice, atque ità diligendum putavi, ut nemo tibi effet inimicus, quem ego quoque hoftis loco non effem habiturus. Quis ergo tibi renunciavit his me faviffe, quibus cum diu tumultuaris? Primum cui favebit ille, qui fibi favere non poteft? Deinde quifnam fanae mentis amico veteri novum praepofuerit? Poftremo quis homo civilis, fi ex parva favilla magnum conflatum viderit incendium aliquid adlaturum mali, fi modo poffit non reftinguat? Dolui, fateor, cum illis te oro re joculari, & nugatoria in iracundiam incidiffe tam gravem, ut perpetuas Antonianas, feu mavis Nigrinas intonueris. Decvit certe hominem humanitatis profefforem humanius egiffe, & comoediam potius quam tragoediam concinnaffe, nihilque exiftimare antiquius, quam ab omnibus amari, tutiffimum, de quibus benemeritus fis, ne beneficium femel collocatum deperiret. Quod autem tibi debeant ftipendium, nunc primum per tuas literas cognovi, curatur us quantum in me ipfo fuerit, ut tibi perfolvatur. Neque enim poffent oppidani illi in te effe injurii, quin me etiam offenderent, cujus teftimonio erga te conducendum in primis ufi funt. Tu vero in caufa noli malos oratores imitari, qui boni judicii, atque confilii inopes non adverfarios modo, quibus cum litigant, fed etiam judices ipfos quos conciliare fibi debent, nimis odii morofitate malevolos efficiunt. Vale.

P. G. CARDINALI VULTERANO.

EPISTOLA LXXIV.

Confiliarius ejus patrocinio vult foveri.

ITa tibi contingat mi Princeps diutiffime vivere, uti jam fuppuduit fortunam egiffe tecum acerbiufcule: b evique futura tibi eft indulgentiffima, nofti vices rerum nihilque effe vel ab opinione vel

ab hominum ſpe tam remotum, quod aliquando temporum varietas, & occaſio non afferat. Serva te modo, ut facis: qui tametſi omnia pro te ſingulari prudentia circumſpicias, nec eorum, quae acciderunt nuperrime officio defueris, contende tamen deinceps quantum potes, ut quos abs te rerum mutatio alienavit, tibi confidere incipiant. Multa enim, quae non videntur vel ratione perſuaderi poſſe, neceſſitate vincuntur, quotieſque hoc contigit, ut quem quis acerrime oderat, eundem poſtea imperare deſideraverit. Ridebis: at non eſt hoc dare velle conſilium Principi conſultiſſimo, quem oracula conſulerent; ſed nolle diſſimulare, quod ſentio, quod expecto, & ut magis rideas, quod fere manibus tango. Ego vero nec abs te literas, quibus mihi reſpondeas, nec quicquam aliud, quod ambitioſus oſtentem, nec ulla praemia, ſi vera de te auguratus fuerim requiro, ſed tantummodo ut magnitudo, ac dignitas tua meam in ſe perpetuam obſervantiam benigno, quo ſolet animo ſuſcipiat. Vale. Neap. XIII. Cal. Junias.

P. G. CARDINALI VULTERANO.

E P I S T O L A LXXV.

Suo ejus valetudini conſilio proſpicit.

VEterum rerum obſervatio non modo bene dicendi, ſed etiam recte ac ſalubriter vivendi rationem, modumque conſtituit. Secedebant Romani Principes aeſtivo tempore in montes: maritima plana, & aeſtuoſa fugitabant loca: quod etiam hodie vos magni Flamines uſitare conſueviſtis. Audivi ego praeſens abs te, Fundos toto vertente anno tibi nec moleſtos, nec inſalubres eſſe, tibique aliqua ex parte idipſum videri forte tribuendum ſenectuti jam refrigeſcenti: quod cum non ſine ratione dictum ſit (quid enim ſine ratione tu unquam loqueris?) tamen eſt aliquid ulterius penſitandum, Fundos eſſe aeſtuoſiſſimos, ſenes vero aliquando, ob naturae infirmitatem, relaxationemque fieri aeſtu nimio diſſentericos, ne dum edacitate, quae in te cadere non poteſt: novi enim tuae vitae inculpatiſſimae ſobrietatem, ac victus caſtigatiſſimi temperamentum. Dixeris fortaſſe, jam ne tu etiam audes ſupra crepidam? quid ni audeam? dummodo intelligas haec qualiacumque ex meo in te amore meaque obſervantia proficiſci: nullas enim habet latebras verus amor. Quid quod ſaepe locorum mutatio profuit, ſi cum ratione fiat? delige tibi Oppidum frigidius, poſt ſolſtitium praeſertim quod imminet, in quo trimeſtre tibi ocium pares, & in utramque (ut ajunt) aurem conquieſcas: ſatis enim amplum Theatrum fuerit ubi tu conſederis. Tu vero (quae tua benignitas eſt) ignoſce ſi quid ſaluti tuae aliquanto cupidius proſpicimus, & optamus. Vale. Neap. IIII. Idus Junii.

P. G. SALICETO S.

EPISTOLA LXXVI.

Selini Turcarum Imperatoris Facinus immane recenset.

Condonamus quaedem vitia Principibus, praeter avaritiam, & crudelitatem. Quid enim humano generi perniciosius, quam avarus, ac sanguinarius Princeps? a cujus siti, & rabie nihil tutum nihil securum esse possit? Audio in Selino Turcarum Imperatore, qui hodie hoc tempore ex Principibus totius orbis Terrarum censetur maximus, imperatorias omnes inesse virtutes, mansuetudinem tantum desiderari: quod recens declarat exemplum. Deperibat hic formosissimam Puellam (ut ajebant) Graeculam mirae venustatis, in qua sibi nimium infra tot rerum gestarum gloriam indulgebat, ita ut tanquam jam factus decolor, & uxorius male audiret: suboluit nescio quid de hujusmodi rumoribus Principi: Secum statim consultat, seque ipsum colligit, indicit convivium, ductores bellicos admittit, jam accumbit, jam relaxat animum jocatur interim, denique praesenti laetitiae se accommodat: utique magis prodigiosam hominis naturam stupeas (neque enim se largius invitaverat, ne restaret calumniae locus) post quam exempta fames epulis, mensaeque remotae, hilari fronte, jocundo affatu, atque amor abundo similis jubet ipsam puellam coram deduci. Ecce tibi illa ut erat aetate, forma, proceritate, incessu, verecundia supra opinionem omnium conspicua, ad genua Imperatoris accedit, convertit illico in se cunctorum oculos, expectantium quidem laetiora. Mulcebat interim Imperator collum puellae, & ad convivas, ecquid vobis inquit de hac ipsa, an amplexibus nostris indigna? collaudant omnes raram pulchritudinem, & Principi ignoscunt. Expectabat misera suavium, & munera: eum subito furens barbarus, immeritam, & nihil tale suspicantem stricto pugione trasverberat. Jam solutus sum inquiens eo nexu, quo me non solvi posse credidistis. Stupor statim, & moeror consecutus. O ferum hominem, & vere barbarum: non fuit haec furiosa fortitudo, sed impatientia: non est hoc se ipsum vincere, sed succumbere; quod si fortis esse, & haberi cupis, arride potius, alloquere, assuesce, & abstine. Qui enim sibi, ne peccet necessitatem imponit, tunc maxime peccat, cum arbitrium peccandi non animi voluntate, sed fortunae necessitate abrumpit. Haec ad te virum insignem si ab aliis perlata sunt, ut veriora putaveris effeci; sin autem, habui omnino quae scriberem.

P. G.

P. G. PROTONOTARIO CARACIOLO INSIGNI.

E P I S T O L A LXXVII.

Historia cujusdam hominis, qui nudus leonem aggressit, sauciavitque: Constantiam ejus, & prudentiam in arduis Germania rebus gestis laudat.

AGebat Tuneti in terra Africa Mercator quidam Italus, qui ut cupidis mos est negotiatoribus,constituit ad rem augendam in mediterranea proficisci.Adhibet sibi Comites, conscendunt equos, & iter arripiunt. jamque in deserta perveniunt, cum interdiù fit illis obviam per solitudinem horribilis, & cruentus leo, vulneribus tardior, lento se proripiens gradu, & jam moribundo similis. Secedunt equites aliquantulum de via. Fera autem sic male habita, ne respiciens quidem recta sese agebat: illi vero, quo tenderent urgere equos properantius, vix ad lapidis jactum processerant, ecce homo quidam nudus, nihil habens velatum, procera statura toto hirtus corpore cruento in dextera pugione, impexo capillo, barba inculta, atrocibus oculis, minaci vultu: substiterunt admirabundi, ac si in pejorem feram incidissent. Quibus prior ille, vidistis ne, inquit, leonem hic aliquem vulneratum? vidimus, inquiunt, nec longe abest, jam jam quantum conjicimus moriturus. Tu ne igitur vulnerasti? quid tibi cum illo? ultus sum, (inquit) mortem germani Fratris, quem hic truculentus leo jam annum ab hinc in proxima sylva miserabiliter dilaniaverat, aggressus sum in spelunca jacentem, tribus vulneribus confodi, nec possum non mirari, quod adhuc vivat. male, inquiunt, vivir, si adhuc vivit. Tu vero si vis illum consequi, perge qua te stillae sanguinis perduxerint. Sed quaeso, quid tantum tu homo solus, & nudus uno pugione praestare potuisti? Quibus ille, audacia omnino opus fuit, attamen vos monitos velim, nihil homine nudo suapte natura leoni quantumvis magnanimo fieri formidabilius. Hoc enim viso, praesertim repente invasus, stupet illico, ac torpet, nec sese explicat, sed quasi conficiendum praebet. Adeo nihil est in natura tam ferox, quod non ferocius aliquid aliud patiatur. hactenus de historia. Tu vero vir insignis nuda animi simplicitate, nudo pectore sic te in rebus magnis nuperrime in Germania gessisti, ut tot feros leones, inter quos versatus es, non expaveris: qui tamen genium tuum venerati plane didicerunt tibi nec constantiam,nec prudentiam circa ardua defuisse. Vale.

P. G. T R A N Q U I L L O S U O S.

E P I S T O L A LXXVIII.

Curandum docet in Literis ab ineptorum hominum.

NOn possum mi Tranquille non ridere obscuram nonnullorum diligentiam, utque verius loquar, infelicem quandam in literis mendicitatem; qui ut aliquid sapere videantur, plane desipiunt, nu-

galia quaedam, & frivola ingerentes, unde nullum ingenii operae pretium consequantur. Quoties morosius disputant, ac si de archanis Philosophiae, deque summa rei literariae sit quaestio, haec scilicet nomina jucundus, & adolescens per u scribenda esse, & adeo adverbium media acuta pronunciandum, atque alia id genus, quae quidem tametsi non penitus respuenda existimo, tantum tamen operae in illis insumere, inanem, stultumque laborem puto; cum contra si saperent, rimari conarentur altiora: veluti si metricum aliquid in manus sumpserint, servet ne figuram suam, plenum ne sit, & grave carmen, an profluens, & canorum: absolvat ne quod proposuerit, sit ne ex se genitum, an subdititium, redundet ne, an intra suum alveum se contineat. Si vero solutum, atque oratorium quid expederit, constet ne suis numeris, num apposita emanent omnia, num vis in rebus, num sit in translationibus modestia, sint ne accersita multa, an sponte currentia, fucata an candida, num verba rebus consonent, sint ne aliqua nimis inculcata, & ociosa, num aliqua desiderentur denique praestiterit ne quod professus est. In his igitur judicium scribentis eminet, in his consilium excellit, in his erudita censura dignoscitur, atque in hujusmodi rebus pensitandis, aliisque non parum multis boni Poetae, Oratorisque dignitas absolvitur. Tu vero, Tranquille, quandoquidem non parvam in re literaria spem de te concitasti, noli quaeso hos graegarios aemulari: qui si veteres illos assequerentur, scirent non modo aut horum, quos enarrandos susceperint explicare mysteria, sed etiam recentioribus censoriam, quam dicunt, virgulam apponere, nunc vero inopes rerum secta i muscas tantummodo didicerunt: & cum Jonium mare attentare non audeant in lutulentis lacunis volutantur, ex quibus si casu aliquo emerserint, veluti Oceanum emensi glorianrur. Quod si quis me roget, an ego Censor novus haec impleam, haec praestem? dicam illud Horatianum, Fungor vice cotis acutum, Reddere quae ferrum valet, ex sors ipsa secandi. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA LXXIX.

De vestis mutatione eo suadente facta pluribus agit.

Diu fateor, dubitavi deberem, ne homo senex de tua potissimum, mi Tranquille, qui me nimium diligis voluntate, vestem mutare, & in postremo aetatis, ne penitus me destituam cultiore indumento conspectior in publicum progredi. Diu inquam an idipsum facerem in incerto fui: nisi enim extremum vitae actum circa omnem levitatis suspicionem absolverim, cum sint tot censores hodie, quot homines, in sexcentas facile calumnias incurram, abs te igitur pene persuasus tamen substiti, & in utramque partem ita mecum saepe disserui. Peccem ne ergo in publica, vulgares ineptias subditurus? Qui totus debebam ob aetatem, & studium a sola pendere prudentia, dicar petiisse praesidium a vestitu? Qui modo per fora, porticus, theatra commu-

muniori toga indutus, qui una tantum opinione subnixus ingenii, digito monstrabar, repente in oculos hominum prodiero undulata veste suffultus maculosae tegmine Lyneis? Quid quod nonnulli qui sibi nobiliores, sapientioresque, caeteris videntur, si quos videant in aetate praesertim praecipitata circa vestitum, cultumque corporis morosiores elevant, irrident, afferuntque quemlibet seniorem modo sensibus vigeat satis ornatum, satisque decorum servare, si pannosus naturae incommodis resistat: nisi illustribus majorum suorum imaginibus urgeatur. Caepi rursus alia quaedam altius mecum cogitare, quasi senectuti, nec minus mihi patrocinaturus. At est senectus ipsa natura tristis, exanguis, sui negligens, multis saepe despecta, externi omnino indigens adjumenti, quod ratio communis, ac praesens vivendi consuetudo non repudiet. Decet enim potius hominem juvenem circa augendi ingenii cultum, colendique munus animi occupatum, quique ad prudentiae maturitatem nititur, sui corporis, suique ornatus negligentiorem fieri. Quandoquidem juventa ipsa per se florida satis habeat ornamenti, si cum aetatis flore virtutis etiam decoramenta conjunxerit. Senex vero, qui meritis omnino, ac pietate sit gravis, eo prodire debet insignior, quo majoris prudentiae existimationem retinet: ne scilicet illa senilis gravitas, atque majestas, aut incuria, aut avaritia, aut egestate sordescat, nescio enim quomodo venerandam grandioris aetatis authoritatem, veluti quodam concentu, vestitus etiam dignitas comitatur. Poteram his esse contentus, ut tibi morem gererem, sed haec alia ex abundanti succurrerunt: nos in ea incidisse tempora, in quibus si velimus laceros illos, ac doliares (liceat ita loqui) & seminudos philosophos agere, a puerorum turbis undique concursantibus, & sputis, & colaphis, & calcibus impeteremur. Haec siquidem dies aliam vitam affert, ut est apud comicum, alios mores postulat, neque illud tibi est incognitum, temporibus serviendum. Sed quid mihi cum tetrica philosophia? cujus tametsi saepe ingressus adorem sacraria, non ejus tamen, sed poetice sacris sum initiatus: hanc enim profiteor, hanc sector, hanc veluti antiquiorem sapientiam veneror, huic me penitus devovi, & mancipavi, unde bonarum rerum omnium cognitio ad mortales defluxit. Est quidem salubris Philosophia, severa tamen, & superciliosa, Poetica vero hilaris & jocunda: illa barbam nutriri jubet, haec poni. Philosophia saepe Principes insectatur, Poetica adsectatur: illa praescribit, haec subscribit: illa coetus hominum fugit, haec ad se trahit: illa plerumque sordida, haec semper nitida, denique multa quae Philosophia reiicit, Poetica amplectitur: decebit igitur non ineptum poetam, licet senem, circumspectior vestis, & eleganti forma habitus compositior, praesertim sacris ordinibus, clarisque viris usurpatus. Nam nostratium nobilium sententiae satis responsum puto a sapientibus, eum adprime esse nobilem, qui ex virtute, & suo censu vivit, nulla mercenariae vitae labe sordidatus. Vicisti igitur mi Tranquille, & mihi jam quod intenderas persuasisti. Itaque in tuam sententiam non modo pedibus, sed toto corpore, totoque animo, ac nova etiam veste ornatus venio. Adde praeterea tot, quae ipsam novam vestem secuta sunt commoda. Nemo me ita indutum magnorum procerum

procerum

cerum janitor repellit, audiunt illico admissum libentius Principes, & blandiuntur: sciscitantur externi homines quinam sim: cedunt e via qui prius obstabant: equites, peditesque me respiciunt, observant. Salutabam antea, nunc resaluto: sic intra eadem moenia cum multis vivendum est. Vicisti igitur, inquam, mi Tranquille, & persuasisti: quantumque video, is fortunae (ut spero) & vitae cursus sequetur, ut nec te unquam hoc suasisse, nec me assensisse poenitendum putem. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO.

EPISTOLA LXXX.

Literas ejus Virorum Principum in eum benevolentiam, Acernitanumque secessum cum laude commemorat.

ERras, Tranquille, si credis desiderium tui alia posse ratione leniri, quam tuarum literarum tam dulcium frequentia, & elegantia: quod cum tam facile praestes, incredibile dictu est, quanta nos omnes amantissimos tui jucunditate perfundas, ita ut te absentem in tuis literis audiamus pariter, & videamus. Tu interim in isto Acernia-no veluti Amphitheatro, & tuorum Principum indulgentia,& loci genio fruere. Quodque in montes secesseris, boni consule: Nam qui Nereidas tibi hic conciliaveris, Napaearum istic, & Dryadum favore auctior factus ad nos ornatiorque redieris. Vale ex Neap. XI. Cal. Julias.

P. G. TRANQUILLO SUO S.

EPISTOLA LXXXI.

Carolo creato Imperatore Neapolitanorum laetitiam, Leonisque Pontificis Maximi laudes complectitur.

EO stoliditatis Rana olim credula devenit,si fabulatores attendimus, ut facile adduci potuerit intumescens aequare tauri magnitudinem posse: intumuit, dirupta est, & risum movit. Jam vides quorsum tendat apologus, si audeam tecum praesertim scribendi felicitate contendere, cujus prudentia nihil exponit temere, elegantia nunquam offendit. Tuam igitur, ut potero imitabor diligentiam, si non licet, aemulari: atque ita quae hic apud nos post laetissimum novi Caesaris Nuntium acta sint accipe. Ubi auditum est, & per literas cognitum Carolum Regem Caesarem creatum, tota haec Civitas repente, ut fieri in hujusmodi alacritatibus assolet ad varia significandae laetitiae commenta erecta est. Indictis itaque statim feriis Praeses cum omnibus ordinibus ad Aedem maximam accessit Deo Optimo Maximo gratulatum; ibi de more divinis honoribus habitis,multorum dierum supplicationes decretae sunt. Longus deinceps per vias impluviatorum Sacerdotum hymnos canentium ordo, totaque Civitas, ut est in omne in-

ingenitae hilaritatis genus profusa, discursibus, canticis, tripudiis, laetis clamoribus exultabat. Cymbala in triviis, organa in Templis, ac dispositae in quinque Urbis sessionibus dextrae, sinistraeque tibiae Doricum Nomon modulabantur, tintinnabulorum sonitus, & tonitrua bellica, omneque fulminantium genus coelum replebant. Nocturni per Urbem ignes instar ardentium Pyramidum diem redere, noctisque per umbram flammarum longi per Coelum albescere tractus, speculae omnes facibus, tectorum culmina, turritaeque arces laternis flammeis coronabantur. Quid quaeris? nihil quod publicam laetitiam exprimeret omissum est. Diceres eo tempore novum inter nos, & coelicolas magnae cujusdam benevolentiae initum foedus: Diceres mutatum anni tempus, & ex mense Quintili Aprilem factum, adeo festa fronde per urbem virebant omnia. Invitati postea a Preside per nomenclatores in Regiam condicto die Regni Proceres, qui aderant, & totius nobilitatis primores viri, ac primariae foeminae ad regales choreas, regalemque interdiu merendam more majorum celebrandam. Surgit in parte quadam Regiae, quae orientem spectat, Aula imminens portui multitudinis capacissima erecta, testudinata, & eminenti quadratura conspicua: haec ex omni latere amplis auleis contecta est, omne pavimentum stratoriis pictisque taperibus constratum, factus in hanc aulam magnus nobilium omnium ordinum concursus, implentur cunei, Praeses trabeatus in solio, Proceres purpuratis, & interlitis auro Clamydibus insignes, majoribus hinc inde subsellijs consederunt. Principes foeminae gemmis auroque fulgentes nativa forma conspicuae sua orchestra continebantur. Surgebant utrinque oppositi tibicinum concinentes chori. Praesto adsunt selecta tripudiantium paria viginti. Tripudiavit primus ad tibias cum Praesidis Uxore Marchio Piscariensis mira cum venustate. Tripudiavit deinde Comes Murgantinus cum Bisiniana ad numerum insigniter: caeteri per intervalla subsecuti. Facta postmodum tripudiandi pausa, ecce tibi plurimis conciuentibus tubis, & veluti ut ad militaris pompae sonitum arrectis omnium animis centumquinquaginta discophori praecinti, singulique singula ampla ex auro, & argento sublatis brachiis gestantes vasa, in quibus aurata extabant sigilla e saccaro varie industrieque confecta, ii longo per aulam ordine gravi, & convivali incessu in gyrum spatiabantur. Vas primum honoris causa Praesidi oblatum est, alia deinceps aliis, postrema vero ut in his celebritatibus consuetudo jam tenuit, populariter ac festiviter direpta, atque hic fuit merendae finis. Ludi post haec apparabuntur xystici, hastatorumque equitum cataphractorum concursus, & varia belli simulacra: nec defuerunt (ut audio) nobilissimi juvenes, qui etiam Trojam luserint. Qualis autem fortuna tantam laetitiam secutura sit, sola declarabit dies: neque enim haec tam magna sine numine divum eveniunt. Mira tamen spes est bonorum omnium sub benigno Principe, cujus juvenilis aetas, & clemens ingenium mite imperium pollicentur: moderante praesertim habenas totius Christianae Reipublicae beatissimo Leone Decimo Pont. Max., quo nemo unquam in bonos indulgentior in terris Dei Opt. vicem tenuit: sub cujus amplissimo principatu tot apparuerint commoda, ejus bonita-

nitatem, eumque divinitus creatum testantia, tot inter se mortalium per novum orbem terrarum antea nobis incognitum commercia, tot novarum e locis remotissimis rerum importationes, Indicae etiam belluae, ac pereginae merces nunc primum post Romanorum illud Imperium Romam deductae, ingenuae omnes artes restitutae, tot, statuae veterum insignes quasi ab inferis refossae, disciplinae liberales ad summum evectae, elegantiores musae suis premiis honestatae, tot linguarum genera in unam veluti urbem conclusa, summorum authorum libri diutissime intermortui in lucem, & vitam redditi, auctus sacrorum Flaminum senatus, sancti viri coelo consecrati, Roma instaurata, Principatus Ecclesiae propagatus, jura ampliata, Reges, ac Principes terrae facti obsequentissimi, novusque postremo sub ejus Auspiciis Caesar. Denique hic noster coelestis Leo non nisi publicam, ac diuturnam felicitatem confirmaverit. Sed ego aliquanto longius processi, quam par erat, tanti Pontificis raptus magnitudine: qui sibi luculentam historiam, non obscuram epistolam exposcit, suaeque Romae publicis gaudiis tanto haec nostra minora, quanto majori dignitate Urbs Roma alias Urbes, & Leo Pont. Max. Reliquos Orbis Principes excellit. Bene Vale.

P. G. SALICETO S.

EPISTOLA LXXXII.

Acceptis ejus literis de pluteo mittendo, & de carminibus sermonem habet.

Binas tuas literas, sero licet mihi redditas, cum eleganti deplorantis pastoris carmine legi perlibenter. Accepi etiam syngrapham, & quae tua mirifica cautio est, addis quoque instructionem plutei sine incommodo transmittendi: denique nihil praetermittis, & (ut ajunt) omnem lapidem tollis: ex qua quidem, ut tecum liberius loquar, curiositate offensiunculam, ne mentiar, quandam accepi, ubi primum sensi mihi abs te occasionem alicujus ostendendae industriae, & pietatis erga te meae. Ergo nudus si displacet, mittendus erat a Gravina Pluteus ad Salicetum, qui omnia circumspicit, cui omnia officia debentur? Sed una tantum cogitatione statim me solatus sum, quod cum tu vir prudentissimus intelligere id fieri posse; cavisti mihi potius, quam tibi, ne amicus, & literarum studiosus, & fere septuagenarius in tantam imprudentiam inciderem. Navigavi ego aliquando quamvis non Oceanum, novi Nautarum sordes, negligentiam, vexationem habebis, ut spero, illesum pluteum, nec injucundum, & tibi omni ex parte, ni fallor, morem gestum dixeris. De carminibus autem novis ad nos mittendis, & quae publicam venam non sapiant, tantum abest ut nos offendas, ut etiam tibi hoc nomine cumulatissimam gratiam habeamus. Quis videre gemmas recuset? Quis audire loquentes Musas fastidiat? Tu tamen poetam illum insignem, & Mecoenati jure acceptissimum admonueris: Finem illum, & principium car-

carminis insequentis, Amore infami, quo ad sensum ad ripam referatur, collisio tamen illa aures verberat: caetera vero sunt ejusmodi, ut paulo felicius Daphnis ille Virgilianus fuerit deploratus. Vale.

P. G. SALICETO.

EPISTOLA LXXXIII.

Panni a se accepti, Epicedii, literarumque ejus est laudator.

LOnge pretiosior pannus fuit hic posterior, quem ad me misisti, & quo vel in summo magistratu constitutus cuperem exornari, adeo cum purpura certat antiqua, & quidem dibapha. Jampridem nihil legi plenius epicedio illo: in quo inventio, elocutio, & numerus paribus virtutibus certant. Utraque autem ode encomiastice ad Leonem Maximum & paraenetice ad amicum, jure ad lyram, & quidem Venusinam possunt concini, unique ob dignitatis, & elegantiae similitudinem author tantum tribui. Unde tibi ob tale munus non vulgares a me aguntur gratiae: cum alioqui tibi non parum gratulatus sim, quod formosissimam epistolam tuam veluti sponsam omni ex parte conspicuam, nobilissimo comitatu decoratam ad nos miseris. Tu vero vive in ista luce nostri memor. Vale.

P. G. AUGUSTINO NYPHO SVESSANO PHILOSOPHO SUMMO. S.

EPISTOLA LXXXIV.

Gratulatur illi, quod vivat, vitaeque agendae morem insinuat.

DIu nos habuit attonitos, & acerbius afflixit falsus quidam de tuo interitu continens rumor. Sed quicquid illud fuit, re postmodum cognita, quod tibi ad honores, ac vitae incrementum accesserit, omnes bonarum literarum studiosi maxime gratulamur. Cogitabamus enim antequam vera de te rescire licuisset, quid casus, & natura soleant afferre, quantumque contra nos liceat perditis praesertim temporibus, gladiorum impunitati: ut jam ad vim syderum referri debere videatur, quod intra moenia passim caedantur homines, extra vero a crassatoribus non diripiantur modo, sed crudelissime trucidentur: nihilque aut parum posse praestare prudentiam in tam communi veluti laborantis naturae perturbatione, facile ergo creditum est quod fieri potuisset: Siquidem & summos homines a canibus aliquando discerptos, & ossifraga (si Diis placet) supervolante ridiculo quodam genere mortis, ac infinitis pene casibus absumptos legimus: ut jam beneficii loco esse possit, manibus quoquomodo hominum interfici. Dolebamus praeterea tantam doctrinae jacturam factam esse: quodque summum aetatis nostrae philosophum tam immature nobis ereptum, nonnisi maximum infelicitatis nostrae argumentum posteri

judicassent. Adde quod plures tui similes non frequenter gignit natura, neque excolit industria, quem unum nostris temporibus extitisse miraculo adscribimus. Sed ad te de tuis laudibus parcius: jam bene haber. Vanus evanuit rumor, omnia sunt nobis integra, & meliora. Vivit in Patria Augustinus, & quidem communi bonorum omnium voto vivit: Felicius tamen tecum agetur in posterum, modo memineris; si tuae vitae modum metiaris, te supra peripateticum vivere, si gloriam nominis, supra philosophum, si animi divitias, supra hominem, utque solemus aliquando ad bonam retinendam valetudinem relictis lautioribus cibis, simplicioribus uti, sic tibi non despero ad bonam servandam fortunam cupiditas quandoque incesserit, intermisso tuo dogmate inter stoicos non ut transfuga, sed tanquam hospes aliquandiu stoicari. Vale.

P. G. VESPASIANO COLUMNAE.

EPISTOLA LXXXV.

Ad laudandam ejus uxorem incitatur.

LUsi nuper quasi decuriam quandam epigrammaton in gratiam principis foeminae Beatricis Appianae uxoris tuae pudicissimae: quod existimavi ejus corporis atque animi fortunaeque dignitatem tanti esse, ut gravissimi cujusque elogium ne dum meas nugas in sui praeconium excitaret. Accedit ad hoc, quod cum jampridem in vestram clientelam concesserim, nec minus tibi quam patri non injucundus sim vestrarum laudum perpetuus usque ad calumniam buccinator, nolui committere ut haec tua Beatrix, quae cantatissima esse debet, incantata mihi praeteriretur. Cumque sit illa Hethruriae suae, ubi nata est decus, curavi ob hoc, ut non latine modo, sed etiam Hethrusce suas ipsa dotes agnosceret, hoc tantum nomine, ut tu Princeps jam imperio maturus, & ad omnem virtutem natus, haec pauca tanquam praeludia quaedam legitimi fortasse, ac serii futuri cantus accipias. Vale tanta auctus conjuge felicissime.

P. G. LUDOVICO COELIO VIRO ERUDITISSIMO.

EPISTOLA LXXXVI.

Illi, cujus lucubrationes commendat, se devovet.

CElebritas tui nominis tuaque in re literaria amplitudo faciunt, ut tametsi de facie te non novimus, tibi tamen abunde illa omnia animi bona contigisse putemus, quibus summos aliquos viros a natura, & studio honestatos esse, & legimus, & audivimus, neque hujus rei argumenta aliunde oportet sumere, quam ex tuis lectionibus antiquis, quibus nihil hac nostra tempestate, pace multorum dixerim, legi quicquam plenius, eruditius, luculentius: ut saepe de illis in coetu

coetu doctorum virorum libere pronunciaverim, ficuti ipfe Caefar Vicecomes nunc totus tuus, olim meus, non minori nobilitate ingenii quam generis excellens, locupletiffimus teftis effe poteft nullum opus literarium annos ab hinc fexcentos elaboratum fuiffe praeftantius, quod non tantum in gratiam tuam, quam in mei judicii fınceritatem dictum velim. Cum igitur certo jam fcias me tui effe obfervantiffimum, rem mihi non parum gratam feceris, fi aliquid injunxeris, quo mea haec in te obfervantia infignior fiat. Dummodo intelligas rem meam potius a me agi, quam tuam. Siquidem a Ludovico Coelio diligi, & in fuis haberi nil aliud eft, nifi quadam laurea, & quod longe optabilius effe debet, immortalitate donari. Vale.

P. G. INCLYTO CESARI VICECOMITI. S.

EPISTOLA LXXXVII.

Ornatiffimatum ejus literarum defiderio flagrat.

SI ad honorum gradus, ut fperamus, fic te evexerit fortuna, ut tu te ipfum Caefar ad facundiae faftigium extulifti, feliciffime tecum effe actum putabimus: adeo enim in fcribendo imples omnes numeros elegantiae, ac venuftatis, ut dum tuas literas legimus, nihil in illis defideremus. erunt certe aliqua ex parte defiderium tui, teque nobis praefentem reddiderunt, quodque citra adulationem dictum fit, os meum licet edentatum, dum pronunciarentur fecere concinnius: ut mihi non legendi femel, fed faepe illas relegendi munus rogantes amici injunxerint. Scribe igitur quaefo ad nos frequenter, ut frequenti afficiamur laetitia. Meum tamen confilium fuerit tecum brevitate uti, cum plane fentiam ubertate, & elegantia orationis me tibi longe imparem, charitate vero animi non inferiorem. Vale.

P. G. EGIDIO AUGUSTINIANI ORDINIS MODERATORI S. P. D.

EPISTOLA LXXXVIII.

Gratiam penes illum Sueffano Philofopho conciliat.

NIfi tibi Sueffanus hic nofter Philofophus notus effet, & jampridem infpectus, pluribus tecum agerem. Liber homo eft, & qui faepe mavult amicum quam dictum perdere, non (ut opinor) offendendi animo, fed jocandi potius, aut differendi. id autem hinc colligi poteft, quod cum Giganteum nefcio quid meditetur, vel non profpicit ejus exitum, vel non perhorrefcit, nec joco enim, nec ferio laedenda funt numina. Tibi vero Auguftiniani ordinis Principi video ab homine magis erudito quam provido impofitam fuiffe ob tui decoris obfervantiam, neceffitatem quandam, ut quem forte jure veteris amicitiae non oderis, videri velis (quae tua cautio eft) tanquam inimicum,

& odisse, & insectari: ut qui tuae, tuorumque dignitati deesse non debeas. quod quidem magnopere probandum puto, si modo tu quem affligere potes, incolumem pro tua benignitate servaveris: quando tibi liberum est antidotum vulneri indere, aut venenum. Utrum vero te facturum speremus, nihil facilius judicare. nam cum tu omnium fere liberalium disciplinarum arcem teneas, non committes, ut is, quem ex totius Italiae consensu omnes philosophiae studiosi summum peripateticum admirantur, te saeviente, aliquod incommodum patiatur. Docti enim (ut inquit ille Arrius) doctos amabunt, si erunt docti: cum alioqui multa hujuscemodi in hominum vita suboriri soleant, quae non minus ridendo, quam feriendo eludi, ac dilui possunt. Vale.

FRATER EGIDIUS PETRO GRAVINAE.

EPISTOLA LXXXIX.

Cum Consalvo Duce laude collatum ad concilium vocat.

Bellum Gallorum in Italia geritur: Romae Ecclesiae Synodus habetur: & abest a bello Consalvus, & a Synodo Petrus Gravina, quam bene sine Consalvo bellum, tam sine Gravina Synodus habebitur. Tu itaque accede, quod illi non licuit: aut te Laterano deesse concilio, illum Ravennae, & Hispanis coactum dicemus. Alterum voluntati, alterum necessitati tribuetur, ut intelligas Hispanos in Italia non vicisse, sed Consalvum, cum absente Consalvo victi sint: nec Romam eloquentia floruisse, sed Gravinam, quo illa absente, aut muta, aut certe balbutiens atque inepta esse videatur. Vale.

P. G. EGIDIO S.

EPISTOLA XC.

Consalvi Ducis cum laude mentione facta ad concilium non veniendi rationem attexit.

In hoc potissimum tuae lepidissimae literae, vir magne, me delectarunt, quod seriis jocosa facetissime miscuisti, quodque veluti scurram adibuisti regali convivio: cum post honorificam summi, & invicti Consalvi Ducis mentionem, me statim, nominatimque summiseris, quin etiam (si diis placet) pene contuleris: ut nisi amor in me tuus jam diu esset, spectatissimus, non aliter ea collatione me derisum putarem, quam ficulex elephanto, musca Aquilae, formica leoni jungeretur. Sed amoris ratio te vir optime ad hoc impulit. Nam cum tu tantum Ducem colas atque suspicias, sciasque eundem mihi esse loco numinis, non dubitasti me illi tanquam asseclam, fidissimumque stipatorem adjungere. illud profecto fateor abs te decenti admiratione dictum, a bello Gallico Consalvum Ducem abesse, illius gen-

gentis, quae gloria belli ante plurimas nationes extiterit, triumphatorem, qui si hoc tempore affuisset, si contulisset signa, tertio haud dubie triumphasset: adeoque memoria tanti Principis me reficit, ut ausim quod de eo semel asserui carminibus apud te praesertim denuo affirmare.

Hunc unum antiquis quem nostra opponere possunt saecula, adesse virum, quo sospite nulla tumultu Barbarico Ausoniis timeantur praelia campis. Sed heus tu, sic placitum superis. Quod autem de me ipso subjungis, utinam sic vere, ut jocose scriberes, quod quam bene sine Consalvo bellum, tam bene sine Gravina Ecclesiae Synodus habebitur. Quaeso te quid mihi cum Synodo? Quid (ut ajunt) cum amaracino sui? adibit Idus egens conventum, conciliumque Semideum? ubi mihi ornatus cum syrmate? quem neque fortuna, neque dignitas fulcit, audebit hic venire in conspectum Summi Pontificis? Spectare tot linteatos ac purpuratos flamines? tantumque in omni virtutum genere praestantium virorum consessum? Quem nulla dicendi copia exornat, hortatur, animat, audebit hic se illuc ingerere, ubi magnus Egidius censorio in haec clamore proruperit? O mores, o tempora, ubi illa tragica intonuerit? Ardebit iterum Vesevus, terra contremiscet, oceanus inundabit. Sed esto accessurus sim: quid me aliud Romae facturum putas, quam ut summa cum admiratione te attonitus audiam? abs te pendeam? cui datum est supra humani ingenii captum modumque ea dicendo consequi, quae ne cogitatione quidem coeteris licet assequi. Quod si me istuc omnino profecturum censes, vide ne plus ambitioni tuae, ne dicam gloriae, quam commodo amici consulas. Tametsi (ut spero) me brevi in meliore tua fortuna salutandi tui ratio altera Romam acciverit. Interim quae tua humanitas est, sinas nos hic neglectos, ignobilesque, ut quimus, vivere, & aliquid nugarum nostro de modo meditari. Tu vero magnus inter magnos vive, & vale, & me, ut facis, ama.

P. G. PROTONOTARIO CARACCIOLO S.

EPISTOLA XCI.

Laudes in illum Sociosque cumulatissimas confert.

Abii abs te, & a viris illis ornatissimis sodalibus tuis non totus, sed dimidiatus. Quippe qui meliorem mei potioremque partem vobiscum reliquerim animum scilicet, & mentem. Nihil enim aliud dies, noctesque cogito quam felicitatem illam tuam, & amoris per tot annos erga me constantiam: ut si modo fortuna annuerit, nil aliud cupiam, quam id aetatis reliquum tibi destinare, & in tua gratia conquiescere. Quid, quod mihi tecum semper ante oculos observari videtur Salicetus ille ad unguem factus homo? cujus mira est comitas cum gravitate conjuncta, an possum praeterea oblivisci Don Joannis Laguntini hominis? quem Roma ita expolivit, ut in Hispano corpore Romanum pectus ostentet, suorumque majorum dignitatem

omni

omni virtute consequatur. Quid memorem Mantuanum illum meum in quo adhuc juvene nescio quid senile conspicitur? Cujus ego modestiam tanti facio, ut nihil ulterius in illo desiderandum putem. O mihi liceat aliquando tale contubernium si non implere, at saltem venerari, cujus quidem voti, haec summa merces erit, ut dicar tantummodo ex vobis unus esse. Vale.

P. G. EGIDIO SUO S.

EPISTOLA XCII.

Ejus orationi laudem tribuit.

UNo haustu orationem illam in aede abs te lateranensi habitam divinam quidem absorbui: adeo enim me statim coeperunt singula, ut arripuerim avidissime omnia, eaque rerum atque verborum prudentia, eruditione, elegantia, & suavitate perfusus sum, ut me ad finem ipsum non tractum, sed perductum esse senserim. Verum de ejus virtutibus alias uberius, beatos interim existimo, qui te dicentem in tanto consessu audiverunt, serium hominem de feriis leria verba facientem. Quantum (scio) jucunditatis, quantum admirationis illa tua viva vox, illa actio attulit? quantus animorum motus, nec sine lachrymis excitatus, ubi te ad illa Sanctissima Apostolorum capita convertisti? ut nihil verius dixerit Aeschines. Quid si illum audivissetis? praetulissem profecto qualencumque per id temporis in Urbe Roma servitutem huic ignavae libertati dummodo in connivens, nec fere respirans abs tuo orantis ore pependissem. Non possum tamen hujus absentiae molestiam solari atque huic jacturae nisi hac ratione mederi, quod de te maxima quaeque dicendi ornamenta animo concepi, quae quidem scio mihi non posse adeo felicia videri, ut in te non reperiantur longe feliciora. Vale.

P. G. TRANQUILLO SUO. S.

EPISTOLA XCIII.

Malevolorum sermunculis.

RIsi multum, & quidem Democritice posteaquam deprehendi technam quorundam invidorum, qui stulte putaverunt mihi negocium facessere, si Camelum adversus me incitassent: Sperantes hac ratione existimationem meam imminui posse, si cum illo congressus essem. Stolidos homines, & infelici judicio praeditos, qui potuerunt adduci, ut crederent, si me Asellus calce impetivisset quod omnino recalcitrassem, decoris, ac dignitatis immemor. Nec advertant (liceat mihi tecum ita loqui) meo mihi ingenio tantum nominis, & gloriae esse partum, ut ruditus omnes Arcadici si circumstreterint, non minus me perturbaturi sint, quam Fabritium illum vox inclaman-

mantis in aurem elephanti. Desperent ergo penitus malevoli se quicquam profecturos: cum praesertim intelligant tantum jam apud Principes viros, & Litterarum studiosos quam plurimos praejudicatam de me, nescio quo fato, opinionem valuisse, ut nostra illis (si Diis placet) pro ratione sit authoritas: & ut etiam utrique nostrum risum moveam, putant, his quae affirmant factum esse satis, si illud more Pythagorico intulerint, ipse Gravina dixit. Resipiscant ergo, & quiescant implanatores isti; nisi malint me senem quidem, sed nec delirum, nec edentulum experiri, quin potius eo genuino dentatum, ut si mihi remordendum sit, notam profecto indelebilem sibi infixam sentiant. Tu vero Tranquille, pro mutua inter nos benevolentia, si in istiusmodi Ennianos homines, quos mea vivendi honestior fama male habet, incideris, ex me admoneas, ut discant ex consensu eruditorum non Homeromastigas, sed Homeros ipsos tandem vivere. Vale Venaphri Idibus Quintilis.

P. G. E G I D I O S.

E P I S T O L A XCIV.

Fratrem Michae'em suo muneri satisfacientem laudat.

Memini me alias apud te ingenium Fratris Michaelis Neapolitani nostri, quem nuper tua benignitas Lectorem constituit, non parum commendare, eundemque a me inter eos connumerari, qui magnae spei sint jam idem sentio, idem affirmo, nec fraudato amicum hoc recenti testimonio: quod legendi munus, quo honestatus est, adeo acute, copiose, & diligenter implet, ut aetatem virtute praeveniat, gratiamque in se tuam efficiat pleniorem, justioremque. Vive tu modo, a quo ut ab optimo Christianae militiae, & invicto Imperatore, ingens strenuorum militum numerus defluxerit. Vale.

P. G. T R A N Q U I L L O S U O S.

E P I S T O L A XCV.

Sibi illatam carminis accusationem depellit.

Conati sunt nescio qui parum amantes mei, multumque dissimiles tui, quibusdam artificiis, ut audio, per totam Neapolim ritmusculos quosdam ferere, atque animis hominum inculcare, illius me carminis authorem fuisse, quod in Monsellinum sagitta confossum proxime vagabatur: eum alioqui omnibus testatum velim, me amici casum dolenter tulisse utpote ejus, & qui me dum vixit suspexerat semper, & qui frequenter etiam studuerit promereri, duplicemque mihi notam hac industria inustum iri, sperabant, & maledici poetae, & insulsi, quorum alterum tantum abest, ut mihi jure imputari possit, ut etiam ad hunc usque diem tanquam nimius omnium laudator

fere

fere ab omnibus insimuler, alterum vero hac mea mediocritate ingenii ita puto a me penitus abjecisse, ut vulgata jam opinione inter falsos, venustosque, vel gementibus invidis, receptus sim. Placeat igitur sibi illius author carminis, quisquis est, ex sententia: mihi certe nec genium habere videtur, nec nisi vulgare, ac de medio sumptum: in quo n hil remotum, nihil acutum, nihil denique ingeniosum emineat. Nam quemadmodum paucorum est omnino benedicendo benedicere, ita & paucissimorum maledicendo apte dicere. Unde non ab re Coecilius ille secundus amicum poetam laudavit, qui multum salis haberet, & fellis, nec candoris minus. At nostrates quidam omne jam tulisse punctum arbitrantur, si carminibus suis multum fellis ingerant, salem penitus non immisceant, & fatuum illud ac insipidum quicquid exit, dummodo amarulentum emittant. Sed ipsi de se viderint: cum tamen desperandum sit eos posse molliri, aut reformari, quorum inveterata stultitia incalluit. De me autem videor posse hoc polliceri, ut nec mihi canina facundia appetenda sit, nec cum mortuis (ut ajunt) luctandum: non enim timeo me unquam tali fortunae, atque animi praesid o fore destitutum, ut cum vitae dignitas postulaverit, Tigillinos lacessitus perhorrescam. Vale.

P. G. TRANQUILLO S.

EPISTOLA XCVI.

A consalvo futurus tanti Ducis laudator accepto stipendio Invidos.

FAlsa licet cupidus deponat gaudia livor. Hoc enim Propertiano carmine mihi libet praefari, quandoquidem Consalvi Ferdinandi magni invictique ducis munificentia in me promerendo, ac exornando ita excubuit, ut instaurato mihi stipendio, auctaque mercede, honestissimum vitae ocium, nec sine dignitate suppeditaverit. Quo quidem successu, non tam mihi videor posse placere, quod ita vivam, quam quod ille dux ferarum gentium domitor me unum delegerit, a quo voluerit res a se gestas, quas nulla unquam (ut auguror) temporis longinquitas aboleverit, perscribi. hujus enim Principis censura apud me tanti est, ut ejus gravissimo testimonio me supra caeteros omni laurea, omnique decoramento insignitum putem. Quid ergo mi Tranquille hac re cognita ulterius obstrigilaverint invidi? quid opposuerint? Quid etiam quod non tam aversas a me fore arbitror Musas, ut non ea scripturus sim, quae vocem pen.tus obtrectatoribus ademptura esse confidam? ut si stilus ipse, de quo mihi desperandum non est, haud quaquam placuerit, jucunda certe tantarum rerum cognitio, tantique Ducis amplitudo, non modo nostri temporis homines, sed posteros quoque ad legendum illexerit. Tu vero alumne, spectatissime si quibus male de me opinantibus occurres, eos Virgilianis Carminibus hoc modo deterrebis.

In-

Invidia infelix furias, amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, & non exsuperabile saxum. Vale.

P. G. EGIDIO S.

EPISTOLA XCVII.

Captata laudis occasione hominis in se benevolentiam confirmat.

DIu est quod te non visitavi per literas, quia per annum in secessu Venaphrano me continui, nunc vero Michaelem Neapolitanum nactus juvenem, non modo ob ingenii praestantiam mihi carissimum, sed etiam multo cariorem quod novi amantissimum tui, non passus sum illum ad te ire sine meis literis, qui quidem cum soleat mecum quam saepissime, immo fere in omni congressu de te honorifice loqui, videtur non parum sibi nominis hac ratione comparare posse, si in te extollendo, & quasi ad unguem describendo se exerceat: recenset mihi tuae singularis doctrinae varietatem, inculpatissimae vitae tenorem, in regendo prudentiam, in contubernio facilitatem, & elegantiam; denique te non minorem intra cubiculum, quam in suggestu, in quo tantum excellis, & concione ostendit. Quae omnia tametsi mihi jam pridem nota sunt, nescio tamen quomodo calore quodam, & impetu dicendi tanquam nova repraesentat, & auditu facit esse gratiora; nec possum non admirari, quod etiam in te laudando vim illam tuam in dicendo quantum potest aemulatur: vel hoc uno benevolentia tua dignus, quod te tantum amat, & observat, tuique similis esse cupit, quem quidem cum tam apte, & copiose suam in te pietatem apud omnes augeat, enixe rogavi, ut meam quoque summam erga te observantiam augeret apud te, & renovaret. Vale.

P. G. AMBROSIO NEAPOLITANO SACRAE THEOLOGIAE DOCTORI S.

EPISTOLA XCVIII.

Suum in agendo morem defendit.

SI non possum amicos vincere opibus, ingenio, doctrina, certe hoc potissimum contendo, ut amoris fide, & constantia vincam: nec enim in amandis amicis cito desisto, nec temere incipio. Quare tibi volo esse id exploratissimum, neminem tui ordinis te mihi cariorem, neminem, quem magis amem, & observem, & cui magis tribuendum putem, quod autem, ut tu flagitaveras non scripserim, id quoque amoris fuit, siquidem ita sum animatus, ut simultates inter amicos extinguam potius, quam exsuscitem: soleoque me compositorem

rem magis litium exhibere, quam instigatorem: ut qui esse debeam inter duos amicos non alterius impugnator, defensorque utriusque. At, dixeris, pro altero scripsisti: scripsi fateor, nihil tamen, quod ad vestras controversias attineat, nihil, quod tuam existimationem minuat, nihil denique, quod me scripsisse moleste sis laturus, ut ex me coram brevi intelliges, scribamque ego pro te, si contigerit, epistolas simili exemplo sexcentas. Itaque nihil habes, vir doctissime, quod mecum expostules. Ego vero habeo quod te incusem, quod me eum suspicatus es, qui professionis meae, quae (ut nosti) a moribus non abhorret, tanquam inscius, vel malignus decorum non servaverim. Vale.

P. G. FERDINANDO PARENTI CONCHANO S.D.

EPISTOLA XCIX.

Laudatum adolescentem firmat in studio Artium liberalium.

Quemadmodum te juvenem ornatissimum decet seniores omneis, de quibus aliqua vel probitatis, vel eruditionis est opinio, revereri, ita ipsis quoque maxime convenit, quam de se apud omnes existimationem concitarunt, non solum fama, quae plerunque inferior vero esse solet, sed omni ingenii, ac vitae approbatione sibi integerrimam servare: junioribusque si quos vident bonarum literarum studiis ad veram gloriam niti, adjumento esse. Utinam, mi Ferdinande, is ego essem, quem tu suspicaris: utinamque ut amori erga me tuo, sic possem judicio respondere, utcumque tuam egregiam in me voluntatem mirifice amplector, eoque justius, quod amari a probatissimis summum operae pretium est, si quid tamen est in me ingenii, quod scio quam minimum sit, id ipsum os illud aureum Paleni nostri Principis de me nimis amanter sentientis & auxit, & illustravit. Cui totum acceptum refero, si modo aliqui de me honorifice sentiant, & loquantur. Tu vero ut ab omnibus audio, & quantum ex tuis ad me lepidissimis literis facile colligitur, Sol oriens dici potes: in quo quidem quantum conjicio, virtus ipsa aetatem praecurrit. Nava igitur operam circa liberales disciplinas studio pertinaci, teque ipsum tamen ita promoveas, ut non festinata maturitate pervenias ad frugem, sed sequaris potius quam praecurras, illosque cautius navigantes imiteris, qui lenioribus auris in portum deferri cupiunt, quam qui periclitati violentis tempestatibus se committunt: Niphumque tuum sequere, summum aetatis nostrae philosophum, studiosaeque juventutis praecipuum moderatorem. Vale. Quinto Nonas Octobris ex Meronida.

P. G. BERNARDINO ROTAE S.

EPISTOLA C.

Carminis sui meminit, dolentem in Fratris obitu solatur, in ejus Domum, ac Epicurum est officiosus.

Et epistolam a me accipis, & carmen serius quam expectaras, nulla quidem mea culpa, sed temporum: Tot enim hoc anno pestilen-

ſtilentiſſimo veluti facto agmine infortunia inguerunt, ut ſublatis undique commerciis fere homo alius alii non fuerit hominis vice. Tu vero amorem in te meum, inque veſtram omnem familiam, & quae nunquam defutura eſt, egregiam a me accipe voluntatem. Utinamque ut tu mihi elegantiſſimis tuis literis te optaſſe ſignificaſti, de Jo. Franciſco Fratre tuo nunquam ſatis laudato, mihi per fortunam licuiſſet Epithalamium potius, quam Epitaphium concinnaſſe. Sed quando ita juſſit neceſſitas, de illius tandem feliciſſimo obitu cenſeo nobis gratulandum juſtius eſſe, quam dolendum: qui, tametſi viſus ſit eo auſu, eaque fortitudine vitam ſibi reddidiſſe breviorem: ſi altius tamen inſpexerimus, pro Patria pulcherr me cadens vitam ſibi in longiſſima ſaecula protendit. Vale, tuiſque omnibus, & Epicuro viro elegantiſſimo me enixe commendabis. Calendis Sextilibus, ex Meronio.

P. G. JOANNI FUNDANO, ET ANTONIO EPICURO MARSO AMICIS S. P. D.

EPISTOLA CI.

De prandio, ac itinere differit.

FUndane, & Epicure invito vos hodie ad prandium (ut par eſt familiariter, ne expectetis igitur, ſeptem fercula, praeſtabo tamen vobis ſeptem vini pocula non injucundi, colore cum auro certantis, nec calidum vobis apponetur ſumen, ſed cum aprina carne cauliculus. auxerint etiam bellaria animorum laxamenta, lepores, dicteria, & Perilii mei alacritas, neque expectetis, vel, ut verius loquar, timeatis, vos longa carminum recitatione defatigatum iri, non enim ſoleo cum amicis convivia cauponari. Nullae de me laudes, nulla orietur adulatio, ſed omnia libera, ſimplicia, candida, & (ut ille ait) convictus facilis, ſine arte menſa: & hoc quicquid erit prandii, benevolentiae inter nos mutuae tribuetur. acceſſit etiam religio, nam cum ad templum Veneris pervenerimus, quod inter Narbonenſem citerioremque Hiſpaniam veluti quidam terminus mari noſtro imminet, faserat, ut illi voluptates, jocos, Muſarum delicias ſacrificaremus, quibus quidem peractis Hiſpaniae legemus littora, ſecundis flatibus in Oceanum penetraturi, unde majores poſtea audebimus tentare ſinus. Vos igitur flante praeſertim Aquilone, quo citius in fretum Gaditanum perveniri poſſit, feſtinate, non remoraturi quicquid vobis felicior aura promittit. Valete amicorum optimi.

P. G. ANTONIO VENAPHRAE.

EPISTOLA CII.

Venaphri laude concluditur.

HAEc, ut tibi morem gererem, de Venaphro tua patria collegi, quam celeriter potui, & primum qualitas, & praeſtantia loci

ex

ex nomine, & appellatione dignoſcitur. nam ex latino, & graeco compoſitum eſt, ex Venere, & aphros ideſt ſpuma Veneris, en quod locus ipſe aptiſſimus exiſtat generationi, ac fertilitati: omnia enim ut tu rectius noſti, uberrime gignit, quae ad alimenta hominum, & pecudum deſiderantur, triticum, legumina, vinum, oleum, omnis generis poma, paſcua, ſylvas. Hinc omne pecudum genus nutrit, mitto ſcaturientes fontes, & omnia ſupra humanum votum commoda, coelum ſaluberrimum, apricitatem ſoli, pulcherrimam planitiem, atque feracem, montes in gyrum poſitos, oliveta, vineta, inſignem praeterlabentem fluvium Vulturnum, venationes,aucupia, incolarum ingenia acutiſſima ad omnes bonas artes, viros militares, loci genium tantae amoenitatis, ut illinc diſcedere pigeat, & cui nihil ad felicitatem deſit, praeter bonam fortunam. Nec dicitur Venaphrum quaſi venafrugum: tametſi ipſi loco conveniat etymologia, ſed a Venere derivatur, quia apud poetas primam ſyllabam corripit, ut apud Martialem, Campani bacca Venaphri. In regione igitur Campaniae feliciſſima Venaphrum cenſetur, ex antiquiſſima Italiae Oſcorum gente: poſtmodum ita ferentibus ſatis colonia Romanorum facta eſt, teſte Plinio libro tertio de locis mediterraneis Italiae: intus (inquit) coloniae, Capua a campis dicta, Aquinum, Sueſſa, Venaphrum, Sora, Theanum Sidicinum cognomine, & Mola. Hae omnes Urbes coloniae Romanae fuerunt, ideſt a colonis Romanis habitatae. Venus, quae nomen Venaphro dedit, dicta eſt per quam omnia veniunt, ideſt producuntur: eſt enim Dea caloris, & generationis, & ut poetae affirmant, ex ſpuma maris genita,quia phiſice omnia ex calido gignuntur, & humido, atque hac ratione dici poteſt Venaphrum Venafrugum, non quod hoc illi nomen dederit, ſed quia ex natura ſui neceſſaria omnia ubertim producit, quae vero gens Venaphrum condiderit, ob nimiam ejus antiquitatem non conſtat; hoc tamen apud Strabonem legimus. Cum P. Silla pene nomen Samnitum infenſus deleverit, quaſi radicitus has Urbes, quae cum Samnitibus conſenſerant, deleviſſe videtur, Bovianum, Exerniam, Teleſiam, & Venaphrum, quod per haec verba a P. Silla vexatum fuit, & quantum colligi poteſt ex epiſtola quadam Ciceronis ad Atticum, Venaphrum Pompejanae videtur fuiſſe factionis. Non eo tempore, quo Pompejus timens Caeſarem advenientem contra Patriam, Roma per viam latinam diſceſſit, Venaphrum ſeceſſit, ibique aliquandiu commoratus Capuam ſe contulit, deinde Brunduſium: Caeſar vero illum perſequens, & a Pelignis diſcedens Exerniae ſubſtitit, tanquam in ſuae factionis amica civitate; deinde per Bovianum Brunduſium cum exercitu profectus eſt, remanet igitur Venaphrum Pompejanam, & Exerniam Caeſarianam fuiſſe: unde ad hunc diem ſuſpicor utriuſque Civitatis derivatas, & nutritas eſſe ſimultates. haec habui, quae raptim de Venaphro memoria aſſequi potuerim. Tu vir optime, bonum, & obſervantem erga te amici animum ſuſcipias. Vale.

PETRI GRAVINAE SICULI EPISTOLARUM FINIS.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM

Per Libros, & Epistolas accuratè distinctus. In quo Primus Numerus Librum, Secundus Epistolam, Tertius paginam denotat.

N Brun-

Fa-

Ignes

Quod

Q

R

S

T

Tem-

F I N I S.